Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/critica0000nico

PRAELECTIONES
LOGICAE DIALECTICAE ET CRITICES

PARS II.

CRITICA

AUCTORE

NICOLAO MONACO S. J.

Olim in Pontificia Universitate Gregoriana Philosophiae Professore

EDITIO TERTIA
EX INTEGRO EMENDATA ET EXPOLITA

ROMAE
APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE
Via del Seminario, 120

1928

22449

IMPRIMI POTEST

Romae, die 8 mense Junio 1927.

JOSEPHUS FILOGRASSI S. J.
Praepositus Provinciae Romanae.

(L. S.

IMPRIMATUR

Romae, die 28 mense Februario 1927.

JOSEPH PALICA
Archiepiscopus Filippensis Vicesgerens

AUCTOR SIBI VINDICAT IUS PROPRIETATIS

TIP. CONSORZIO NAZIONALE — Via E. Q. Visconti, 2. — ROMA.

LECTORI SALUTEM

Hanc alteram Logicae partem CRITICAM appellatam, a Dialectica seiuncto volumine editam, ex integro emendare et expolire curavi. Doctrinam minime immutavi, utpote fideliter innixam Aristotelis, Scholasticorum ac praesertim ANGELICI DOCTORIS principiis, a quibus, sine magno totius philosophiae discrimine, nefas est recedere.

Haec enim semper mea fuit mens, ut horum antiquorum philosophorum doctrinam sectando, eam simul dirigerem ad Novatorum errores refellendos, atque adeo ostenderem nullam novam doctrinam neque nova principia instauranda esse, ad illos reiiciendos ac veritatem scientifice defendendam. Imo neque ipsam antiquorum methodum immutandam esse censui. Sed unice adnisus sum plures veritates magis castigate exponere, quasdam clarius contra idealistas ac modernistas defendere.

Siquidem notum est antiquiores ad problema logicum solvendum praecipue fuisse immoratos ad quaestionem de obiectivo valore conceptuum universalium absolvendam. Ratum enim eis erat, hac quaestione rite soluta, facile esse iudiciorum quoque valorem vindicare sive syntheticorum sive analyticorum et universalium. Ita scientifice demonstratur rectitudo ac valor definitionis veritatis : « adae-

quatio intellectus et rei », contra Novatorum et praesertim Kantii ac Modernistarum impetus. Nam semel ac agnoscitur, quomodo conceptus simplices rebus respondeant seu adaequentur, evidens fit, etiam iudicia, quae compositio sunt duorum simplicium conceptuum in unum, rebus respondere, atque in eis adesse veritatem seu *adaequationem intellectus et rei.*

Quare in priori capite opportunius visum est rectitudinem huius definitionis patefacere iuxta communem hominum sensum, et ita Kantii atque idealistarum sophismata disiiecere, ac simul naturam et existentiam status certitudinis contra scepticos et eosdem idealistas in tuto ponere. In altero vero obiectivus valor simplicium conceptuum universalium explanatur, ac dein ostenditur, quo pacto in eis et in iudiciis componentibus adsit veritas. Et causae etiam falsitatis expenduntur eiusque fontes, media exhibendo ad eas arcendas, ostendendo inanitatem Kantii conatuum, qui ad hunc finem « *Krisim rationis purae* » instituit, qua in finem prorsus oppositum incidit.

In tertio capite media exponuntur, quibus ad veritatem assequendam cum certitudine pervenimus. Et accurato examini subiicitur natura tum analysis tum experientiae ac praesertim inductionis, ut clare eluceat, quomodo ex eis hauriri possint iudicia stricte universalia ac rebus ipsis plane adaequata. Hinc contra Kant ac St. Mill et positivistas omnes valor

iudiciorum vindicatur, quae sive ex simplici analysi sive ex syllogismo rite confecto eruuntur; atque adeo prorsus reiiciuntur ut inania imo etiam absurda iudicia *synthetica a priori* kantiana. Natura item inductionis investigatur, duplex eius elementum *formale* ac *materiale* rite expendendo, ac simul componendo tum veterum tum recentiorum principia et documenta. De testimonio historico in fine sermo fit, ut eius momentum in luce ponatur ad multas addiscendas veritates.

In quarto capite tandem criterium investigatur, quo iudicia vera a falsis secernuntur, et duplicem distinguendo quaestionem, veterum doctrina maiori in luce ponitur ac falsa recentiorum et modernistarum criteria atque principia reiiciuntur.

Ita integrum criticae problema adaequate absolutum esse censeo. Porro maximi omnino momenti videtur huius problematis solutioni rite incumbere, quippe ex ea pendet omnium philosophiae problematum solutio ac vera instauratio doctrinae scholasticorum et praesertim Angelici Doctoris contra modernorum insurgentes errores.

Romae, Nonis Februariis 1928.

NICOLAUS MONACO S. J.

INDEX

LOGICAE PARS ALTERA

LOGICA CRITICA SEU MAIOR

Pag.

1. Introductio 1-2

CAPUT I. — De veritate ac certitudine 2-64

2. Communis veritatis notio.

Articulus I. — De natura et existentia veritatis. 3-27

3. Status quaestionis.

Thesis *I.* — Veritas recte describitur: « Adaequatio intellectus rei » 3-9

4. Declaratur. — 5. Adversarii. — 6. Prob. thes. — 7. De veritate cognitionis.

Thesis II. — Contra idealistas omnes asserimus quod ab esse rei determinatur veritas nostrae cognitionis, quae proinde in eo consistit quod cognitio referatur ad rem illam a qua intellectus determinatur ad cognoscendum 9-14

8. Status quaest. — 9. Quid cognitio. — 10. Idealistae. — 11. Prob. thes. — 12. Solvuntur obiectiones.

Thesis III. — Ergo recte dicitur veritas cognitionis esse formaliter in intellectu, in rebus vero ut in causa vel termino et in vocibus ut in signo 14-18

13. Status quaestionis. — 14 Prob. thes. — 15. Solvuntur difficult. — 16. Coroll. — 17. Quaestiuncula.

Thesis IV. — Ergo reiiciendus est idealismus purus, prout adstruit conceptus qui prorsus abstrahunt a rebus ad quas referantur; idealismus etiam mitigatus reprobandus est 19-27

18. Status quaestionis. — 19 De duplici idealismo. — 20-21. Probatur 1ª pars. — 22. Prob. 2ª p. — 23. Solvuntur obiectiones.

Articulus II. — De existentia certitudinis 27-62

24. De variis mentis statibus. — 25. De probabilitate. 27-30

Thesis V. — Certitudo recte cum S. Th. definitur: « Firmitas adhaesionis virtutis cognoscitivae in suum cognoscibile vel determinatio intellectus ad unum ». . 30-33

26. Thesis declaratur. — 27-28. Corollaria.

Pag.

THESIS VI. — Possibilis est, imo existit pro intellectu nostro status certitudinis; ac proinde reiicienda est tum dubitatio universalis, tum dubitatio partialis quae non agnoscit saltem principia prima et indemonstrabilia. 34-41

29 Existentia certitudinis. — 30. Scepticismi indoles et origo. — 31. Scepticismus posteriori aetate redivivus. — 32. Scepticismi refutatio. — 33. Probatur thesis per partes. — 34. Difficultates solvuntur.

THESIS VII. — Systema, quod ab universali dubitatione incipit, directe refutari nequit: ipsum vero, si ut factum spectetur, repugnat, si ut doctrina, manifestam involvit contradictionem 41-45

35. Probatur thesis. — 36. Difficultatibus fit satis.

THESIS VIII. — Dubitatio methodica legitima et utilis est ad scientificam veritatis investigationem peragendam, dummodo non sit realis quoad omnes veritates praesertim eas, quae primitivae vocantur 45-50

37. Quid dubitatio methodica. — 38. Prob. 1ª pars. — 39. Solvuntur difficultates contra 1ᵃᵐ partem. — 40. Prob. 2ª pars. — 41. Solvuntur difficultates. — 42. Corollarium — Ergo dogmatismus moderatus est prorsus rationalis.

THESIS IX. — Inter ceteras veritates, de quibus reale dubium moveri nequit, tres praesertim recensendae sunt, quae merito primitivae vocantur: 1ª Existentia propria (factum primum); 2ª Aptitudo mentis ad cognoscendum (conditio prima); 3ª Principium contradictionis (principium primum). 50-57

43. Thesis declaratur. — 44. Probatur. — 45. Corollaria. — 46. Solvuntur difficultates. — 47. Corollarium.

THESIS X. — Quamvis certitudo metaphysica perfectissima dicenda sit, recte formalis ratio certitudinis tribuitur veritatibus ordinis tum physici tum moralis. 57-63

48. De triplici gradu certitudinis. — 49. Probatur thesis. — 50. Difficultatibus fit satis. — 51. Corollaria. — 52. Solvitur et alia difficultas. — 53. Conclusio totius capitis.

CAPUT II. — De veritate conceptuum et iudiciorum 64-148

54. Ordo rerum.

ARTICULUS I. — De obiectiva realitate conceptuum universalium 65-68

55. Propria ratio conceptus universalis. — 56-57-58. De Unitate et Pluralitate naturae universalis.

Pag.

Thesis XI. — Revera dantur conceptus universales valore obiectivo manifestissime praediti 68-70

59. Declaratur. — 60. Probatur thesis. — 61. Solvuntur obiectiones. — 62. Corollarium.

Thesis XII. — Fundamentum ontologicum universalis directi « est quaedam similitudo in unitatibus formalibus rerum » 71-74

63. De fundamento conceptuum universalium. — 64. Quomodo adest in rebus hoc fundamentum. — 65. Probatur thesis. — 66. Difficultatibus fit satis.

Thesis XIII. — Similitudo in unitate formali, quamvis non cognoscatur per sensus, immediate tamen eruitur ex cognitione singularium per abstractionem intellectus a principiis individuantibus 74-83

67. Status quaestionis. — 68. Doctrina Aristotelis. — 69-70. De abstractione mentali. — 71. Probatur thesis. — 72. Doctrina S. Thomae. — 73. Corollarium. — 74. Solvuntur difficultates. — 75. Coroll.

Thesis XIV. — Ergo universale directum est in rebus secundum id, quod concipitur, non autem secundum modum, quo concipitur, et ideo merito dicitur esse actu in intellectu et potentia tantum in rebus . . . 84-88

76. Status quaest. — 77. Prob. thes. — 78. Solvuntur obiect. — 79-80. Coroll. — 81. Solvitur et alia obiectio.

Articulus II. — De falsis sententiis circa obiectum conceptuum universalium 88-108

82. Ordo rerum.

Thesis XV. — Falsum est tum nomini tum conceptui universali vel nullam respondere naturam pluribus rebus communem, vel tantum singularium collectiones, ut nominales et conceptuales aiunt 89-96

83-84. Praenotiones historicae. — 85. Prob. thes. — 86. Coroll. — 87. Obiectiones solvuntur. — 88. Coroll.

Thesis XVI. — Falsum est conceptui universali respondere vel aliquam naturam universalem existentem extra singularia, vel naturam formaliter universalem existentem in ipsis singularibus 96-101

89. De realismo exagerato. — 90. Prob. 1ª p. — 91. 2ª p. — 92. Difficultatibus fit satis.

Thesis XVII. — Universale formale constituitur per simplicem comparationem, qua aliqua natura concipitur ut una et identice in pluribus multiplicata vel multiplicabilis. Quare est ens rationis relativum, quod

Pag.

ideo est formaliter in intellectu et fundamentaliter in rebus 101–108

93. De Universali Formali. — 94. Prob. 1ª et 2ª p. — 95. Coroll. — 96. Prob. 3ª p. — 97. Coroll. — 98. Solvuntur obiectiones. — 99. Scholion. — 100. Conclusio.

Articulus III. — De formali ratione veritatis cognitionis . . 109–125

101. Ordo rerum.

Thesis XVIII. — Formalis ratio veritatis cognitionis est in actu, quo « intellectus iudicat rem ita se habere, sicut est forma, quam de re apprehendit ». 109–111

102. Declaratur. — 103. Prob. thes. — 104. Difficultatibus fit satis.

Thesis XIX. — Pro intellectu humano haec veritas invenitur plene et perfecte in actu iudicii componente ac dividente; imperfecte vero et incohative in simplici apprehensione 112–121

105. Status quaest. — 106. Prob. 1ª p. — 107. Solvitur obiectio. — 108. Prob. 2ª p. — 109-110. Difficultatibus fit satis. — 111. Scholion.

Thesis XX. — Etiam in sensibus invenitur veritas cognitionis, ita ut aliqua ratione perfectior sit ac in prima operatione intellectus humani et simpliciter imperfectior ac in secunda operatione 121–125

112. — De Veritate Cognitionis Sensitivae. — 113. Prob. thes. — 114. Solvuntur obiectiones. — 115. Scholion circa Kantii sententiam.

Articulus IV. — De notione et origine falsitatis 125–148

Thesis XXI. — In cognitione nominis falsitas non invenitur per se sed tantum per accidens, ratione compositionis. Quae propria non invenitur nisi in secunda mentis operatione: in prima vero et in sensu nunquam inveniri potest, nisi forte quando admisceatur compositio 125–129

116. De ratione falsitatis. — 117. Prob. 1ª et 2ª p. — 118. Nota. — 119. Prob. 3ª p. — 120. Solvuntur obiectiones. — 121. Quaestiunculae.

Thesis XXII. — Quamvis causa proxima erroris quoad exercitium actus sit influxus voluntatis, eius tamen radix et causa ultima reponenda est in eo, quod intellectus cognoscat per abstractionem et compositionem, unde plures enascuntur abusus et causae deceptionis 129–139

Pag.

112. De origine falsitatis. — 123. De influxu voluntatis ut causa proxima et immediata falsitatis. — 124. Prob. thes. — 125. Solvuntur diff. — 126. De fontibus errorum. — 127. Coroll. — 128. Doctrina Kantii circa causas errorum et controversiarum in Critica rationis purae.

THESIS XXIII. — Critica rationis, ut a Kant instituitur: *a*) errat in suo initio ac fundamento; *b*) falsa imo absurda procedit methodo; *c*) contradictionem involvit; *d*) et in finem prorsus oppositum illi, quem sibi praestituerat, necessario devenit 129–148

129. Nota. — 130. Prob. 1ª p. — 131. Solvuntur difficultates. — 132. Prob 2ª p. — 133. Solvuntur diff. — 134. Prob. 3ª p. — 135. Prob. 4ª p. — 136. Solv. diff. — 137. Praeiudicium quoddam dissolvitur. — 138. Conclusio.

CAPUT III. — **De mediis ad assequendam veritatem** 149–232

139. Ordo rerum.

ARTICULUS I. — **De Experientia** 150–165

140. Experientia.

THESIS XXIV. — Sensus tum singuli in percipiendis obiectis propriis, tum plures simul in percipiendis communibus, si rite sint dispositi, neque sit defectus in medio, et obiectum sit rite applicatum, falli nequeunt. 150–156

141. Declaratur. — 142. Obiectum proprium et commune sensuum. — 143. Prob thes. — 144. Difficultatibus fit satis.

THESIS XXV. — Certo nobis constare potest adesse conditiones praerequisitas, ut sensus actu infallibiles sint in suis perceptionibus 156–159

145. De conditionibus praerequisitis. — 146. Prob. thes. — 147 Solvuntur obiectiones. — 148 Quid conscientia.

THESIS XXVI. — Omnes actus sensitivi ordinis et intellectivi comitatur conscientia, qua homo experitur se operari. Porro haec conscientia circa suum obiectum falli omnino nequit 159–162

149. Declaratur 1ª p. et prob. 2ª. — 150. Solvuntur difficultates. — 151 Coroll.

THESIS XXVII. — Ergo iudicium intellectus, quod versatur immediate circa obiectum sensuum et conscientiae, est omnino infallibile 162–165

Pag.

152. Declaratur thes. — 153. De certitudine mundi corporei. — 154. Conclusio.

ARTICULUS II. — **De analysi seu de iudiciis analyticis.** . . . 166–188

155. — Analysis valor iuxta antiquorum doctrinam. — 156. Doctrina recentiorum. — 157. Doctrina Kantii. — 158. Identitas propria iudiciorum analyticorum . . 166–172

THESIS XXVIII. — Agnoscenda sunt ut analytica etiam ea iudicia, in quibus praedicatum virtualiter in subiecto continetur: ea vero, in se spectata, semper infallibili ac metaphysica gaudent certitudine; sed quoad nos, solum quando nobis evidentia sunt 172–179

159. Quomodo dignoscatur conceptum inveniri formaliter vel virtualiter in altero. — 160. Iudicia analytica haberi possunt tantum in materia necessaria. — 161. Materia necessaria quadruplex esse potest. — 162. Prob. 1ª p. — 163. Prob. 2ª et 3ª p. — 164. Coroll. — 165 Oriuntur ne omnia iudicia analytica per analysim, ac synthetica per experientiam? — 166 Coroll.

THESIS XXIX. — Ergo non sunt admittenda iudicia synthetica a priori a Kant adinventa: imo ipsa prorsus repugnant 179–181

167. Nota et probat thesis. — 168 Solv. diff.

THESIS XXX. — Ut analytica agnoscenda sunt iudicia, quae ope ratiocinii nobis innotescunt; quae infallibilia sunt, si regulae ratiocinandi accurate servantur et principia, quibus innituntur certa sunt 181–183

169. Prob. thes. — 170. Coroll. — 171 Solvuntur difficultates.

THESIS XXXI. — Ratiocinium deductivum efficax ac nobilissimum medium est ad novas veritates cum certitudine detegendas 183–188

172. Valor ratiocinii deductivi. — 173. Prob. thes. 174. Difficultatibus fit satis.

ARTICULUS III. — **De iudiciis per inductionem comparatis** . . 188–215

175. Inductionis valor. — 176. Diversae inductiones recensentur 188–190

THESIS XXXII. — Per inductionem etiam incompletam certe comparari possunt iudicia stricte universalia, quae naturarum universalium existentiam sive per unum sive per plures conceptus nobis innotescere faciunt. 190–196

177. Status quaest. — 178. Prob. 1ª p. — 179. Obiectiones. — 180. Corollaria. — 181. Prob. 2ª p. — 182. Conclusio.

Par.

Thesis XXXIII. — Per inductionem incompletam, vi principii causalitatis multa efflorescere possunt iudicia stricte universalia, quibus rerum proprietates nobis innotescunt 196–199

183. Duplex inductionis elementum. — 184. Prob. thes. — 185. Coroll.

Thesis XXXIV. — Principium istud « futurum est simile praeterito » nullo modo est agnoscendum ut fundamentum inductionis, sed potius ut eius effectus seu conclusio; ac proinde vana sunt ea omnia, quae ad ipsum adstruendum congeruntur 199–204

186. Principium recentiorum. — 187. Prob. thes. — 188. Explicationes recentiorum reiiciuntur. — 189. Quaestiunculae.

Thesis XXXV. — Elementum materiale inductionis conflatur quum: *a*) primo peragitur experientia alicuius phaenomeni in diversis rerum adiunctis; *b*) independenter ab omni praeiudicio; *c*) dein statuitur hypothesis quaedam; *d*) ac tandem nova experimenta provocantur quae hanc hypothesim confirmare valeant 204–213

190. Status quaest. — 191. De methodo ad rectam experientiam peragendam. — 192 Quid Hipothesis et quomodo confirmetur. — 193, 194, 195. Thesis probatur. — 196. Solvitur difficultas. — 197, 198. Complementum inductionis.

Thesis XXXVI. — Complementum inductionis materialis obtinetur, quum aliqua hypothesis uti certa demonstratur, ostendendo, per methodum connexionis constantis et praesertim exclusivae, determinatam naturam esse causam proximam alicuius constantis phaenomeni 213–215

199. Probatur thes. — 200. Nexus inter elementum formale et materiale inductionis. — 201. Conclusio.

Articulus IV. — De iudiciis ex testimonio historico comparatis 215–232

202. Testimonium historicum.

Thesis XXXVII. — Testimonium historicum veram ac certam gignit cognitionem, si constat, de scientia ac veracitate testium; et hoc faciliter constare potest, quando testes sunt coaevi 217–219

203. Prob. 1ª p. — 204. Prob. 2ª p.

Thesis XXXVIII. — Testes non coaevi I. si quasdam tantum negativas praeseferunt conditiones, probabilitatem gignunt II. si etiam positivas ac vere sufficientes, certitudinem moralem faciunt, III, si quasdam

Pag.

superabundantes et extraordinarias, certitudinem praebent metaphysicam de eorum scientia 219-227

205. Quid traditio historica. — 206. 1ª et 2ª p. — 207. Prob. 3ª p. — 208. Coroll. — 209. Difficultatibus fit satis. — 210. Quaestiunculae. — 211. De necessitate fidei. — 212. Valor auctoritatis sive historicae sive dogmaticae.

THESIS XXXIX. — Iudicia sensus naturae communis, etiamsi in iis, quae non subiacent immediate experientiae, falsa vel tantum probabilia esse possint, in iis vero, quae immediatae experientiae subduntur, praesertim quae vitam practicam respiciunt, infallibili gaudent certitudine. 227-232

213. Declaratur. — 214. Probatur thes. — 215. Corollaria. — 216. Intrinseca ratio unde provenit homini huiusmodi sensus communis. — 217. Totius capitis epilogus.

CAPUT IV. — De supremo veritatis criterio 233-297

218. Ordo rerum.

ARTICULUS I. — De formali criterio veritatis 233-246

219. Quid criterium. — 220. Discrimen inter duas quaestiones de Criterio 233-236

THESIS XL. — Nullum obiectum potest determinare assensum intellectus, nisi praeseferat aliquam necessitatem, quae evidenter ipsi appareat; et hac posita intellectus debet necessario assensum praebere . . 236-239

221. Declaratur. — 222. Prob. 1ª p. — 223. Prob. 2ª p.

THESIS XLI. — Quum omne enunciabile quod evidenter intellectui apparet sit necessario verum; ultimum et universale veritatis criterium est evidentia rei menti manifesta 239-245

224. Declaratur. — 225. Discrimen inter hoc principium et principium Cartesii. — 226. Prob. 1ª p. — — 227. Prob. 2ª p. — 228. Coroll. — 229. Solvuntur difficultates.

THESIS XLII. — Media requisita, ut evidentia obiectiva adsit, ad ea reducuntur, quibus tres viae iam recensitae iudicia certa nobis suppeditant 245-246

230. Prob. thes. — 231. Coroll.

ARTICULUS II. — De falsis criteriis veritatis 247-260

232. Utrum detur Principium certitudinis.

Pag.

THESIS XLIII. — Admitti nequit unum aliquod fundamentum aut principium omnium veritatum. Recte tamen dici potest principium contradictionis esse primum principium, in quod omnia resolvi debent, ut evidentia obiectiva appareat in eis adesse 248–253

233. Praenotiones historicae. — 234. Characteres primi principii. — 235. Prob. 1ª p. — 236. Prob. 2ª p.

THESIS XLIV. — Cetera criteria tum in eo peccant, quod nunquam assignant verum criterium formale veritatis, sed potius media ad ipsum habendum, tum in eo quod non omnes ex istis recensent, aut quasdam quae nullam possunt gignere evidentiam 253–260

237. Prob. thes. — 238. Reiicitur sententia Cartesii. — 239. Traditionalistarum. — 240. Huetii. — 241. De Bonald et De La Mennais. — 242. Ubaghs, et Bonnetty. — 243. Ventura. — 244. Conclusio.

ARTICULUS III. — De immanentiae Theoria 260–289

245. Quid Theoria immanentiae. — 246. Doctrina Balfour. — 247. Brunetière 260–264

THESIS XLV. — Systema, a Balfour et a Brunetière propositum aliisque confirmatum, tamquam falsum reiiciendum est, quia *a*) falsis innititur principiis, *b*) conclusionem infert, quae ut ab iis proponitur nullum habet valorem, *c*) posset multas absurditates secum ferre, *d*) et contradicit iisdem illis principiis, quibus innititur 264–273

248. Prob. 1ª p. — 249. Balfour difficultates solvuntur. — 250. Prob. 2ª, 3ª et 4ª p. — 251. Obiectiones solv. — 252. Doctrina Blondel. — 253. Doctrina Laberthonnière. — 254. De veritate relativa iuxta Le Roy.

THESIS XLVI. — Veritas relativa ratione obiecti formalis ut absurda reiicienda est, quia contradicit *a*) ipsi veritatis rationi; *b*) ipsi naturae intellectus nostri, qui ad certitudinem tendit: quia *c*) omnem destruit scientiam; ac *d*) necessario ad plenum scepticismum ducit. 273–279

255. Declaratur. 256. Prob. 1ª p. — 257. Solv. obiection. — 258. Prob. 2ª p. — 259. Solv. difficult. — 260. Prob. 3ª et 4ª p. — 261. Difficultatibus fit satis.

THESIS XLVII. — Theoria immanentiae modernistarum, *a*) quamvis forte pro vulgo quodam in casu sufficiat ad certitudinem gignendam, *b*) de se tamen prorsus insufficiens est ad certitudinem scientificam, *c*) et magis adhuc ad praeambula fidei demonstranda . . 280–289

262. Declaratur. — 263. Prob. thes. — 264. Solv. obiectiones. — 265. Conclusio vera ex hoc systemate deducenda. — 266. Scholion De influxu voluntatis in actibus intellectus. — 267. De pragmatismo.

ARTICULUS IV. — De Scientia 289-297

268. De Scientia.

THESIS XLVIII. — Scientia late dicta, prout est simplex rei cognitio, acquiritur per omnia media, quae dicuntur fontes veritatis; scientia stricte dicta, prout est cognitio rei per causas, acquiritur per syllogismum inductivum vel deductivum 290-291

269. Declaratur. — 270. Prob. thes. — 271 Coroll.

THESIS IL. — Scientiarum unitas ac distinctio desumenda est a diverso obiecto formali circa quod ipsae versantur 292-297

272. Declaratur. — 273. Prob. thes. — 274. Quaestiuncula. — 275. Coroll. — 276. Scientiae practicae. — 277. Metaphysica ceteris scientiis praestat. — 287. Certitudo scientiarum. — 279. Scholion.

TOTIUS LOGICAE CONSPECTUS 297-298
280-281

Index Alphabeticus nominum et rerum 298-306

LOGICAE PARS ALTERA

LOGICA CRITICA SEU MAIOR

1. **Criticae obiectum ac partitio.** — Omnibus hominibus ratum est conceptus mentis nostrae relationem dicere ad res, et nos eatenus eosdem recte adhibere, quatenus per eos certe et infallibiliter res ipsas apprehendimus, atque adeo *rerum rerum cognitionem* nobis comparamus. Quare qui logicae studio vacat, hoc alterum inquirat oportet, quomodo nempe nobis constare queat, *cognitionem nostram esse rerum*; seu scrutandum est, quomodo conceptus nostri repraesentent res illas, de quibus praedicantur. Hoc est primum criticae obiectum, et huc redit ea, quae vocari solet *quaestio critica*.

Haec inquisitio maximi est momenti nostra praesertim aetate, postquam multae hac de re exortae sint sententiae. *a*) Quidam enim, auctore Cartesio, a dubio universali incipiendum esse censuerunt; *b*) alii vero dubium quidem professi sunt particulare, ipsum vero ad facultatum etiam cognoscitivarum valorem extenderunt; *c*) quidam veritatis quoque definitionem vel denegant vel in dubium vocant; *d*) ac plurimi tandem nullam agnoscunt certitudinem.

Quare ut iis omnibus occurramus, *primo* in naturam, originem ac possibilitatem tum veritatis tum certitudinis inquiramus oportet; *secundo* obiectivus valor cognitionis vindicandus erit, praesertim conceptuum mentis nostrae sive simplicium sive compositorum; *tertio* media determinanda veniunt, quibus veritatem cum certitudine assequi valeamus; *quarto* tandem motivum ultimum formale certitudinis investigandum ac statuendum erit, tamquam infallibile veritatis criterium; atque simul examen instituemus *immanentiae theoriae* modernistarum; et in fine aliquid delibabimus de *scientia*, quae veluti totius logicae fructus erit habenda.

Haec altera igitur logicae pars in quatuor dispescitur

capita. Ea vero merito *critica* nuncupatur, quia *crisis seu analysis* instituitur naturae veritatis ac certitudinis cognitionis nostrae, ut scientifice demonstretur, quomodo a nobis ea comparari queat.

Quantum vero ipsa a « Critica rationis purae » a Kant proposita distet, clare patebit tum ex via, qua incedimus, tum ex termino omnino opposito, quo devenimus.

CAPUT I.

DE VERITATE AC CERTITUDINE

2. **Communis veritatis notio.** — Celebris, et nunquam in dubium revocata ad nostram usque aetatem, est notio veritatis, quam scholastici unanimiter cum omnibus antiquioribus philosophis tradiderunt, videlicet: « *veritas est adaequatio rei et intellectus* ». Quare vel tantum ex titulo praescriptionis et auctoritatis, tamquam certa retinenda esset.

Imo ipsa dici potest naturalis expressio communis omnium hominum sensus ab initio scientiae ad aetatem usque nostram. Eam profecto ratihabent omnes prorsus homines non modo in speculativis inquisitionibus, verum etiam in iugi et quotidiana vitae praxi. Quare talis notio ab ipsa natura ortum habere dicenda est, ac proinde ab omnibus uti certa et evidens amplectenda, quin ulla addatur demonstratio.

At hisce temporibus, auctore praesertim Kant, ea ad trutinam revocata fuit et perperam intellecta vel etiam denegata. Hinc etiam factum est, ut nova principia in medio prolata sint circa eius naturam et existentiam, et praesertim circa eius assecutionem, ad cognitionis certitudinem nobis comparandum. Necesse igitur est *primo* naturam et existentiam ipsius veritatis explanare et in tuto ponere, ac principia statuere, quibus eam assequi valeamus; *secundo* possibilitatem acquirendi certitudinem vindicare contra scepticorum argumenta; *tertio* tandem de notione et origine falsitatis loquendum erit, ut demonstretur, quomodo ea vitari possit. Hoc caput igitur in *tres* dispescitur articulos.

ARTICULUS I.

DE NATURA ET EXISTENTIA VERITATIS.

3. **Status quaestionis.** — « Verum nominat id in quod tendit intellectus » (1). Quare sicut omnis facultas in suum tendit obiectum, circa quod propria versatur activitas et in quod ut in finem dirigitur, ita intellectus in verum tendit, tamquam in suum obiectum ac finem. Et sicut pariter omnis facultas quiescit, quum suum finem consecuta sit, ita quiescit intellectus in veritatis consecutione. Haec autem consecutio nuncupari solet *certitudo;* quae proinde definiri potest: *quies intellectus in veritatis consecutione.*

Praeprimis igitur determinanda est huius obiecti natura, ac statuendum, *quid sit verum.* Iamvero notio veri est simplicissima, ac proinde nequit proprie definiri. Ea tamen ex iis est, quae in communi hominum usu iamdiu reperitur. Sufficit ergo eam explanare, et inductione quadam declarare, quid, audito hoc nomine, in omnium mente obversetur, ut propria ratio veri exhibeatur.

Thesis I.

Veritas recte describitur: « Adaequatio intellectus et rei ».

1. **Declaratur.** — *Adaequatio* idem est ac similitudo seu identitas similitudinis inter intellectum ac rem. — *Intellectus*, hic sumitur tantum prout est formaliter cognoscitivus, et perinde est ac *ipsa cognitio*, quam intellectus habet de aliqua re. — *Res* autem intelligitur, perfectio aliqua, ab intellectu apprehensa, quae *obiicitur* eius cognitioni, et ideo *obiectum* appellatur.

Quare ut veritas habeatur requiruntur: 1° duo termini, *res*, i. e. perfectio quaedam, sive realis sive possibilis, quae obiicitur seu obversatur intellectui nostro, ut ab eo apprehendatur; et *intellectus cognoscens*, seu cognitio, qua intel-

(1) S. Th. 1 p., q. 16, a. 1.

lectus, apprehendens illam perfectionem, evadit ei similis, 2° *similitudo*, quae necessario consequitur cognitionem, intercedens inter hos duos terminos. Haec autem similitudo dicitur *intentionalis* vel idealis, quia non intercedit inter ipsam naturam realem ipsius intellectus, et rem, sed inter eius cognitionem, quae dicitur etiam *intentio*, *idea*, et rem cognitam.

5. **Adversarii.** — Kant primus recenseri potest, qui hanc definitionem in dubium vocare ausus sit; et, quamvis eam directe non reiiciat, ita tamen explicat, ut eam penitus destruat.

Ita enim loquitur in fine prolegomeni *Criticae Rationis purae* (1) « Antiqua ac celebris est quaestio, cuius solutio in logica quaeritur, nempe: *quid est veritas* ? Definitio nominalis, quae dari solet, nimirum: *est adaequatio cognitionis cum suo obiecto*, hic iam nota supponitur, sed tunc merito inquiritur: quodnam est universale ac certum criterium uniuscuiusque cognitionis ?.....

Si veritas est in adaequatione cognitionis cum suo obiecto, necesse est, hoc obiectum ab aliis rite secernatur: quia tunc cognitio est falsa, quando non adaequatur illi obiecto, quod refert, quamvis aliquid repraesentet, quod aliis obiectis applicari valeat. Quare criterium generale illud est, quod valet pro omnibus cognitionibus sine distinctione obiectorum. Ex quo clare consequitur, abstrahendum esse ab omni obiectivo valore

(1) In Opere *Kritik der reinen Vernunft. Hartensteins Ausgabe: Im Kant's sämmatl. Werke.* 3 Bd. 1867. Leipzig, p. 86 « Die alte und berühmte Frage..... ist diese: *Was ist Wahrheit?* Die Namenerklärung der Wahrheit, dass sie nämlich die Uebereinstimmung der Erkenntniss mit ihrem Gegenstande sei, wird hier geschenkt und vorausgesetzt; man verlangt aber zu wissen welches das allgemeine und sichere Kriterium der Wahrheit einer jeden Erkenntniss sei.....

Wenn Wahrheit in der Uebereinstimmung einer Erkenntniss mit ihrem Gegenstande besteht, so muss dadurch dieser Gegenstand von andern unterschieden: denn eine Erkenntniss ist falsch, wenn sie mit dem Gegenstande, worauf sie bezogen wird, nicht übereinstimmt, ob sie gleich etwas enthält, was wohl von andern Gegenständen gelten konnte. Nun würde ein allgemeines Kriterium der Wahrheit dasjenige sein, welches von allen Erkenntnissen, ohne Unterschied ihrer Gegenstände, gültig wäre. Es ist aber klar, dass, da man bei demselben von allem Inhalt der Erkenntniss (Beziehnung auf ihr Object) abstrahirt, und Wahrheit gerade diesen Inhalt angeht, es ganz unmöglich und ungereimt sei, nach einem Merkmale der Wahrheit dieses Inhalts der Erkenntniss zu fragen... Da wir oben schon den Inhalt einer Erkenntniss die Materie derselben genannt haben, so wird man sagen müssen von der Wahrheit der Erkenntniss der Materie nach lässt sich kein allgemeines Kennzeichen verlangen, weil es in sich selbst widersprechend ist ». Conati sumus sat fideliter eius verba latine vertere, mutando quandoque grammaticalem constructionem, ut claritati prospiceretur. *Cfr.* etiam quae ipse asserit in p. 91 *Ibid.*

cognitionis (seu ab eius relatione ad obiectum). Sed veritas praecise hanc relationem includit; est igitur prorsus impossibile determinare criterium huiusmodi veritatis cognitionis. Iamvero obiectivum valorem cognitionis antea diximus perinde esse ac eius materiam. Ergo concludendum erit, nullo modo haberi posse universale criterium veritatis cognitionis quoad eius materiam, quippe quod contradictionem necessario involvit ».

Hinc tandem concludit, logicam versari circa partem formalem cognitionis, quae abstrahit ab obiectivo valore, et *totam in eo esse debere*, ut eam in sua elementa distribuat; et habetur *logica analytica;* ac dein regulas tradat, quibus ea rite conficiatur; et erit *dialectica.*

Et alibi tuetur: « formalis veritas est in adaequatione cognitionis cum se ipsa, penitus abstrahendo ab omnibus obiectis » (1). Ex hac doctrina ortum habuerunt errores omnes qui in idealismum modernum inciderunt, qui consequenter eo devenerunt ut res omnes cum cognitione identificarent, ac proinde nullam aliam agnoscerent realitatem praeter cognitionem, atque ipsum subiectum cogitans cum eo identificarent. Quorum errores postea pedetentim disiiciemus.

Modernistae pariter, eiusdem imbuti principiis, nostram definitionem denegant (2). *Ipsam notionem veritatis*, aiunt, *nos reiicimus*, quam scholastici proponunt (3). Et ratio ab eis semper desumitur ex eodem Kantii argumento. Semper ac statuitur, ait Le Roy, aliquid ut reale extra mentis conceptus existens, nullum habetur medium ad illud attingendum. Hinc quomodo demonstratur, an detur conformitas cognitionis cum suo obiecto? Ad hoc enim efficiendum requireretur comparatio, quae exigeret, ut obiectum apprehenderetur per aliam viam ac per cognitionem (4). Et paulo post addit: quod communiter vocatur obiectum, est ipse conceptus, qui duplicatur, ut sese videat (5).

(1) « Die formale Wahrheit besteht lediglich in der Zusammenstimmung der Erkenntnis mit sich selbst bei gänglicher abstraktion von allen Obiecten insgesamt. » (*Logik* n. VII, *Einleitung*).

(2) Audias inter alios Le Roy, qui hac in re princeps modernistarum appellari posset, aperte asserentem: « Le grand désaccord entre les scholastiques et nous parte sur la notion même de verité ». *Dogme et Critique*, p. 355.

(3) La définition, que j'incrimine, ait idem Le Roy, est celle ci: la vérité consiste en la conformité de la pensée à son objet. C'est la définition scolastique: veritas est adaequatio rei et intellectus ». *Revue de metaphysiq. et de morale*, a. 1899, p 560.

(4) « Dès lors que l'on pose le réel comme un au-delà de la pensée, aucun moyen de saisie ne subsiste pour l'atteindre. Comment s'assuyerait-on d'un accord entre la représentation et l'objet?

Cela supposerait une comparaison exigeant que l'on puisse appréhender l'objet autrement que par la pensée ». *Bulletin de la Soc. franc. de la Philos.* 25 février 1904, pag. 154.

(5) « Ce qu'on appelle communement objet n'est encore qu'une idée; c'est l'idée... se dédoublant pour se voir », ibid. p. 755.

Hinc ipse quoque concludit, veritatem *totam* et *integram* esse in nobis et a nobis, nos esse qui eam *facimus*, scientiam non esse *contemplationem* sed *actionem*. Videlicet actio totius vitae hominis actuat, evolvit et veluti fabricat omnem veritatem Unde philosophia ab eis vocatur *philosophia actionis*.

Nos suo loco conabimur magis enucleate eorum principia et integrum systema exponere, quod ab *immanentia* nuncupatum est. Sufficit modo fundamentale eorum principium retulisse, quod concinit cum alio, iam a Protagora tradito aliisque academicis graecis, qui aiebant, *nos esse mensuram veritatis*.

Interim vero prius curabimus allatam veritatis descriptionem in tuto ponere, quod fere nullius negotii erit, dein fundamentale principium, a scholasticis semper ratihabitum tamquam prorsus indubium, contra adversariorum impetus vindicabimus.

Ac tandem postquam nostram doctrinam contra idealistarum impetum vindicaverimus et vias explicaverimus, quibus ad veritatis assecutionem perveniamus, facile erit adaequate solvere difficultates a Kant aliisque propositas, ostendendo verum criterium veritatis, quod plene ac scientifice confirmat definitionem veritatis modo traditam.

6. **Probatur.** — Recta est descriptio veritatis, quae talem eiusdem conceptum exhibet, qualem homines gerunt, quum de rebus omnibus eam praedicent. Atqui semper ac homines veritatem de rebus praedicant, nonnisi adaequationem intellectus et rei concipiunt. Ergo. — *Pr. m.* Ad tres classes reducuntur ea, quibus homines veritatis denominationem attribuunt, minirum: 1) *cognitiones*, 2) *res ipsae*, 3) *et voces*: unde distingui solet veritas *in cognoscendo*, *in essendo*, et *in loquendo*. Atqui in omni praedicatione iuxta unanimem omnium consensum et aestimationem, semper concipitur illa adaequatio. Nam 1) *cognitio* vera nuncupatur, quia respondet suo obiecto, repraesentando illud sicuti est. Ita e. g. conceptus *auri* dicitur verus, quia revera *illi naturae* respondet, quae constituit *aurum in se*. — 2) *Res* vera dicitur, quia conformis est aut esse potest proprio eiusdem conceptui: sic, e. g. *verum amicum* dicimus, quia reipsa habet, quae ad *rationem amici* pertinent. — 3) *Locutio* denique veritatem continet, vel quia significat conceptum suo obiecto respondentem, vel quia consentit cum interiori animi sententia.

In priori acceptione veritatis haec denominatio veritatem cognitionis designat, prout exhibet conformitatem, quae in-

tercedit conceptum inter ac rem cognitam. In secunda acceptione exhibetur veritas rei, seu ipsa rei entitas, prout respondet conceptui, quem intellectus de ea habet. In tertia tandem veritas vocis i. e. sermonis designatur, prout locutio concordat cum mente, ac propterea adaequationem cum ipsa importat, quae potius *veracitas appellatur*. — Patet igitur in omni casu per hoc nomen exhiberi quandam relationem un rapporto intellectum inter et rem, quae relatio adaequationis seu similitudinis est (1). Veritas ergo iuxta genericum suum conceptum recte describitur: « Adaequatio intellectus et rei », i. e. similitudo perfecta inter intellectum cognoscentem et rem cognitam (2).

Quamobrem si tria illa singillatim spectemus, plane infertur: — 1° quod *veritas, prout attribuitur rebus*, quae ideo vocatur *ontologica, metaphysica*, et *transcendentalis*, quia omnibus rebus convenit, definiri potest: *entitas rei secundum quod est intellectui adaequata*, vel adaequabilis (3); quia, ut ait S. Th. (4), « verum dicitur... de rebus, secundum quod adaequantur intellectui divino, vel aptae natae sunt adaequari intellectui humano ».

S. Aug. (5) ait: *Veritas est id quod est*: et Avicenna (6): *Veritas cuiuslibet rei est proprietas sui esse, quod stabilitum est ei*. Sed hic potius definitur veritas fundamentalis rei, seu id cui intellectus tribuit rationem veritatis: dum contra quando dicimus *res veras*, includimus aliquem respectum ad intellectum. Haec veritas dicitur etiam *essentialis*, quia pertinet ad essentiam rei, seu ad entitatem, qua res in seipsa constituitur. Si autem res consideratur prout est etiam actu adaequata intel-

(1) Imo hoc principium tam evidens omnibus se prodit, ut ii quoque illud agnoscant, qui nostram cognitionem ad phaenomenorum experientiam restringunt. Unde Spencer asserit: « Exclus comme nous le sommes (i. e. iuxta suam falsam sententiam) de tout ce qui dépasse le relatif (seu phaenomenorum experientiam), la vérité dans sa forme la plus élevée, ne peut être pour nous rien de plus que la concordance parfaite dans tout le champ de notre expérience, entre les représentations des choses que nous appelons idéales et les présentations des choses, que nous appelons réelles » Premiers Principes — Trad. Cazelles, Paris, p. 146. *First principles*, London, 1904, p. 109. Unde etiam recentiores modernistae, perperam hoc principium intelligentes, concluserunt omnem veritatem esse relativam, de qua re in fine sermo erit.

(2) Cfr. etiam Mercier Criteriol. n. 13.

(3) Cfr. S. Th. *de Veritate*, q. 1. a. 1.

(4) Ib. a. 3.

(5) In libro II, *Sol.* c. 5. M. L. XXXII, 888.

(6) In XI *Met.* c. 11.

lectui humano, tunc dicitur *accidentalis*, quia tantum accidit rei iam in se constitutae, et non ingreditur eius constitutionem.

2° *Vocabula* dicuntur *vera*, quatenus sunt signa conceptuum nostrorum, et revera exprimunt ea, quae nos concipimus. Quare *veritas*, *prout attribuitur vocabulis*, definiri potest: *vox quae est adaequata intellectui*, prout ipse aliquid cognoscit. Hoc accidit dupliciter, ut innuimus, vel, ut ait S. Th. (1): « quia voces sunt signa intellectuum, erit vox vera, quae significat verum intellectum, falsa autem, quae significat falsum intellectum ». Et haec est expressio veritatis cognitionis. Vel prout vox concordat, vel non, cognitioni mentis. Et haec veritas dicitur etiam *veracitas*, seu *veritas moralis*. — Adverte tandem, quod vox posset quoque considerari in se ut res quaedam, et tunc diceretur vera *veritate transcendentali*.

3° *Veritas* tandem *cognitionis* habetur, quando intellectus ipse adaequatur rei in cognoscendo; quia conceptus noster « dicitur verus secundum quod conformatur rei, falsus autem secundum quod discordat a re » (2). Ergo *veritas* prout attribuitur cognitioni, definiri potest: *intellectus adaequatus rei per cognitionem*, vel brevius cum P. Liberatore: « cognitio respondens obiecto ». Et ideo S. Hilarius ait: *verum est manifestativum et declarativum esse;* et S. August (3): *Veritas est qua ostenditur id quod est*: et (in c. 31): *Veritas est, secundum quam de inferioribus iudicamus* (4).

7. **De veritate cognitionis.** — Iamvero praecipua quaestio agitari solet circa propriam rationem veritatis cognitionis, quae etiam *veritas logica* nuncupatur. Quaeritur nempe, ut accepimus ab ipso Kant, universale ac certum criterium cognitionis, quo discerni valeat determinatum obiectum, cui adaequatur cognitio, ut vera dici queat. Kant rem paucis verbis expedit, ut concludat, hoc criterium haberi non posse, ac proinde ipsam veritatis notionem pessumdat. Nos vero censemus, eam plane comparari posse, si per gradus, uti par est, incedimus. Primo enim vindicandum venit punctum fundamentale totius quaestionis: nimirum cognitionem nostram pendere a rebus, quibus proinde adaequatur.

Dein vero diversos cognitionis actus singillatim inspiciendo, patebit qua ratione ii propriis obiectis adaequati sint.

(1) Perih., l. 1, l. 3.
(2) S. Th. ib.
(3) *De vera Rel.* c. 36 M. L. XXXIV, 151.
(4) Cfr. etiam S. Th. *de Veritate* q. 1, a. 1.

Ac tandem tamquam necessaria conclusio praesto erit criterium illud certum ad discernendam cum certitudine propriam cuiusque cognitionis veritatem.

Thesis II.

Contra idealistas omnes asserimus quod ab esse rei determinatur veritas nostrae cognitionis, quae proinde in eo consistit quod cognitio referatur ad rem illam, a qua intellectus determinatur ad cognoscendum.

8. **Status quaestionis.** — Moderni philosophi noluni acquiescere veritatis definitioni a nobis traditae, eo quod renuunt agnoscere, intellectum nostrum determinari a rebus ad efformandos conceptus, qui eis adaequentur. Et ratio est duplex; altera psychologica, altera logica: aiunt enim; *a*) explicari non potest, quomodo obiecta externa intellectum determinare valeant ad suos efformandos conceptus; *b*) nec praeterea intellectus valet huiusmodi conceptuum adaequationem cum rebus inspicere ac determinare. Inde concludunt cognitionis veritatem reponendam esse in eius adaequatione cum seipsa.

Iamvero prima ratio modo seponenda est, utpote quae agitari nequeat, nisi postquam factum ipsum dependentiae cognitionis a rebus uti ratum habeatur. Quippe existentia facti — *an res sit* — saepe nobis certa exhibetur, quamvis ignoretur eius natura — *quid res sit.* — Et propterea explicatio modi, quo cognitio nostra a rebus determinatur, agitatur in psychologia; postquam modo in logica ratihabita sit ipsa existentia veritatis cognitionis dependentis a rebus.

Idealistae vero recentissimi, ultimas conclusiones inferentes ex Kantii principiis iuxta doctrinam Hegelii, cognitionem nostram penitus a rebus independentem praedicant, et nonnisi unicam realitatem conceptuum nostrorum agnoscunt; eorumque proinde veritatem unice in compositione et adaequatione eorundem inter sese reponunt. Nostramque doctrinam reiiciunt tamquam vulgarem et conformem quidem sensui hominum communi, at revera illusoriam; quum homines nonnisi iugi illusione decepti, qua confundunt realitatem cognitionis nostrae cum rerum realitate a nobis distinctarum, inducuntur ad has res agnoscendas, ad quas cognitionem nostram referunt.

Contra hos omnes thesim nostram defendimus, quam antiqui philosophi universi uti prorsus ratam ac de se evidentem tuebantur, ita ut neque demonstratione eam indigere censerent.

Praestat tamen eam modo diserte vindicare, ut eius valor maiore in luce ponatur et adversariorum rationibus respondeatur.

9. **Quid cognitio.** — Ratio cognitionis, ex iis est quae primo nobis innotescunt, utpote in iugi ac naturali humanae vitae usu. At quum eius intrinseca ratio determinanda venit, difficilis admodum ea nobis exhibetur. Quare remittendo psychologiae haec ulterior inquisitio, modo sufficit conceptum cognitionis referre, quem exploratum reperimus in communi hominum sensu, et iugi vitae usu. Hunc conceptum clare exponit S. Thomas: « Cognitio non dicit effluxum a cognoscente in cognitum, sicut est in actionibus naturalibus, sed magis dicit existentiam cogniti in cognoscente » (1).

Cognitio igitur est *actio qua cognitum ponitur in cognoscente intentionaliter*, i. e. non secundum suum esse physicum, sed secundum aliud esse, quod est proprium actus cognoscitivi, et vocatur *intentionale*.

Elementa cognitionis. — Ad hoc ut cognitum sistat in cognoscente duae requiruntur diversae actiones: altera ab ipso obiecto cognito, quod determinat facultatem cognoscitivam ad suum actum ponendum; *altera* a facultate ista, quum ponit actum qui vocatur *cognitionis*, et qui efficit ut cognitum sit in cognoscente. Quum proinde intellectus refert hunc suum actum seu hoc obiectum in se intentionaliter existens, illi obiecto reali a quo determinatus fuit ad cognoscendum, tunc habetur veritas cognitionis. Ea proinde merito dicitur pendere ab esse rei: quia eatenus in cognoscente habetur hoc cognitum intentionaliter, e g. *lapis*, *aurum*, *canis*, qualenus huiusmodi res, existens extra intellectum, ipsum determinavit ad ponendum actum, quo in se existit intentionaliter illa eadem res cognita.

10. **Idealistae** omnes adversantur huic doctrinae, tuentes, hunc actum cognitionis gigni in nostro intellectu unice ex eius activitate, independenter a quacumque obiecti externi determinatione. Unde logice inferunt, non posse cognitionem nostram referri ad ullam rem externam, nec ullum esse agnoscendum eius obiectivum valorem; vel asserunt cognitionem nostram producere ipsam rei veritatem, eandemque esse rerum mensuram, adeoque res in se tales esse quales a nobis cognoscuntur.

Inferius curabimus diversa idealistarum principia directe ad examen vocare ac refutare; modo tantum nostram doctrinam, quae fundamentalis omnino dicenda est, vindicare conabimur, quae directe opponitur fundamentali quoque doctrinae eorundem. Ac proinde in hoc puncto prorsus insistendum esse censemus, tamquam in fundamento totius doctrinae de valore cognitionis nostrae, ita, ut impossibile videatur eam posse solidius vindicari, si ipsum vel in dubio ponatur, vel tantum silentio praetereatur.

(1) *De Veritate*, q. 2, a. 5, ad 15.

11. **Prob. I. p.** 1) *Ex unanimi hominum consensu.* — Omnes homines, quum ostendere conantur, propriam cognitionem esse veram, semper in eo sunt ut ostendant eam determinatam esse ab aliquo esse rei : et e contrario, quum aliam cognitionem falsam demonstrare adnituntur, satis esse putant patefacere, eam non esse a rebus determinatam. Atqui huiusmodi unanimis consensus evidenter probat assertum nostrum esse tam certum, ut nullum dubium de eo moveri possit. Ergo.

2) *Ex vita practica.* — Assertum nostrum est fundamentum totius vitae practicae hominum : in eo enim omnes fundant suas actiones, cogitationes, affectus, principia quae enunciantur, leges quae feruntur, poenas vel praemia, quae applicantur, amorem erga amicos ac parentes, odium erga inimicos et malum, sollicitudinem rerum ad vitam necessariarum, curam vitandi mala vel pericula : in his omnibus semper ratum habent suam cognitionem horum omnium determinari a rebus illis, quibus eam applicant. Atqui hoc principium uti omnino certum et indubium habendum est; secus enim tota hominum vita illusoria et absurda dicenda esset. Ergo.

3) *Ex absurdis*, quae sequerentur. Omnes pro comperto habent, cognitionem referri ad aliquod obiectum quod dicitur cognitum. Ergo si ipsa non determinaretur a rebus, tunc dicenda esset aut creare obiectum illud, aut referri ad purum nihilum. Atqui primum patet esse falsum et contra cuiusque experientiam, quum nemo experiatur se creare, quum aliquid cognoscit; alterum est absurdum, et omnem destruit cognitionem. Ergo (1).

(1) Unde merito ait Didiot, *Logique surnaturelle objective.* Paris, Lefort, 1862. p. 8, n. 8 « Qu'un tel phénomene (i. e. quod cognoscens percipiat obiectum, quod nullam aliam habeat realitatem nisi in sola cognitione) soit possible et ne soit pas contradictoire dans les termes mémes, qui l'expriment, c'est ce que nul homme de bon sens, ne fût-il ni grand philosophe ni grand théologien, ne consentira jamais à admettre: car ce qui n'est pas, ce qui n'est aucunement, ne peut être ni senti, ni compris, ni perçu ni représenté. On ne s'assimile pas à *rien*. Un miroir ne reflète pas le néant; l'acte de connaissance ne peut ressembler à l'absence complète de tout être ».

Et n. 24 addit, hanc veritatem esse « indémonstrable, parce qu'elle est précisément la base et la condition préalable de toute démonstration par raisonnement ou par attestation, l'objectivité de nos connaissance primordiales n'est

Prob. II. p. — quae sequitur ex priori. De ratione cognitionis est referri ad aliquod obiectum, seu repraesentare aliquid quod ei obiicitur. Atqui hoc obiectum nequit esse nisi res illa a qua cognitio producitur: sicut enim imago, quae in speculo producitur, necessario refertur ad rem a qua producitur, ita cognitio refertur ad rem a qua determinatur. Ergo.

Praeterea omnes homines ut ratum habent, se in cognitione referri ad aliquid, quod per ipsam apprehenditur ac repraesentatur; et hoc apparet etiam in ipsis vocabulis diversorum idiomatum, quae cognitionem significant λαμβάνειν capere, apprendere, apprendre, begreifen, comprehend, apprehender). Atqui hoc obiectum nequit esse nisi res illa, a qua cognoscens determinatur ad ponendum actum cognitionis. Ipsa igitur tunc dicitur vera, quum ad istam refertur.

12. **Obiicies.** I. — Conceptus sunt in mente et obiecta extra. Atqui quod est in mente nequit referri ad aliquid extra. Ergo. — *R. D. 1am p. M.;...* formaliter spectati, *c;* etiam obiective, *subd;* ita ut repraesentent aliquid quod est extra, *c.;* non repraesentent, *n.* — *D. 2am p.;* secundum esse reale, *c.;* secundum esse intentionale seu repraesentativum, *n.* — *Contrad. m.*, secundum idem esse, *c.;* secundum diversum esse, *n.* Cum ergo essentia conceptus obiective sumpti in eo est, quod repraesentet aliquam rem, res invenitur in ipso secundum esse repraesentativum: accipe exemplum ex figuris ac statuis, et rem facile intelliges.

II. Ut posset cognitio referri ad res externas, deberemus eas in se attingere. Atqui quum eae sint extra, non attinguntur. Ergo. — *R. D. M.;* i. e. deberemus coniungi cum ipsis secundum *esse reale*, *n.;* secundum *esse* repraesentativum seu intentionale, *c.* — *Contrad. m.* — Qui hanc facit difficultatem, si putat, requiri coniunctionem cognoscentis cum obiecto secundum esse reale, omnem rerum cognitionem penitus destruit, cum in hac vita hoc impossibile sit, uti patet. Quod vero hoc nullo modo requiratur, liquet ex exemplo statuae: haec enim, ut statua, non repraesentat se, sed rem cuius figura ibi sculpta est, licet res non sit cum ea coniuncta secundum esse reale et proprium: ita et conceptus, cum sit essentialiter repraesentativus, non repraesentat se, sed rem, a qua determinatur, et ideo intellectum habere conceptum

pas seulement évidente d'une évidence propre, directe, immédiate, engendrant en nous une certitude spontanée et absolue; elle est munie en outre de *garanties* reflexes, vulgaires ou scientifiques, mais toujours indiscutables, et fournissant à notre esprit un surcroît de convictions parfaitement rationelles et souvent même suprarationelles. »

est idem, ac ipsum repraesentare rem, quam cognoscit. Tandem oblivioni dandum non est, quod nos modo tantum asserimus existentiam facti, i. e. cognitionis nostrae, quae est essentialiter repraesentativa rerum. Et hoc factum evidenter nobis affulget independenter ab illa quaestione, quae versatur circa modum, quo haec cognitio oriatur, et *de origine idearum* inscribi solet. Porro praesens difficultas videtur praecise hanc aliam tangere quaestionem. Et idcirco breviter responderi posset: quacumque ratione explicetur coniunctio cognoscentis cum obiecto, certum omnino esse cognitionem repraesentare res a se distinctas.

III. Conceptus possunt esse secretiones cerebri, per modum caloris, lucis, electricitatis, vel mere internae affectiones. Atqui ista non possunt repraesentare res. Ergo. — *R. N. M.* et *Cons.* In psychologia probabitur falsitas maioris; at hic dicimus, quaecumque sit essentia conceptuum formaliter sumpta, in comperto est, quod ipsi repraesentant res, uti probavimus. Quare ex hac secunda veritate utpote certiori debemus procedere ad priorem, quae est nobis ignota et non potest immediate percipi. Si quis ergo talem essentiam entitatis formalis conceptuum assignat, ut videatur ipsa cum hac veritate pugnare, potius illam omnino negare debet, quam istam vel in dubium revocare, quum veritas certior et per se nota non possit destrui per veritatem minus certam et notam per aliud.

IV. Si cognitio referretur ad res externas, requireretur medium aliquod per quod ipsa cum rebus compararetur, ad inspiciendum utrum vera sit necne. Atqui impossibile est hoc medium adinvenire. Ergo. — *R. D. M.;* si darentur conceptus, qui antequam res repraesentarent, essent in se aliquid quod in se cognosceretur, *c.*; si tota eorum natura in eo est, quod aliquid repraesentant, et eatenus existunt ac inter se distinguuntur, quatenus sunt rerum imagines, per quas intellectus *immediate* ipsas res cognoscit, *n.* — Hinc *conc. min.* sed *nego suppositum.* Et ita penitus evanescit vis huius argumenti, quod tanti faciunt Kant, Le Roy, aliique modernistae. Et sane tunc requireretur medium ad inspiciendum, utrum conceptus nostri respondeant rebus vel non; si ipsi essent in se aliquid iam in nobis existens, quod postea accomodaretur ad aliquam rem repraesentandam. Et hoc medium certe nunquam reperiri posset; quum nullum aliud esset nisi aliquis conceptus, de quo iterum inquirendum esset, utrum respondeat rebus. Sed e converso conceptus *essentialiter* et *immediate* referuntur ad ipsas res, quas cognoscimus; ac proinde intellectus per eos immediate attingit res, quas repraesentant. Si placet, posset exemplum desumi ex imagine, quae ab aliqua re per reflexionem producitur in speculo. Porro illa essentialiter et immediate repraesentat rem istam. Ita in intellectu nostro producitur conceptus ut imago rei, quae nostram facultatem cognoscitivam determinat. Atque adeo intellectus noster actuatus ab

hac imagine directe et immediate sese refert ad rem illam, a qua determinatus fuit, eamque cognoscit (1).

Ceterum hic quoque repetere iuvat, quod paulo ante advertimus, nempe in hac difficultate tangi *modum*, quo intellectus sese refert per suos conceptus ad res, ut veritatem adipiscatur. Profecto haec quaestio, in se sane difficilis, modo seponenda est; et nullo modo requiritur, ut statim solvatur nunc ad thesim nostram evincendam. Nam etiamsi forte eam rite solvere non valeamus, thesis nostra semper in se vera erit, et nemini integrum est eam denegare, quia nescit explicare *modum*, quo conceptus repraesentent res. Ita omnes tenentur uti certum agnoscere hoc factum, quod semen in terra positum in arborem aliquam crescit, quamvis ignoret *modum*, quo arbor illa excreverit. Quia cognitio existentiae illius facti independens est a cognitione *modi*, quo illud contingat.

Thesis III.

Ergo recte dicitur veritas cognitionis esse formaliter in intellectu, in rebus vero ut in causa vel termino et in vocibus ut in signo.

13. **Status quaestionis.** — Haec thesis communior est inter scholasticos, et eo spectat, ut rite determinetur proprium subiectum veritatis logicae, et explicetur eius relatio ad veritatem rei et vocis. Huic sententiae opponi videtur Scotus, qui forte po-

(1) Accipe etiam responsionem, quam affert De Tonquédec, *La Notion de vérité dans la philosophie Nouvelle*, Paris, 1908, p. 73, 74. In hac difficultate, ipse ait « on suppose constamment que la connaissance n'atteint qu'elle-même, et dans cette hypothèse, il ne lui reste évidemment aucun moyen de savoir si elle est conforme à un objet que l'on a placé hors de ses prises. Mais si elle atteint l'objet lui-même, elle port en elle sa propre justification. Elle n'a besoin de rien d'extérieur qui la garantisse. Au fond de l'objection, on retrouve la vieille conception de la « connaissance décalque » tant attaquée par l'école nouvelle.

Si la connaissance est essentiellement une construction d'image, si elle ne se réalise qu'en projetant devant elle, come sur un écran, une « représentation », l'objection est irréfutable. Mais ce postulat, que M. Le Roy et ses adversaires admettent d'un commun accord, nous le nions. Pour nous, *la connaissance est toujours une saisie immédiate de quelque chose*. On a beau reculer, il faut en arriver là, ou renoncer a l'idée même de connaissance. Que l'objet soit le resultat d'une construction de l'esprit ou un être éclos dans la nature, il faudra bien, en définitive, que la connaissance — sous peine de ne pas exister — s'y applique immédiatement, le saisisse lui-même et tel qu'il est.

Il est difficile, je le sais, de définir autrement que par des métaphore ce fait unique, cette « saisie » cette « prise de possession » du réel, qu'est la connaissance. Mais cela ne tient pas à un système. Quelque idée qu'on se fasse de la connaissance, elle restera toujours un fait premier et indéfinissable ».

tius in modo loquendi quam in re ipsa adversari dici potest; quum quaestio non eodem modo ab omnibus proponatur.

Quidam enim quaestionem non determinant ad veritatem cognitionis, sed potius de veritate in genere loquuntur, prout simpliciter est *adaequatio intellectus et rei*, seu similitudo intercedens inter intellectum cognoscentem et rem cognitam, vel vocem significantem cognitionem. Porro haec similitudo seu adaequatio intrinsece reperitur sive in veritate cognitionis, sive in veritate rei et vocis, quamvis non eodem omnino modo, ac proinde de eis praedicatur analogice seu per analogiam proportionalitatis. Sed si inspicitur fundamentum huius similitudinis, ipsum non est nisi cognitio, uti patet, quae formaliter est in intellectu. Et tunc sub hoc respectu non immerito diceretur veritas quoque generice inspecta esse formaliter et intrinsece in intellectu, extrinsece vero in rebus et in vocibus. Sed tota quaestio non videtur magni momenti, sufficit proinde eam innuisse.

Quaestio vero, quam in thesi proponimus, respicit proprie ipsam veritatem cognitionis, quae est proprium logicae obiectum; et de ea dicimus, quod formaliter ideoque intrinsece est in intellectu, et tantum extrinsece in rebus ac vocibus, quod a nullo scholasticorum denegatur, et est complementum eorum, quae in thesi praecedenti statuimus.

11. **Probatur.** — Veritas cognitionis ibi formaliter adest, ubi est cognitio ipsa. Atqui cognitio est actus formaliter existens in intellectu, in rebus vero est ut in causa vel termino, et in vocibus ut in signo. Ergo.

Item veritas cognitionis est relatio intentionalis, qua cognoscens refertur ad rem, a qua determinatur, cuius fundamentum est cognitio et terminus est res ad quam refertur. Atqui relatio est formaliter ubi adest fundamentum. Ergo veritas cognitionis est formaliter in intellectu, ubi adest cognitio, in rebus vero tamquam in causa vel termino, et in vocibus tamquam in signo (1).

Dicitur esse in rebus tamquam in *causa* vel *termino*, quia si est sermo de scientia speculativa, tunc res sunt causa cognitionis et ideo veritatis formalis: si vero de scientia practica sicut in scientia artificis, tunc res sunt solum terminus cognitionis, quia ab ipsa cognitione practica producuntur. Ideoque relate ad intellectum Divinum, cum omnes res sint ab ipso productae, eae sunt terminus ipsius cognitionis, re-

(1) Cfr. S. Th. VI, *Met.* l. IV.

late ad intellectum humanum, res naturales sunt causa cognitionis, res vero artificiales sunt terminus cognitionis artificis, quoad illam formam quae producitur.

In scientia enim speculativa ratio, cur intellectus hanc vel illam rem contemplatur, ex eo est, quod ab illa determinatur ad cognitionem, et e contrario in scientia practica, intellectus est causa rei. Atqui in intellectu cognoscente invenitur formalis ratio veritatis. Ergo in rebus vel ut in causa relate ad veritates speculativas, vel ut in termino relate ad practicas reperitur (1).

Item quoad voces, constat eas esse signa conceptuum, ad hoc enim institutae sunt (v. *Dial* n. 53). Atqui in istis conceptibus stat veritas formalis. Ergo.

Quare cum S. Th. concludimus « Verum est bonum intellectus. Unde de quocumque dicatur verum, oportet quod hoc sit per respectum ad intellectum. Comparantur autem ad intellectum *voces* quidem sicut *signa*, res sicut ea, quorum intellectus sunt similitudines » (ib.), et ideo vel ut causa vel ut terminus cognitionis.

15 **Obiicies**. — I. Nullo respectu habito ad intellectum res habent determinatam entitatem. Atqui tunc adest veritas ontologica. Ergo. — *R. D. M.* i. e. res habent propriam entitatem independenter a quocumque intellectu, *n.*; habent illam entitatem etiam si actu non consideratur earum habitudo ad intellectum *subd.*; et tunc adest veritas fundamentalis, *c.*; ontologica, *n.* Et id o *N. m.* — Sane omnis entitas necessario requirit intellectum, a quo producitur, vel cui conformatur, si est increata, ut est Deus, qui suo intellectui conformatur. Sed si ista entitas consideratur in se sola sine ullo respectu ad intellectum; tunc habetur fundamentum veritatis, non autem ipsa veritas ontologica, secus ens et verum neque ratione distinguerentur inter se, uti alio loco probabitur.

II Si nullus intellectus daretur, non haberetur falsitas. Atqui falsitati opponitur veritas. Ergo haberetur veritas. — *R. D. M.* et neque veritas, *c.*; et haberetur veritas, *n.*; vel alio modo; quatenus deesset subiectum in quo inesset sive falsitas sive veritas *c.*; quatenus daretur veritas, quae expelleret falsitatem *n.* — *D. m.*:... contrarie, *c.*; contradictorie, *subd.*: repraesentative inspectae, *c.*; entitative inspectae, *n.* Scilicet ad habendam veritatem et falsitatem formaliter requiruntur duo actus, qui, si considerantur

(1) Cfr. S. Th. in I. *Perih.* l. III

secundum id, quod dicunt, opponi possunt contradictorie, si vero prout sunt duo entia, tunc opponuntur contrarie, et requirunt subiectum in quo sint, ideoque si subiectum deest, uterque actus deest, et ex negatione unius non potest argui affirmatio alterius.

III. Nihil est in effectu, quod prius non fuerit in causa. Sed veritas cognitionis causatur ab ontologica. Ergo — *R. D. M.* Si causa est totalis *c.*; si partialis *subd.;* secundum illam partem secundum quam est causa *c.*; etiam secundum aliam *n.* — *Contrad. m.;* tamquam a causa totali, *n.;* tamquam a causa partiali, *subd.;* quae praebet tantum materiam *c.*, et formam ipsam veritatis *n.* — Ut hanc distinctionem intelligas, adverte quod in veritate cognitionis, sicut in omni relatione, distinguenda est materia et forma ipsius. *Materia* sunt ipsi termini relationis adaequationis seu veritatis, i. e. *intellectus* cognoscens, et *res* cognita. Forma vero est ipsa similitudo seu relatio adaequationis. Et ideo materia praebetur a rebus, considerando etiam intellectum ut rem quandam. Sed *forma* ponitur tota ab intellectu, qui nempe cognoscendo « iudicat rem ita se habere, sicut est forma, quam de ea apprehendit » ut ait S. Th. (1). Et ita ponit illam adaequationem, in qua proprie stat forma veritatis.

IV. Similitudo, quae est inter duas res, eodem modo est in una ac in altera. Sed veritas est similitudo. Ergo. — *R. D. M.*, si spectantur termini; *c.;* si ipsa ratio similitudinis, *subd.;* si neutra est facultas cognoscitiva *c.*; si alterutra est facultas cognoscitiva, *n.* — *Contrad. m.* — Scilicet in omni similitudine si spectantur termini similitudinis, eodem modo unus est similis alteri ac alter priori. Si vero inspicitur ratio, unde ista similitudo exurgit, tum si neutrum est facultas cognoscitiva, iterum eodem modo ista ratio est in utroque, qualenus nempe in utroque inveniatur eadem forma eiusdem speciei. Si vero alterutra est facultas cognoscitiva, tunc tota ratio similitudinis est solum in facultate cognoscitiva. Nam ista similitudo non potest esse nisi similitudo cognitionis, cum facultas essentialiter cognoscitiva non possit similis alteri evadere, nisi cognoscendo. Ergo in cognitione est ipsa formalis ratio similitudinis atque adeo veritatis.

16. **Corollaria.** — I. Ergo *veritas logica dicenda est veritas formalis, veritas autem ontologica veritas materialis.* — Siquidem ea veritas dicenda est formalis, quae ipsam veritatis formam praesefert; ea autem, quae tantum materiam praebet, cui accedente forma, exoritur completa ratio veritatis, merito vocatur materialis. Iamvero, ut vidimus, in veritate cognitionis adest forma veritatis, in veritate rei tantum materia, quae est ipsa entitas ut cognoscibilis, seu ut dicens ordinem ad intellectum.

II. Ergo veritas, quamvis formaliter sit in intellectu, non sequitur tamen existimationem intellectus : quia « veritas, quae in

(1) *S. Theol.* I. p. q. 16, a. 2.

anima *causatur a rebus* non sequitur aestimationem animae, sed existentiam rerum; ex eo enim, quod res est vel non est, oratio vera vel falsa dicitur, et intellectus similiter » (1). Quia scilicet materia veritatis causatur a rebus, ideo intellectus ponit hanc formam seu adaequationem; ita ut si non poneret formam, huic materiae respondentem, iam haberetur falsitas.

III. Hinc liquet, cur dicatur intellectus percipere veritatem, potius quam formare veritatem, licet ipse producat formam veritatis. Quia nempe recipit materiam a rebus, et forma, quae ponitur ab intellectu, debet ipsi materiae respondere, ideoque licet materia a forma determinetur in ratione veritatis formalis, forma vero determinatur a materia, ut sit haec vel illa veritas, et etiam ut habeatur veritas vel falsitas.

Ideoque patet, cur nos in veritate inquirenda potius solliciti simus de materia; quaerimus enim, utrum illa forma intentionalis intellectus nostri revera respondeat rei vel non.

IV. Ergo veritas formalis est extrinseca rebus, sed eis attribuitur tamquam causae, sicut medicinae attribuitur sanitas. Quare cum S. Th. (2) dicimus: « Denominantur res verae a veritate, quae est in intellectu divino vel in intellectu humano (i. e. a veritate formali) sicut denominatur cibus sanus a sanitate, quae est in animali, et non sicut a forma inhaerente. Sed a veritate, quae est in ipsa re (i. e. a veritate ontologica) sicut a forma inhaerente; sicut cibus denominatur sanus a qualitate sua, a qua sanus dicitur ». Et ideo veritas formalis, uti diximus, praedicatur analogia attributionis de veritate logica et veritate rei, veritas ontologica praedicatur analogia proportionalitatis, quia si veritas logica consideratur ut res quaedam, et ipsi competit ratio veritatis ontologicae.

17. **Quaestiuncula:** Quomodo in negationibus habetur adaequatio intellectus et rei? — *Resp.* In negationibus intellectus iam habet in se intentionaliter formam, quam recepit a re, in qua ipsa erat, et cui similis facta fuit. Dein vero eam comparat cum aliqua re, in qua videt non esse illam formam, et tunc apprehendit illam rem praecise, ut aliquid carens illa forma, et dicit, e. g. *equus non est homo*. Et ita adaequatur rei, quatenus negando illam formam de illa re, revera est similis rei, in qua illa forma non invenitur. Ideoque ut recte ait S. Th. (1): « *Non esse* non est causa negativarum propositionum, quasi faciens eas in intellectu; sed anima ipsa hoc facit conformans seipsam *non enti*, quod est extra animam: unde *non esse* extra animam existens, non est causa efficiens veritatis, sed *quasi exemplaris* ». Quatenus illa res non habet hanc formam, et idcirco intellectus eam concipit ad modum *entis* carentis hac forma.

(1) S. Thom. q. 1, *de Verit.* a. 2, ad 3.
(2) In 1 *Periherm.* l. 3. Cfr. etiam *De Verit.* q. I, a. 4.

Thesis IV.

Ergo reiiciendus est idealismus purus, prout adstruit conceptus qui prorsus abstrahunt a rebus ad quas referantur; idealismus etiam mitigatus reprobandus est.

18. **Status quaestionis**. — Haec thesis vera conclusio dici potest principiorum, quae antea statuimus, quaeque proinde fundamentalia dicenda sunt.

Idealistae ii vocantur, qui solam *ideam* seu conceptum mentis nostrae agnoscunt. Et quamvis ipsi antiquissimi dicendi sint iam ex Aristotelis aetate. Medii Aevi tempore nova forma floruere, et *Nominalistarum* et *Conceptualistarum* nomine appellati sunt, de quibus tamen in capite sequenti sermo erit. Hic directe reiicimus idealistas recentiores, qui ex Kantii principiis suas mutuarunt conclusiones, et eo devenerunt ut nullam inter conceptus nostros et res, ad quas ipsi referendi essent, relationem agnoscere vellent.

Kant enim dicit: *a*) duos esse fontes cognitionis nostrae: *intuitionem* et *conceptus*. Prior est capacitas recipiendi impressiones ex obiectis, (Die Receptivität der Eindrücke), per quam proinde obiecta nobis praesentia fiunt: alter est facultas qua, mediantibus istis impressionibus, eadem cognoscuntur, seu cogitantur ut repraesentata (Spontaneität der Begriffe).

b) Ambo tamen sunt aut *puri* aut *empirici*. *Empirici*, si sensatio seu impressio, quae necessario supponit praesentiam obiecti, in eis continetur; *puri*, si nulla impressio commiscetur illis repraesentationibus. Ista impressio potest vocari *materia cognitionis* sensibilis (1).

c) Intuitio igitur pura importat solas illas formas sensiles, sub quibus aliquid percipitur, et conceptus purus solas illas formas apprehensionis alicuius obiecti in communi (2).

(1) « Unsre Erkenntniss entspringt aus zwei Grundquellen des Gemüths, derer die erste ist, die Vorstellungen zu empfangen (Die Receptivität der Eindrücke), die zweite, das Vermögen durch diese Vorstellungen einen Gegenstand zu erkennen (Spontaneität der Begriffe); durch die erstere wird uns ein Gegenstand gegeben, durch die zweite wird diese, im Verältniss auf jene Vorstellung (als blosse Bestimmung des Gemüths) gedacht. Anschauung und Begriffe machen also die Elemente aller unserer Erkenntniss aus, so dass weder Begriffe, ohne ihnen auf einige Art correspondirende Anschauung, noch Anschauung ohne Begriffe ein Erkenntniss abgeben kann... » (p. 81).

(2) Ea autem, ut alibi ait, nequit per sensus percipi, nisi adsit in eis quaedam forma, quae diversas impressiones in unam synthesim componat. Huiusmodi formae pro sensibus sunt duae: *forma spatii* et *forma temporis*. Pro intellectu sunt duodecim, quae constituunt diversas categorias (v. *Dialectica* n. 107) et inserviunt ad coniungendas in illas diversas unitates intuitiones a sensibus receptas.

Eius vero asseclae, logice omnino, reiicierunt primum fontem, unice in altero sistendo non agnoscentes nisi tantum conceptus, qui proinde nullam ad res relationem praeseferunt. Semel enim admissa eorum existentia independenter a rebus, a quibus determinarentur, facile erat inferre, eos nullam exhibere relationem ad res, neque coniungi posse cum phaenomenis per sensus perceptis. Ita plenus habitus est idealismus quem priores eius discipuli professi sunt, et ad ultimas deduxere conclusiones praesertim Fichte, Schelling et Hegel aliique omnes sive inter Germanos quam inter Gallos et Italos, inter quos eminent Benedictus Croce et Ioannes Gentile (1).

19. **Duplex idealismus** tamen praecipue distinguendus est quorum uterque multis diversisque formis propositus reperitur; alter *purus* seu *rigidus*, alter vero *mitigatus*. Iamvero uterque ortum habet ex diversis quaestionibus quae agitantur circa originem cognitionis tum sensitivae tum intellectivae praesertim quoad conceptus et iudicia universalia. Ac proinde opportunis locis examinatur ac disiicitur, quum huiusmodi quaestiones solvuntur sive in logica sive in psychologia. In praesenti doc-

« Intuitio nequit esse nisi sensibilis, ipse ait. Facultas vero cogitandi obiecta, quae repraesentantur per perceptionem sensibilem est intellectus. Utraque facultas est aeque necessaria. Nam sine sensatione nullum obiectum nobis praesens fieret, et sine intellectu nihil posset concipi. Conceptus sine obiectis sunt vacui (vuoti), intuitio sine conceptibus est caeca. Est igitur aeque necessarium reddere conceptus sensibiles, (coniungendo per illas formas in unam synthesim obiecta per intuitionem repraesentata) et reddere intuitiones intelligibiles (eas reducendo ad conceptus)... Nequit vera cognitio efflorescere, nisi ex eorum unione.

Aesthetica est scientia, quae tradit regulas sensationum, inspiciendo illas duas formas sensiles; logica tradit regulas conceptuum intellectus, inspiciendo illas 12 formas in mente existentes.

d) Logica dispescitur in generalem et particularem, prout tradit praecepta communia aut particularia... Sed logica generalis est aut pura aut applicata. In priori nos abstrahimus ab omnibus empiricis conditionibus, quibus intellectus exerceri potest, e. g. ab influxu sensuum, phantasiae, memoriae, habituum, inclinationis propriae, ac proinde ab iis omnibus, quae secum praeiudicia afferre possunt, et in genere ab omnibus causis, ex quibus oriri posset quaedam cognitio vera aut existimata, quia haec omnia spectant intellectum prout quibusdam circumstantiis applicatur; ad quod requiritur experientia.

Logica generalis et pura non spectat nisi principia a priori: est quidam canon intellectus et rationis, unice respiciens formas illas in mente existentes, quicquid sint ea, quae per istas ad unitatem redigantur, et earum obiectum materiale constituunt.

e) Oportet igitur in logica generali penitus dividere partem, quae constituit theoriam purae rationis (die reine Vernunftlehre), ab ea, quae logicam applicatam spectat. Prior est vera scientia, quamvis brevis et arida, quantum requiritur ad habendam scholasticam expositionem elementaris theoriae de intellectu. »

(1) Cfr. *Gregorianum*, A. IV, Vol. IV, f. 3, p. 431-464, et f. 4, p. 517-556: « *Teorie Idealistae* » ubi fuse exposui et expendi doctrinam a Gentile propositam.

trinam tantum generalem et omnibus idealistis communem reiicimus, prout ea vel nullum obiectum agnoscit ab ideis distinctum, vel tantum existentiam subiecti cogitantis aut phaenomenorum tuetur. Prior vocari solet etiam *idealismus monisticus*, qui prout nostra aetate iuxta suas ultimas logicas consequentias defenditur, est potius *monismus idealis*, quia unum tantum ens agnoscit, nempe *ideam* seu *conceptum*, qui omnia producit et cum omnibus identificatur in ordine ideali, quin unquam referatur ad obiectum aliquod distinctum ab ipsis. Et haec est ultima forma idealismi recentiorum, quae proinde distinguitur a *monismo reali* aliorum, qui saltem agnoscunt *ipsum subiectum cogitans* ut aliquod ens reale, quod diversos gignit conceptus, qui pariter nullam repraesentant rem realem et vocatur *Solipsismus*, prout agnoscit *solum ipsum ego* cogitans (1).

Alter vero idealismus agnoscit saltem conceptus nostros referri ad res immateriales, ac proinde negat cognitionem rerum sensibilium et etiam proprii corporis, et vocatur *Immaterialismus* seu *Idealismus acosmisticus*: praecipue defenditur a *Berkeley*, cui viam paravit *Malebranche*, uti monstrabitur in psychologia, quum sermo erit de origine conceptuum. Vel saltem agnoscit referri ad *phaenomena*, quae afficiunt sensus nostros, uti praesertim docet Kant, et habetur *idealismus phaenomenicus*.

Unde iuxta eos omnes nullae dantur res reales a conceptibus seu ideis vel saltem a subiecto cogitante distinctae, sed eaedem intantum sunt inquantum percipiuntur, iuxta principium a Berkeley statutum: *esse est percipi*: quod proinde uti prorsus falsum modo reiiciendum est.

20. **Prob. I p.** — Et primo contra Kant advertimus, rite agnoscendo duos illos cognitionis fontes, quos ipse fatetur, minime tamen admitti posse conceptus puros qui ad nullum referantur obiectum. Ipse revera eos primo assumit tamquam hypothesim ac dein sine ulla demonstratione uti ratos atque realiter in nobis existentes admittit. Atqui ipsi prorsus reiiciendi sunt utpote neque de se evidentes, nec ullo argumento ii suaderi possunt, atque prorsus inutiles, nisi etiam repugnantes dicendi sunt. Ergo.

Pr. m. — 1) Quod huiusmodi conceptus non sint de se evidentes, vel ex eo patet, quod idem Kant non audet eos ut tales fateri, quia primo eos ut hypothesim tantum assumit; et item confirmatur, quia omnes philosophi, qui ipsos scrutati sunt, eos ignoraverint. — 2) Argumenta vero quae

(1) Cfr. W. James - *Principles of Psychology* - London a. 1902, T. II, p. 318.

ipsos suadeant, nulla adsunt, cum ipse ea non afferat, sed simpliciter asserit, eos esse necessarios ad explicandam nostram cognitionem, ideoque ut hypothesis tantum admitti possent; quae tamen — 3) reiicienda est, quia est prorsus inutilis, nam, uti videbimus, cognitio nostra optime sine eis explicatur, cum eis autem nullo modo explicari potest, cum ipsi nullam exhibeant relationem ad res cognoscendas, imo — 4) repugnare etiam dicendi sunt; quod praestat magis directe demonstrare.

Et sane huiusmodi conceptus, uti Kant ait, sunt *puri actus simplicis cogitationis* (*bloss Handlungen des reinen Denkens*), qui nempe unice efformantur a nostra mente, quin ullo modo a rebus hauriantur, sed forte inservire possunt ut ad eas *a priori* referantur. Porro *a*) huiusmodi conceptus non ii sunt, quos communiter homines agnoscunt, uti satis colligitur ex iis quae iam explanavimus et ex ipso communi hominum sensu; — *b*) non habent *causam adaequatam*, a qua produci queant, dicuntur enim effectus *solius activitatis* mentis nostrae. Atqui mens nostra nullum actum ponere valet, nisi prius determinetur a rebus cognoscendis, uti experientia aperte docet; — *c*) tandem nullo modo ad res referri possunt. Ipsi enim sunt ignotum quoddam X in mente nostra existens: at quî fieri potest, ut ad rem aliquam externam referantur? qua ratione determinantur ad hanc potius quam ad illam? Quinam est ille pons, de quo tam solliciti sunt philosophi ad coniungendos conceptus nostros cum rebus externis? Hoc fieri deberet caeco modo per formas quasdam in nobis existentes, quas Kant adstruit at omnes ignoramus. Atqui hoc certe repugnari dicendum est, quia tunc habetur *cognitio caeca, seu visio non videns*. Ergo.

Praeterea ipse Kant sibi contradicit, quum doctrinam doceat, quae ad idealismum ducit et simul principia statuit ad ipsum refutandum. Ipse enim hoc statuit principium: « Pura consecutia meae propriae existentiae, sed quae est empirice determinata, demonstrat existentiam obiectorum in spatio extra me ». Atqui nunc assumere possumus, consecutiam non posse hoc demonstrare, nisi certo supponatur, conceptus nostros essentialiter referri ad res ab eis distinctas. Ergo. - Pr. m. - Consecutia testatur existentiam obie-

ctorum extra me in spatio per aliquem conceptum *intuitivum* ut ipse Kant ait), habitum per immediatam experientiam seu *intuitionem* Anschauung), qui repraesentat me uti distinctum ab aliis obiectis, quae proinde in diversis spatiis collocat. Ergo per conceptum obiectivum. Atqui huiusmodi conscientiae demonstratio, vel potius testimonium, nullum haberet valorem, nisi supponeretur, conceptus nostros essentialiter referri ad res a se distinctas. Ergo principium a Kant statutum aut nostram thesim uti certam praesupponit, et ita efficax evadit ad idealismum effugiendum, aut istam negligit, et tunc nihil potest evincere, ac necessario in idealismum, quem ipse reprobat, concedendum erit.

21. Nunc contra *idealistas* omnes fere eodem modo arguere licet. Conceptus, quos ipsi adstruunt, non sunt nisi figmentum mentis nostrae, vel, ut iidem aiunt, *pura activitas nostri intellectus*, qui nullo modo a rebus determinatur ad eos producendos, nec eos ullo modo refert ad res a se ipsis distinctas. Atqui huismodi conceptus non ii sunt, quos omnes homines agnoscunt, quando de iis loquuntur, eorumque valorem inquirunt, sed pura adinventio idealistarum. Ergo.

Praeterea conceptus producti ab intellectu, independenter a rerum determinatione, non possunt ad res ullas referri, uti puri idealistae ultro concedunt. Adeoque per eos nihil cognoscitur; quippe qui non sunt nisi pura activitas intellectus, quae in nullum finem tendit. Atqui tunc omnis destruitur cognitio, et daretur activitas sine termino, imo etiam sine causa proportionata a qua produceretur, quae omnino repugnare dicenda est. Ergo.

Insuper huiusmodi conceptus, si existeret, non posset cognosci. Ipse enim: deberet esse aliquod ens, et tunc intellectus cognoscendo ipsum iam referretur ad aliquid a se distinctum. Sed praeterea qui in dubium ponit, utrum conceptus rerum externarum aliquid reale exhibeant, debet, si velit consequenter loqui, etiam dubitare, utrum conceptus sui necnon conscientiae sui ipsius aliquid reale exhibeat. Quinimmo ei dubitandum quoque esset, utrum ipse idem conceptus sit aliquid reale, quoddam *absolutum*, *noumenon* quoddam. Idealista ergo nihil reale neque conceptum ipsum co-

gnoscere et affirmare potest, quem ad purum putumque nihilum reducat oportet, in quod tandem idealismus incidat necesse est, si logice et consequenter procedere velit. Idealismus igitur existere non potest, quin seipsum interimat, sese defendere non valet, quin simul se iterum reiiciat, nequit aliquid affirmare, quin illud ipsum et cetera omnia neget.

Tandem omnibus in comperto est ac prorsus indubium, nos habere notionem obiecti *externi* a nobis realiter distincti, ac prorsus independentis et in seipso existentis; idealismus vero rigidus uti prorsus falsam reiicit hanc notionem. Atqui doctrina quae opponitur notioni certae, clarae et evidenti apud omnes homines, reiicienda est uti falsa. Ergo 1).

Item confirmatur ex Le Roy. Iuxta ipsum conceptus acquiruntur per reflexionem. Atqui, ut idem ait, « omnis reflexio supponit aliquid, sicut omnis cognitio contemplativa supponit obiectum praeexistens, et discursus analyticus intuitionem antecedentem. Imo ipsa vox *reflexio*, hoc indicat: quia reapse exprimit reditum super aliquid antea positum » (1). Ergo haberi nequit ullus conceptus, nisi habeatur aliquid antea positum. Hoc autem non est nisi obiectum aliquod ad quod intellectus redit per suum conceptum. Ergo.

22. **Prob. II p.** — Idealismus mitigatus in eo a priori distinguitur, quod agnoscit aliquid aliud praeter ipsum conceptum, aut nempe entia immaterialia, aut aliquod phaenomenon aut saltem subiectum cogitans, at simul negat posse cognosci subiectum aliquod reale materiale ac sensibile distinctum a subiecto cogitante. Atqui huiusmodi etiam idealismus reiiciendus est. Nam eadem ratione qua conceptus dicitur referri ad ens immateriale aut ad phaenomenon, ad subiectum quoque materiale in se realiter subsistens certe referri potest. Imo eo ipso quod agnoscitur phaenomenon a concepto di-

(1) Conantur quidem uti, *Hume, Fichte, St. Mill, Taine*... per diversas vias ostendere, quomodo oriatur in nobis huiusmodi notio, sed prorsus frustra, uti monstrabitur in psychologia.

(1) « Toute réflexion suppose un donné... toute vue contemplative un objet préexistant, toute analyse par discours une intuition antécédente... Le mot même de *réflexion* l'indique: il exprime en effet un retour sur une position antérieure, prise, une fois effectuée, pour objet » (*Soc. Franc. de Phil.* 25 février 1904, n. 158).

stinctum afficiens sensus, agnosci debet subiectum materiale reale, a quo ipsum oriatur: haberi enim nequit affectio sensuum, nisi res quaedam materialis adsit eos afficiens. Idealismus ergo moderatus aut in purum idealismum incidat necesse est, aut sibimetipsi omnino contradicit. Et ideirco ii omnes qui Berkeley et Kantii doctrinam secuti sunt, agnoscentes vel tantum entia immaterialia, vel phaenomena a conceptibus distincta, deinceps in purum idealismum prolapsi sunt, quem unum modo idealistae omnes sequuntur.

At cum huiusmodi idealismus ortum praesertim habuit ex difficultatibus, quae offenduntur in explicanda ratione, qua obiecta materialia realia valeant sensus afficere; haec quaestio penitus absolvetur tum in capite sequenti, tum praesertim in psychologia, ubi huismodi difficultates directe expendentur ac resolventur. Modo tamen quasdam tantum dissolvere iuvat.

23 **Obiicies**. I. Conceptus mentis nostrae sunt absoluti, aeterni, immutabiles. Atqui si referuntur ad res essent relativi, mutabiles. Ergo. — *R. D. M.;*... sunt *prorsus absoluti* et *positive* aeterni et immutabiles. *n.; secundum quid* absoluti et *negative* aeterni et immutabiles, *c.* — *Contrad. m.* — Hoc videtur praecipium idealistarum argumentum.

Dicunt enim philosophum versari circa conceptus absolutos, immutabiles, aeternos, eique proinde abstrahendum esse a vulgari modo concipiendi, quo homines referuntur in suis cognitionibus ad res huius mundi contingentes, mutabiles, singulares. Iamvero hoc ipsum eorum fundamentale principium omnino impugnandum esse censemus. Philisophia enim est *scientia rerum* per causas ultimas. Et quamvis haec scientia acquirenda sit per conceptus universales, aeternos, necessarios, per eos semper ad res referri debemus. Et si forte difficultas adsit in explicando quomodo per huiusmodi conceptus ad res contigentes ac singulares referri valeamus ac de eis scientiam instituere, curandum est hanc difficultatem expendere ac solvere; at minime licet inferre non posse dari scientiam de rebus. Hoc enim idem esset ac dicere, nullam haberi posse scientiam vel philosophiam, et eam quam idealistae adstruunt non esse scientiam rerum, sed castellum quoddam aereum tantum ideale, ad nihil inserviens.

Quomodo autem conceptus sint negative aeterni et immutabiles, melius explicabitur, quum sermo erit de conceptibus universalibus.

II. Idealistae non opponuntur experientiae sed ab ea praescindunt. Atqui tunc ipsi non sunt improbandi. Ergo. — *R. D. M.;*

non opponuntur *directe*, *c.;* neque indirecte et implicite, *n.* — *Contrad. m.;* si nullo modo opponerentur, *c.;* si saltem indirecte opponuntur, *n.* — Et primo dicimus, vel ex eo tantum quod ipsi praescindunt ab experientia, peccant, quia, uti videbimus diserte tum in logica tum in psychologia, omnis nostra cognitio incipit a sensibus ideoque ab experientia.

Qui proinde ab ea praescindit, eam implicite negat et, quod peius est, viam sibi praecludit ad omnem scientiam, unde cogitur recurrere ad conceptus vanos, qui ad nullam rem referuntur, uti faciunt idealistae, qui proinde damnandi sunt utpote qui veram destruunt scientiam ex eo potissimum, quia ab experientia praescindere statuunt.

III. Nihil est admittendum quod non demonstretur. Atqui qui asserunt conceptus referri ad res aliquid admittunt quod non demonstratur. Ergo.

R. I. N. prorsus M. — sufficit enim recolere quod diximus de origine ratiocinii (Dial. n. 127) ut falsitas antecedentis appareat. Et mirum videri debet, quam leviter ipsum a recentioribus proferatur, quasi novum et fundamentale inventum scientiae modernae. Veritas sane est in iudicio, et demonstratio tunc tantum requiritur, quum quis non valeat statim et immediate videre, utrum possit aliquod iudicium enunciare, et mediantibus aliis iudiciis debet lucem mutuare, ut hoc videat. Quare demonstratio est veluti lux artificialis, quae tunc duntaxat affertur, quum lux naturalis deest. Et ideo sicut absurde diceretur: neminem posse videre sine luce artificiali, quum primo et per se habeatur lux naturalis; ita absurde dicitur: nihil posse admitti sine demonstratione, quum primo et per se habeatur immediata evidentia, qua quis statim adducitur ad iudicium efformandum (1). Quapropter *resp* 2° — *D. M.:* si veritas iudicii evidenter apparet, *n.;* si non evidenter apparet, *c.;* — *Contrad. m.* Et distinctio patet ex nuper declaratis.

IV. Si conceptus essent essentialiter rerum imagines, nunquam possent esse falsi. Atqui saepe falsi sunt. Ergo. — *R. D. M.:* conceptus simplices, *c.;* conceptus compositi, *n.;* — *Contrad. m.* — Si conceptus compositi habentur, qui falsi sint, hoc ideo est, quia prius praecessit iudicium quoddam falsum. Atqui thesis nostra spectat puros ac simplices conceptus. Ergo nihil potest contra eam argui.

V. Id, quod est verum, non potest esse causa controversiarum et errorum. Atqui retinere conceptus ut immagines rerum est

(1) Et revera ipse Le Roy hoc idem agnoscit asserens (S. F. Ph. 25 février 1904, p. 155): « Au debut de la philosophie, il faut un point de départ indiscutable... Ce doit être une affirmation évident par soi, une affirmation qui se suffise et ne présuppose rien, qui contienne sa preuve ». Et hoc praecise dicendum est de principio quod hic affirmamus. Le Roy tamen non vult in hoc nobiscum convenire ratione illius difficultatis, quam expendimus in ultima obiectione proposita in thesi.

causa omnium controversiarum et errorum. Ergo (1). — *R. D. M.:* non potest esse causa per se, *c.;* neque per accidens et ex pravo hominum abusu, *n.* — *Contrad. m.*, — Sed revera minor posset simpliciter negari, quia, uti iacet, est prorsus falsa. Errores enim non ex eo ortum ducunt, quod conceptus sint imagines rerum, sed potius ex eo, quod male componuntur, et ita compositi non ea repraesentant, quae asseruntur repraesentare. At praeterea quis ignorat, posse homines perperam abuti ut de facto abutuntur tot veritatibus certis ad errores defendendos? sequiturne, eas non esse admittendas?

ARTICULUS II.

DE EXISTENTIA CERTITUDINIS.

24 **De Variis mentis Statibus.** — Veritas cognitionis in intellectu nostro non semper eodem invenitur modo. Siquidem, ut in seq. capite monstrabitur, ea *plene* ac *perfecte* non reperitur nisi in iudicio componente ac dividente: ita ut quum intellectus perfectiones cognitas inter se componat aut dividat, quae in rebus ipsis eadem ratione compositae aut divisae reperiantur, eius cognitio vera est, secus erit falsa. Iamvero quando intellectus, hanc comparationem vel divisionem peragendo, *videt etiam* eam adaequari rebus, tunc dicitur habere *certitudinem*. Quae proinde est *status mentis, in quo ipsa plene videt suam cognitionem esse veram.*

At non semper mens nostra ad hunc statum pervenit; saepe enim, quum aliquod iudicium promere aggreditur, in initio anceps haeret, seu dubium ei occurrit de opposito; vel postquam illud pronuntiaverit, deprehendit illud esse falsum. Hinc diversi exurgunt status, in quibus mens reperiri potest, qui ad tres revocari possunt: *ignorantiae* vel *erroris, dubii,* et *certitudinis;* quibus accedit status *probabilitatis*, qui medius est inter secundum ac tertium.

Ignorantia est: *status mentis, in quo nullum iudicium de rei veritate habetur.* Ipsa, ut advertit S. Th. (2), « in hoc a nescientia differt, quod nescientia dicit *simplicem scientiae negationem*..., ignorantia vero importat scientiae privatio-

(1) Ita Kant concludit in sua *Crit. rationis purae.*
(2) *S. Theol.* 1ª 2ae p., q. 76, a. 2.

nem, dum scilicet alicui deest scientia eorum, quae aptus natus est scire. Horum autem quaedam aliquis scire tenetur, illa scilicet sine quorum scientia non potest *debitum* actum recte exercere » — *Error* est : *status mentis, in quo ipsa apprehendit rem non sicut in se est* — *Dubium* est : *suspensio iudicii mentis inter utramque contradictionis partem;* et habetur (1) « quando homo non habet rationem ad alteram partem magis quam ad alteram : vel quia ad neutram habet, quod nescientis est; vel quia ad utramque habet sed aequalem, quod dubitantis est : et tunc nullo modo assentit, cum nullo modo determinetur eius iudicium, sed aequaliter se habeat ad diversa ». Sed usitatius dici solet dubium *negativum*, quando mens nullam habet rationem pro utraque parte (at utramque saltem cognoscit) : *positivum*, quando aequales habet rationes.

« Quando vero ratio quae movet ad alteram partem neque sufficit ad intellectum terminandum, quia non resolvit conclusiones in principia per se nota : neque sufficit ad voluntatem terminandum, ut bonum videatur illi parti adhaerere, tunc homo *opinatur* illud, cui adhaeret, et non terminatur intellectus ad unum, quia semper remanet motus ad contrarium : accipit enim unam partem *cum formidine alterius* etc » (2). Est ergo *opinio* « *actus intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius* (3).

Quandoquidem igitur « de ratione opinionis est ut accipiatur unum cum *formidine alterius* » (4) videndum, quid sit *formido*. *Formido* per se idem est ac *timor*, seu passio *appetitus* orta ex apprehensione mali alicuius imminentis. Quare *formaliter* formido ad intellectum non spectat. Dicitur tamen esse in intellectu causaliter, quatenus nempe in intellectu *adhaerente* alicui parti contradictionis est cognitio de periculo errandi. « Opinio enim, ut acute notat S. Th. (5), est de uno ad duo, est enim de principiis ad conclusionem cum formidine alterius : et sic sunt ibi tria, principium et duae conclusiones, *una conclusa* et *alia formidata* ».

Praeterea recenseri solet *suspicio* tamquam aliquid medium

(1) In III *Sent.* D. 23, q. 2, a. 2.
(2) Loco cit. in III *Sent.*
(3) *S. Theol.* 1. p., q. 79, a. 9, ad 4.
(4) *S. Theol.* 1a 2ae p., q. 67, a. 3.
(5) In I. *de Anima* 1, 4.

inter dubium et opinionem (1). Ea definiri potest: *propensio quaedam ad iudicandum consequens motivorum apprehensionem, quae tamen insufficientia sunt.* Quare differt ab opinione, quia haec est iudicium quoddam, quamvis non firmum; suspicio vero est mera inclinatio ad iudicandum.

25. **De Probabilitate.** — Quum motiva, quae opinionem gignunt, menti innotescunt, sententiae *probabilitatem constituunt.* Quare opinio probabilis est: *assensus mentis in alteram contradictionis partem, innixus motivo gravi non tamen omnino firmo ad omnem formidinem de alterius veritate expellendam.* Quare haec vocari solet *opinio prudens;* sin vero *motivum* non est *grave* sed *leve*, vel si assensus praebetur, non considerato vel despecto omni motivo, tunc adest *opinio imprudens.*

Etenim, uti scite arguit Tongiorgi n. 400, « quum certitudo haberi nequit, id solum dici meretur approbatione dignum, quod viri prudentis assensum sibi vindicare potest. At vir prudens non levi quocumque momento trahi se sinit ad assensum, sed grave requirit. Grave autem motivum illud censeri debet, quod, etiamsi errandi formidinem non omnino excludat, nihilominus et in se vim habet sufficientem ad rem confirmandam, et oppositas rationes apte solvit.

Porro quum ipsa motiva gravia diversa esse queant, diversamque vim sibi vindicare ad movendum intellectum ad assensum, consequitur ex eorum comparatione, quaedam sententia dici *probabilior*, alia *minus probabilis*, alia *probabilissima*, alia *vix probabilis.* Quae sententia gravi destituitur motivo, et contra se habet probabilitatem omnino maximam, *dicitur improbabilis.*

Ceterum in aestimanda sententiarum probabilitate, haec attendi debent:

1° Non idem esse *probabile* ac *possibile.* Aliud enim est quod res esse possit, aliud quod actu sit. Multa enim sunt certo possibilia, quae tamen improbabilia sunt, imo certo falsa.

2° Probabilitas alia *absoluta* est, alia *relativa.* Probabilitas absoluta continetur vi motivorum tali, quae, humanae mentis ac voluntatis natura generatim considerata, possit ad assensum prudentem movere: probabilitas relativa est vis motivorum, prouti individuum magis vel minus afficit. Motiva autem eadem unum individuum magis afficiunt quam alterum, et idem individuum diversimode afficiunt pro circumstantiarum varietate, ut patet experientia.

3° Hinc quando discrimen opinionum est, eademque sententia huic probabilior est, alteri minus probabilis, nemo potest asserere sententiam suam esse absolute et in se probabiliorem, sed solum probabiliorem sibi videri. Absolute probabile id solum aestimari poterit, quod vel omnibus, vel pluribus, vel sapientissimis probabile videtur.

(1) Cfr. S. *Theol.* 2a 2ae p., q. 2, a. 1.

4° Iudicium de opinionum controversarum probabilitate natura sua mutabile est. Hoc quoque experientia demonstrat.

5° Omnis propositio probabilis, etiamsi probabilissima sit, falsa esse potest. Secus non probabilis esset, sed certa. Hinc ex eo quod unam sententiam amplecteris ut probabilem, aut etiam probabiliorem, vel probabilissimam, non potes oppositam ut plane falsam reiicere.

6° Hinc patet et opinionem prudentem posse esse erroneam, et opinionem imprudentem posse esse cum veritate coniunctam.

7° Quum binae propositiones oppositae sunt vere probabiles, si alterutra ex iis, seu relative seu etiam absolute, probabilior sit, non ideirco oppositae probabilitatem destruit.

8° Cessat omnis propositionis probabilitas, quum oppositi veritas fit certis argumentis evidens. Hinc effatum illud: *Praesumptio cedit veritati*».

Omissis, brevitatis gratia, ceteris, quae istos status respiciunt, ad certitudinis naturam rite perspiciendam deveniamus. Et primo eius definitio explicanda.

Thesis V.

Certitudo recte cum S. Th. definitur: « Firmitas adhaesionis virtutis cognoscitivae in suum cognoscibile vel determinatio intellectus ad unum » (1)

26. **Declaratur.** — Re quidem vera, certitudo, ut ex communi loquendi usu patet, est status, in quo cognoscitiva virtus immobiliter quiescit. Sed omnis res tunc quiescit, quum finem, ad quem ipsa naturaliter tendit, adipiscitur, in quo proinde firmum nanciscitur statum. Finis vero virtutis cognoscitivae est cognoscibile proprium seu cognitio proprii obiecti. Ergo quando virtus cognoscitiva coniungitur, seu firmiter adhaeret suo cognoscibili, tunc habetur certitudo i. e. *determinatio ad unum*, in quo immobiliter sistit, tamquam in suo proprio fine.

Praestat nunc quaedam addere corollaria, quae ex hac definitione fluunt, et ipsam rationem certitudinis melius nobis aperiunt.

27. **Corollaria.** — I. Quare *certitudo est veritas cognita*. Tunc enim adest veritas, quum intellectus obiectum percipit uti in se est, et ita eius cognitio est rei adaequata. Quum ipse autem

(1) In III *Sent.*, D. 26, q. 2, a. 4.

videt seu cognoscit, se habere hanc adaequationem, i. e. illam cognitionem esse rei adaequatam, tum in ea quiescit, seu habet certitudinem. Ac proinde quum veritas formaliter est in intellectu cognoscente et tribuitur rei, idem de certitudine dicendum. Ad rem S. Th. (1) « Certitudo essentialiter quidem invenitur in vi cognoscitiva; participative i. e. per analogiam attribuitionis) autem in omni eo, quod a vi cognoscitiva movetur infallibiliter ad finem suum. Secundum quem modum dicitur quod natura certitudinaliter operatur ». Et alibi : (2) « Cognitionis certitudo est, quando cognitio non declinat in aliquo ab eo, quod in re invenitur; sed hoc modo existimat de re sicut est. Et quia certa aestimatio habetur de re praecipue per causam rei, ideo tractum est nomen certitudinis ab ordine causae ad effectum, ut dicatur ordo causae esse ad effectum certus, quando causa infallibiter producit effectum ».

II. Ergo certitudo non est aliquis actus distinctus ab eo, quo veritas cognitionis habetur; sed est modus intrinsece afficiens ipsum actum cognitionis. Quapropter quum cognitio perfecta est, quando nempe habetur sine abstractione, ut in Deo et Angelis, tunc statim ac obiectum proponitur facultati cognoscitivae, perfecte ab ea cognoscitur, quae ideo firmiter adhaeret huic cognitioni. Et ideireo omnis cognitio in Deo et Angelis est certa. In intellectu autem humano, quum cognitio fieri contingat per abstractionem et ideo imperfecta sit, non semper certitudo sequitur cognitionem. In simplici enim apprehensione intellectus, apprehendens nudam rei quidditatem, abstractam ab esse aliisque formis, cognitionem habet imperfectissimam. Et consequenter, licet coniungatur cum suo cognoscibili, eique firmiter adhaereat, nondum habet certitudinem; quia illud cognoscibile est valde imperfectum, in quo nullo pacto quiescere potest, ideoque nullum habet statum firmum, qui certitudinis proprius est. In iudicio tantum componente et dividende, in quo uno perfecta cognitio reperitur, certitudo haberi potest.

Ergo certitudo pro intellectu humano est firmitas adhaesionis alicui enunciabili, inquantum intellectus perfecte cognoscit aliquod praedicatum convenire vel non convenire subiecto, prout in ipsa re invenitur. In sensibus tandem quum perfectio cognitionis media sit inter simplicem apprehensionem et iudicium, etiam certitudo media est: ita tamen ut nunquam haberi possit in actu reflexo (qui non habetur in sensibus), sed tantum in actu directo, in quo etiam non est signate sed simpliciter exercite, inquantum sensus perfecte determinatur ab obiecto ad cognoscendum, eique firmiter adhaeret. Sed cum sensus non cognoscat sui adaequationem cum re, ideo ex hoc capite formalis ratio certitudinis in eo deest.

(1) *S. Theol.* 2a 2ae p., q. 18, a. 4.
(2) *De Verit.* q. 6, a. 3.

III. Ergo recte certitudo dividitur in *subiectivam* et *obiectivam*. Illa est ipse actus cognoscitivus, quo cognoscens perfecte aliquam veritatem percipit eique adhaeret, et est proprie certitudo *formalis*. *Obiectiva* vero est res ipsa seu obiectum, quod apprehenditur perfecte a cognoscente, eique materiam et causam praebet certitudinis subiectivae. Quare aliquando dicitur quis habere certitudinem subiectivam non autem obiectivam, quando firmiter adhaeret alicui falsitati: quia ille actus firmus, sicut et falsitas, non causatur a materia obiecti, sed a voluntate, uti patebit ex dicendis. Pariter sicut res dicitur vera non solum causaliter, sed ontologice, ideo agnoscenda est certitudo obiectiva ontologica, quae definiri potest: *necessitas ipsius entitatis alicuius rei*. Necessitas, inquam, sive absoluta sive hypothetica, quia nulla entitas rei est ita contingens, ut non evadat ex aliqua suppositione necessaria.

28. IV. Ergo certitudo formaliter sumpta « alia non est quam connexio intrinseca actus (cognoscitivi) cum obiecto » (1). Ista enim intrinseca connexione posita, iam cognoscens gaudet illa firmitate ac quiete, quae de ratione certitudinis est.

Dices: cum Ripalda ib. « Veritas et certitudo sunt cognitionis proprietates diversae. Veritas autem consistit in connexione cognitionis cum obiecto vero. Ergo certitudo » in ea non est — *R. D. M.;* omnino diversae *n.;* ita ut altera sit generica altera vero specifica *c.;* — *D. m.;* in connexione quae est simplex conformitas cum re *c.;* in connexione intrinseca quae est firma et stabilis *n.* Scilicet veritas est proprietas cognitionis, ut ita dicam, generica, quae in diversas dispescitur quasi species saltem analogas, secundum diversos status, in quibus cognoscens in acquirenda veritate reperitur. Quare simplex cognitio adaequata rei est veritas, si autem ista cognitio perfecta est, et ideo cognoscens, per actum cognitionis intrinsece cum re coniungitur, quatenus hanc adaequationem cognoscit, eique firmiter adhaeret, habetur veritas certa seu certitudo; secus vel probabilitas, vel aliquid aliud, ut dictum est.

V. Hinc colligis, quaenam sint conditiones necessario praerequisitae ad certitudinem habendam, quaenam partes essentiales ipsam constituentes. *Prima* enim *conditio* praesupponenda est principium hoc, quod intellectus noster factus sit ad cognoscendum verum. *Secunda* est, quod res in se sit cognoscibilis non solum potentia sed etiam actu. *Tertia* est, quod intellectus possit pervenire ad hunc finem, in quo suam quietem invenit.

Partes vero *essentiales* certitudinis hae sunt: *Prima est cognitio*, qua cognoscibile prout est in se cum cognoscente coniungitur, inquantum est causa cognitionem determinans, et velut ingreditur seu inhaeret cognoscenti: haec pars vocari solet

(1) Ripalda, *de Fide div.* d. 11, s. 2.

inhaesiva; et ex ea oritur *exclusio erroris.* Altera est intrinseca connexio seu firma adhaesio cognoscentis in obiectum cognitum, et haec pars vocari solet *adhaesiva*, qua cognoscens adhaeret per actum cognitionis obiecto; et habetur *exclusio formidinis*: haec licet praesupponat priorem, est tamen principalior quam ipsa.

Quare de essentia certitudinis *per* se est tum exclusio erroris, tum exclusio formidinis. Aliquando tamen quis firmiter adhaeret alicui enunciabili, quod in se falsum est, et ita habet certitudinem, in qua est exclusio formidinis, non vero exclusio erroris. At vero hoc in casu aut intercedit imperium voluntatis, et tunc non habetur certitudo plena et perfecta, quia haec tunc adest, quando causatur ab ipsa certitudine obiectiva, quae est tamquam materia determinans illum actum firmum virtutis cognoscitivae: si voluntas non intervenit, tunc error nunquam *per se* habetur, sed tantum *per accidens*: imo in quodam enunciabili neque per accidens error esse potest, ut inferius explicabitur.

VI. Ergo semper ac habetur ista intima connexio cognoscentis cum cognito, habetur certitudo, ut ita dicam, generica, quae ideo dicitur esse *in indivisibili.* Sed nihil prohibet tamen, quominus dividi possit in diversas species secundum diversam materiam, quae illum determinat. Quum enim cognitio nostra non sit intuitiva sed abstractiva et deductiva, accidere potest ut quaedam veritas, quae deducitur ex aliquo principio, non praeseferat in se eandem necessitatem ac alia veritas, licet sit talis ut determinet firmum assensum cognoscitivae virtutis. Sed hoc melius explicabitur in thesi.

Hinc intelligitur distinctio, quam quidam adhibent inter elementum *negativum* et *positivum* certitudinis. Dicunt enim in certitudine elementum negativum esse exclusionem dubii, et est in indivisibili, elementum positivum esse adhaesionem mentis, et gradus admittit. Ut ipsa rite intelligatur, ita explicanda venit. Elementum *negativum* est ipse *actus adhaesionis mentis, prout formidinem excludit.* Elementum *positivum* est ipse idem *actus, prout fundamento seu motivo innititur*, cui mens ita adhaeret, ut formidinem excludat. Et hunc actus, priori modo inspectus, est in indivisibili, quia idem semper est: nempe actus adhaesionis sine formidine (saltem prudenti uti videbimus) de oppositio. Si enim omnem errandi formidinem semel excludit, nulla alia excludenda manet: si non omnem excludit, certitudo nondum adest. Altero modo potest gradus admittere, sicut omnis actus positivus facultatum nostrarum maior vel minor esse potest (1).

(1) Egregie ad rem Suarez, *De Fide*, Disp. 6, s. 37: « Licet certitudo per privationem explicetur, quam significat infallibilitas, nihilominus non consistit formaliter in privatione, sed in positiva perfectione, quae potest esse maior vel minor iuxta excellentiam actus et causarum eius » i. e. materiae, quae ipsam determinat.

Thesis VI.

Possibilis est, imo existit pro intellectu nostro status certitudinis; ac proinde reicienda est tum dubitatio universalis, tum dubitatio partialis quae non agnoscit saltem principia prima et indemonstrabilia.

29. **Existentia certitudinis.** — Intellectus noster tunc proprie dicitur possidere veritatem, quando statum certitudinis consequitur. Merito proinde quaeritur utrum huiusmodi statum consequi valeamus. Hic proprie loquimur de certitudine scientifica, quâ nempe veritatem possidemus cum plena et evidenti cognitione ipsius et motivorum, quae eam suadent. At quoniam huiusmodi cognitio saepe deest, et quandoque tantum apparenter adest, ideo nonnulli deduxerunt, eam nunquam haberi vel etiam impossibilem esse. Iis nomen scepticorum factum est.

30. **Scepticismi indoles et origo.** — Sceptici initio ii dicebantur qui in rerum veritatem inquirebant investigando in earum causas ac rationes; at paulatim eo devenerunt, ut assererent, has causas nunquam inveniri, nec inveniri posse; ac proinde intellectui nostro abstinendum esse ab omni assensu. Hinc distinguitur scepticismus *universalis*, qui *nulli* prorsus veritati assensum praestari posse tuetur: et *partialis* qui quibusdam tantum veritatum generibus assensum denegat. Et quoniam primum veritatum genus per experientiam habetur, primo scepticismus *empiricus* habitus est, qui dubia movebat de cognitione phaenomenorum rerum naturalium.

Horum scepticorum primus fuit *Heraclitus*, qui verum scepticismum non docuit sed eius fundamenta iecit, asserendo omnia esse in perpetuo fluxu. Schola *Eleatica* e contrario (*Parmenides*, *Zeno*, *Melissus*) absolutam omnium immobilitatem profitens, phaenomena, quae iugi mutationi sunt obnoxia, ad meras apparentias reducebat. Successerunt *sophistae*, duce *Protagora*, qui per cognitionem non res obiectivas exhiberi docuerunt, sed effectus quosdam ab homine percipiente productos; ac proinde Protagoras asserebat: *hominem esse mensuram rerum*. Item *Gorgias*, uti refert Sextus Empiricus (1), haec tuebatur principia; *a*) nihil omnino esse; *b*) etsi quid esset, nihil de eo cognosci posse; *c*) etiamsi quid cognoscere possemus, nihil de eo enuntiare valeremus.

Pyrro saec IV a. C. scholam proprie fundavit, *scepticam* appellatam, quae docebat, nec sensum nec intellectum aliquid certo de rebus docere posse, uti ex tot philosophorum contradic-

(1) Cfr. Sextum Emp., *Adv. Mathematicas*, VII, 65-86.

tionibus comprobatur, ideoque ab omni assensu abstinendum esse, et in huiusmodi retentione quaerendam esse animi quietem quae est unicum bonum possibile. Dein saec III *Academia media* seu tertia enata est, auctore praesertim *Carneade Cyrenense* una cum *Arcesilao*, quae nulla certitudinis fundamenta adstrui posse putavit; eo quod cognitio sensilis per se in ambiguo et dubio esset posita, nec proinde cognitio intellectualis, quae eam sequitur vera ac certa esse posset. Multa, inquiunt, videntur esse vera, sed reapse probabilia sunt sive ex parte, sive ex toto; atque adeo a sapiente approbari non possunt.

31. **Scepticismus posteriori aetate redivivus.** — Quum saec. XVI et XVII, derelicta et contempta philosophia antiqua, ingens in rebus philosophicis turbatio exorta esset, mirum non est, haud paucos ad scepticismi antiqui placita rediisse.

Et primo occurrit *Michael de Montaigne*, (1533-1592) qui, ut erat versatus in philosophorum scriptis, quum tot in eisdem sententias inter se pugnantes deprehenderet, eo devenit, ut de omni certitudine humana dubitaret, mentique potestatem assequendi veritatem denegaret. « Malum omnium maximum, inquit (in apologia Raimundi sabundini), hoc est, quod putant homines non solum, se habere cognitionem veritatis, verum etiam, se posse unquam ad eam pervenire.

Inter eos, qui Michaelis de Montaigne vestigia sequuti sunt, praecipuus numeratur eius amicus Petrus Charron.

Sed progressu temporis plures adhuc exorti sunt Sceptici, quorum nomina vel tantum referre longum est.

His tamen affines dicendi erunt illi, qui **Subiectivismum** tuiti sunt, qui totum *esse* rerum nonnisi ad solum *percipi* reducunt. Priores iam ab Arist. recensentur, qui « opinabantur, ut ait S. Th. (1), nihil esse *album* aut *nigrum*, nisi quando videtur; neque *saporem* esse, nisi quando gustatur; et similiter de aliis sensibilibus et sensibus. Et quia non credebant esse alia entia, nisi sensibilia, neque aliam virtutem cognoscitivam nisi sensum, credebant, quod totum esse et veritas rerum esset in apparere. Et ex hoc deducebantur ad credendum, contradictoria esse simul vera propter hoc, quod diversi contradictoria opinantur ».

Posteriori tempore potissimum *G. Berkeley* hunc subiectivismum restauravit, arbitratus, obiecta cognitionis nostrae nihil esse praeter affectiones subiectivas a Deo in nobis productas. Nihil generatim percipi posse nisi sensationes vel ideas; aperte ergo pugnantia simul componere eum, qui asserat, existere res praeter ideas. Atque hic subiectivismi error hodie latissime per plures eruditorum hominum sectas circumvagatur.

Scepticismo quoque affines sunt *Empiristae*, quippe negant,

(1) L. III, *de An.* l. 2.

ullam esse cognitionem proprie dictam praeter experientiam sensuum. Experientia, aiunt, percipi, quod unum iuxta aliud vel post aliud esse solet, non autem percipi nexum logicum ullum, quo unum ex alio consequi necesse sit, negant igitur ullum percipi a nobis nexum causalem. Praeter *Iosephum Glanville* (m. 1680) eis praecipue accensendus est *David Hume*, qui principia empirismi ita evolvit, ut omni cognitioni humanae omnem realitatem obiectivam negaret. Circumscribit enim ambitum cognitionis ad solas sensitivae experientiae perceptiones subiectivas: contra eiusdem doctrinam multa inferius dicenda occurrunt.

His accedunt Materialistae: quorum agmen antiquitus duxit *Democritus* asserendo, aut, nihil esse determinate verum in rebus, aut, si quid est verum, non esse nobis manifestum, cognitionem enim rerum accipimus per sensus; iudicium autem sensus non est certum, quum non semper eodem modo iudicet. — Tandem recenseri possunt idealistae Kantiani, qui *Critici* appellantur, quibus alii accensentur, *agnostici* nuncupati, qui nihil reale a nostra ratione cognosci posse autumant.

32. **Scepticismi refutatio.** — Ex toto et integro conspectu scepticorum omnium doctrinae, clare elucet, plurima principia ad examen revocanda esse, ac plurimas quaestiones expendendas, ad eorum omnium errores evertendos ac refellendos. Quamvis enim non omnes scepticorum nomen sibi mercantur, omnes tamen principia statuunt, quae logice ac necessario ad scepticismum ducunt. Utile igitur visum est eorum omnium diversa placita sub uno conspectu proponere, ut communia vitia simul in luce ponantur, ac melius reiiciantur, ostendendo simul nexum inter eadem vigentem et communem conclusionem, ad quam omnia ducunt. Quare ut eorum principiis rite, uti par est, occurramus primo videtur in tuto ponenda non modo possibilitas sed ipsa realitas status certitudinis, deinde statim sequitur dubitationem universalem esse prorsus reiiciendam. Et quoniam certitudo haberi nequit, nisi ut indubia agnoscantur principia quaedam prima et indemonstrabilia, reiicienda quoque est dubitatio illa partialis, quae de istis censet esse dubitandum. Haec omnia praestantur in praesenti thesi.

Dein vero *directe* ipsum systema, quod ab universali dubitatione incipiendum esse docet, ad examen vocabimus ostendendo eius falsitatem imo plenam absurditatem. At datur insuper methodica quaedam dubitatio, quae rite in-

tellecta non modo non opponitur scientificae certitudini sed ipsi maxime iuvat, et eo inservit ut motiva ac rationes inquirantur ad rerum veritates plene assequendas. Curandum quoque erit, ut ea vindicetur, explicando propriam eius rationem ac principia quae etiam in ea agnoscenda sunt, ne iterum in scepticorum vitia incidat. Haec autem in thesibus sequentibus exponuntur.

Tandem si bene attendantur scepticorum rationes, facile patebit, eas ortum habuisse ex eo quod ipsi non valebant rite explicare media, quibus intellectus noster veritates cum certitudine a rebus haurire queat. Et antiquiores praesertim in eo maxime haerebant, quod explicare non poterant: quomodo conceptus nostri, qui sunt universales, respondere valeant rebus singularibus; et quomodo iudicia, quae ex eis efformantur item universalia ac necessaria, referri possint ad res extra mentem existentes, quae sunt singulares ac mutabiles.

Profecto examen harum rationum dici potest constituere praecipuum obiectum logicae criticae, quae ut finem habet, *crisim* instituere totius viae quae ad scientificam certitudinis consecutionem nos ducit. Quare nonnisi in fine totius huius criticae haberi potest plena et adaequata refutatio non modo falsae doctrinae scepticorum, sed praesertim rationum omnium, quibus ipsi moventur ad sua placita tuenda.

33. **Prob. I p. — Ex ipsa natura facultatis cognoscitivae.** Unicuique manifestum est facultatem cognoscitivam factam esse ad veritatem assequendam, in qua tamquam in fine quiescit (1). Ipsum enim naturale deside-

(2) Hoc principium clare evolvit Didiot, l. c. p. 21, n. 30. « Nos diverses facultés de connaître sont aussi, par rapport à leur objet, comme la puissance par rapport à l'acte. Elles sont necessairement *potentielles*, c'est-à-dire que leur nature les pousse d' une façon inéluctable à se compléter, à se perfectionner, à s'informer, non par un moyen quelconque, dont elles auraient le libre choix, non par l'amour ou la recherche du bien, non par le plaisir de le posséder ou de gouter le beau — mais par une intime union et une assimilation vitale avec le réel, avec l'objectif, avec le vrai en soi, « Tout homme a par essence l'ardent désir de connaître », disait admirablement le philosophe de Stagyre, comme la matière désire ardemment sa forme, et la puissance son acte. Proposez à telle et telle faculté sensitive, proposez à la faculté intellective, autre chose que leur object, pensez-vous qu'il s'ensuivra un acte de connaissance? Nullement. Mais proposez-leur convenablement cet object, et elles le connaîtront sans hésitation. Il n'y a donc pas plus de connaissance normale sans objectivité qu'il n'y a d'amour sans objet aimé ».

rium veri videndi, quod omnes gerunt, hanc aptitudinem ac tendentiam aperte demonstrat. Atqui repugnat facultas, quae tendit in finem, qui non existit, neque possibilis est. Ergo existit certitudo.

Praeterea *ex communi experientia* liquet, homines in eo semper esse, ut certitudinem in unaquaque re assequantur, quoad eius fieri potest. Ideo enim inquirunt, adlaborant, alios interrogant, student, et alia id genus peragunt; et si eam consequuntur, in eadem quiescunt ac delectantur. Atqui absonum est dicere homines in id tendere et in eo quiescere ac delectari, quod neque existit neque existere potest. Ergo.

Item omnes homines aperte testantur, se quandoque consequi certitudinem: et apprime distinguunt inter statum certitudinis quem nunc habent, et statum dubii aut probabilitatis, in quo forte prius reperiebantur circa unam eandemque rem. Atqui hoc esset impossibile, si nulla daretur certitudo. Ergo.

Prob. II p. — quae non est nisi conclusio prioris. — Dubitatio universalis habetur quando omnis denegatur assensus cuique veritati. Atqui ipsa pugnat cum statu certitudinis. Ergo admitti nequit.

Praeterea dubitatio universalis aut eo tendit ut semper in dubio maneamus, aut ad hoc ut iuvemur ad certitudinem scientifice adquirendam. Atqui primum est absurdum, quia pugnat cum natura intellectus nostri, qui tendit ad veritatem. Nam qui dubitat, dicitur habere intellectum veluti ligatum ac proinde incapacem se movendi ad veritatem acquirendam. Et huiusmodi status est violentus et innaturalis. — Alterum vero est impossibile. Nemo enim potest ad ullam veritatem cum certitudine pervenire, nisi incipiat assensum aliquem ponere. Sicut enim nemo potest gradiendo ad locum remotum pervenire, nisi incipiat gressum facere, ita nemo pervenit ad assensum certum alicui veritati praestandum, de qua dubitat, nisi prius aliquem ponat assensum alteri veritati, de qua dubitare nequit. Atqui qui de omnibus dubitat, nullum unquam ponit assensum. Ergo.

Prob. III p. — quae iisdem evincitur rationibus. — Quum dubitatio partialis eo pervenit ut dubium moveat

etiam de primis principiis indemonstrabilibus, necessario incidit in dubitationem universalem; quin ullum habeat medium ad certitudinem perveniendi. Atqui huiusmodi dubitatio reiicienda est. Ergo. — Maior facile patet: qui enim dubitat de primis principiis indemonstrabilibus, necessario debet de omnibus dubitare, quum careat omni medio ac ratione ad ullam veritatem cum certitudine acquirendam. Ergo.

34. **Obiicies.** — I. Est in nobis tendentia e. g. ad semper vivendum, ad felicitatem in hac vita adipiscendam et huiusmodi. Atqui haec non existunt. Ergo ex tendentia facultatis non sequitur existentia certitudinis. — *R. D. M.:* haec tendentia est facultas, quae in illud tendit, tamquam in proprium obiectum, *n.;* est quaedam partialis inclinatio facultatis appetitivae, *subd.;* et est inordinata, *c.;* et est ordinata, *iter. d.;* et tunc tendit ad ea adipiscenda eo modo, quo sua natura exigit, *c.;* simpliciter et absolute, *n.* — *D. m.:* nullo modo existunt, *n.;* non existunt eo modo, quo quis ea quandoque appetere potest, *c.* — Et revera illa tendentia non est quaedam facultas, tota ordinata ad illud obiectum adipiscendum, ut accidit in intellectu relate ad veritatem. Et idcirco difficultas iam penitus evanescit. At praeterea etiam ipsa, quae est particularis inclinatio facultatis appetitivae, si est ordinata, seu ductum naturae sequitur, non est prorsus inanis, ut alibi explicabitur.

II. Non potest demonstrari existentia certitudinis, nisi supponatur tamquam certum, naturam non posse nos inclinare ad rem illusoriam vel impossibilem. Atqui haec est petitio principii, et illud, quod supponitur, adhuc esset demonstrandum. Ergo — *R. C. M.; D.* 1^{am} *p. m.;* esset petitio principii, si quis demonstrare vellet existentiam certitudinis in tota sua latitudine ac directe, *c.;* si quis demonstratione late dicta, i. e. per solam analysim naturae facultatis cognoscitivae, ostendit eam factam esse ad certitudinem adipiscendam, *n., et n.* 2^{am} *p. m.* — Certe si quis inciperet a dubio universali, nunquam posset existentiam certitudinis demonstrare. At si quis, considerando factum, quod omnibus certissime constat: facultatem cognoscitivam nempe necessario ad veritatem assequendam tendere, ostendit ex hoc evidenter sequi existentiam certitudinis, in nullam incidit petitionem principii. Quod vero natura non possit nos necessario ad aliquid illusorium et impossibile inclinare est prorsus ratum ac omnium scientiarum fundamentum. Inclinatio enim alicuius rei in aliquid, tamquam in proprium finem, ipsam ingreditur naturam illius rei. Nam res est et constituitur talis propter finem, in quem tendit; sicut ignis est talis ex eo quod inclinatur ad urendum. Quare dicere hunc finem ignis esse illusorium perinde est ac asserere ipsam ignis naturam illusoriam esse; et idem dicen-

dum esset de omnibus rerum naturis. Omnia igitur illusoria essent, et omnes scientiae reales circa illusoria versarentur. Quod revera nemo conquoquere potest. Et sane omnes scientiae in eo semper versantur, ut videant, quomodo res agant, et in quid tendant tamquam in proprium finem, atque ita leges ac principia statuuntur, quae ipsis respondeant, iuxta quae res ad invicem ordinantur ac diriguntur ad finem pluribus communem. Atqui si illae tendentiae esse possent illusoriae, tunc etiam scientiae, quae in ipsis innituntur, illusoriae essent: quod est manifesto falsum. Ergo....

Tandem in praxi nemo est, qui illud principium unquam in dubium ducat. Atqui tale principium est evidentissime certum et fundamentum omnis certitudinis. Ergo.

III. Ut possit haberi certitudo, deberet esse in rerum natura aliquid constans, immutabile aeternum. Atqui non est... — *R. D. M.;* quoad existentiam, *n.*, quoad essentiam communem, *c.* — *Contrad. m.* etc.... Solutio huius difficultatis clare patebit, cum explicabitur quaestio de conceptibus universalibus.

IV. Ad habendam certitudinem alicuius rei oportet, illam cognoscere plene ut est in se. Atqui nemo hoc potest. Ergo. — *R. D. M.:* secundum illam determinatam rationem iuxta quam apprehenditur, *c.*; iuxta omnes omnino rationes, quas res in se amplectitur, *n.* — *Contrad.* m.... Et sane in sensibus hoc etiam apparet. Oculus enim certo percipit colorem, quin saporem cognoscat: gustus sentit saporem, quin colorem percipiat. Ad rem Lactantius (1): «Inter philosophos alii putaverunt sciri posse omnia; hi sapientes utique non fuerunt; alii nihil; et ne hi quidem sapientes fuerunt. Illi, quia plus homini dederunt; hi, quia minus; utrisque in utramque partem modus defuit. Ubi ergo sapientia est? Ut neque te omnia scire putes, quod est Dei; neque omnia nescire, quod est pecudis».

V. Non possumus certitudinem consequi, nisi certi sumus non esse in statu vigiliae et non somnii. Atqui hoc nequit certo constare. Ergo. — *R. C. M.*, et *N. m.* Mirum est quanti aestimaverint plerique philosophi (2) hanc difficultatem, quae ceteros potius ad risum movere videtur. Praestat igitur referre quae hac de re praeclare habet P. Palmieri (3): «Manifestissimum est discrimen, quod intercedit inter duos status vitae nostrae, quorum unus dicitur *somnus* alter *vigilia*. Etenim si comparemus invicem somnia plurima, quae interposita vigilia sibi succedunt, nullum habent invicem nexum, nullamque seriem ordinatam actionum aut rerum constituunt, nec est in nostra potestate eas ordinare: at vigiliae omnes exhibent seriem actionum connexarum, quas est in nostra potestate eo modo, quo volumus, ordinare.

(1) L. 3. *div. inst.* c. 6.
(2) Cf. P. Pesch, l. c. n. 583 nota.
(3) l. c. p. 177.

Praeterea in somnio deest distincta apprehensio duplicis seriei perceptionum sensibilium, nempe phantasticae et externae; quod quidem contingit, quia cessat exercitium sensuum externorum: at in vigilia mens distincte apprehendit duplicem hanc seriem. Hinc cum vigilamus, iudicamus, absque formidine erroris, somnia illusionibus contineri: comparamus enim clare utrumque statum: cum somniamus autem hoc iudicium non ferimus de vigilia. Tandem in somniis, sensuum externorum usus, vis reflectendi, exercitium libertatis sunt impedita, et in vigilia expeditissima sunt; ergo differunt hi status ».

Haec thesis, uti patet, ipsum fundamentum evertit, quo sceptici innituntur, cum sua placita effutiunt. Nunc directe contra ipsos, ostendamus oportet, quot contradictionibus et absurditatibus eorum commenta referta sint. Verum quidem est systema pleni scepticismi modo a nemine defendi (1), quare thesis sequens inutilis dici posse videtur. At certum est multa recentiorum principia praesertim idealistarum ad plenum scepticismum logice ducere. Hinc omnino praestat huius absurditates in lucc ponere, ut peculiare habeatur argumentum ad falsitatem illorum quoque principiorum detegendam, atque eadem facilius reiicienda.

Thesis VII.

Systema, quod ab universali dubitatione incipit, directe refutari nequit: ipsum vero, si ut factum spectatur, repugnat, si ut doctrina, manifestam involvit contradictionem.

35. **Prob. I p.** — Nullum systema demonstratione directa confutari potest, nisi principia quaedam certa assumantur, quibus demonstratio institui queat. Atqui systema scepticorum omnia reiicit certa principia. Ergo.

Praeterea, ut advertit S. Th. cum Arist. (2), « qui in-

(1) Ita e. g. ait Paulsen: confutare scepticismum est « inutilis labor, quia scepticismus realis, si unquam exititit, saltem temporibus modernis prorsus extinctus est. Nullus iam invenitur philosophus, qui scientiam veri nominis, ab ignorantia diversam, dari neget » (*Einleitung in die Philosophie*, Stuttgart, 1906, p. 368. Et ostendere conatur hoc verum esse etiam de *Hume*.

(2) Metaph. L. XI, l. 6.

cidunt in praedictas opiniones non propter aliquam rationem, ita quod ex pertinacia non concedant aliquid, neque inquirant rationem eorum, quae dicuntur, sed pertinaciter inhaerent his, quae opinabantur, non facile est eis solvere huiusmodi opinionem. Omnis enim ratio et demonstratio fit hoc modo, scilicet concedendo et exquirendo rationem alicuius dicti. Sed illi, qui nihil concedunt, interimunt disputationem et omnem argumentativam rationem. Unde ad eos non potest haberi sententia ratiocinationis, per quam a suo errore tollantur ».

Quare ipsum indirecte est refutandum. Quia ut rite arguit P. Palmieri (1): « Systema, cuius absurditas est immediate evidens, nulla indiget demonstratione ad eius absurditatem ostendendam: talis autem est scepticismus: manifesta enim continetur contradictione. Hanc ergo sufficit declarare, vel indirecte demonstrare, ut illius absurditas pateat. Haec autem declaratio, vel indirecta demonstratio non proprie erga scepticum dirigitur, sed ad eos dirigitur, qui sceptici non sunt ». Et ita modo reiicitur.

Prob. II p. — Illud systema ut factum physice repugnat, quod nequit in actum reduci ab iis etiam, qui ipsum tuentur. Atqui tale est systema scepticorum. Ergo. — *Pr. m.* — Nemo agere potest, nisi uti prorsus certam teneat sui existentiam, possibilitatem suae facultatis ad aliquid agendum, existentiam rei circa quam versatur... et similia: ergo qui omnem respuit certitudinem, nil agere potest, et est velut ligatum, ut egregie advertebat Arist. (2), « in quantum quis dubitat, in tantum similiter ligatis est passus ». Quod ita declarat S. Th. (3) « sicut enim ille, qui habet pedes ligatos, non potest in anteriora procedere secundum viam corporalem, ita ille, qui dubitat, quasi habens mentem ligatam, non potest ad anteriora procedere secundum viam speculationis », imo etiam actionis, uti ostendimus. Ergo.

Praeterea illa doctrina ut factum physice repugnat, qua posita, homo nullum actum exerere posset, neque illos, qui

(1) l. c. p. 131.
(2) L. III, Met. c. 1
(3) *lect.* I, ibid.

prorsus necessarii sunt ad vitae conservationem. Atqui hoc contingit in scepticorum sententia, qui nihil certi agnosci posse autumant. Ergo. — *Pr. m.* — cum Arist. et S. Th. (1): « Si in rebus nihil est fixum (ac proinde nihil certum) neque quantum ad esse, neque quantum ad non esse, propter quid deferunt hunc cibum, quem medicus iubet et non alium? Secundum enim dictam opinionem, quid magis est panis, vel non panis? quasi diceret: non magis praedicatur de eo affirmatio quam negatio. Et sic nihil differt quod comedat vel non comedat. Sed nos videmus, quod ipsi afferunt hunc cibum, quem medicus iubet, quasi habentes verum iudicium de ipso cibo, et quasi hic cibus vere sit ille cibus, de quo medicus iubet ». Hoc autem peragere non possunt, si fideliter suo systemati adhaerent. Ipsum igitur physice repugnare dicendum est.

Praeterea, ut dicit Cicero (2), « qui negant quicquam posse comprehendi, haec ipsa eripiunt vel instrumenta vel ornamenta vitae, vel potius etiam totam vitam evertunt funditus, ipsumque animal orbant animo, ut difficile sit de temeritate eorum, perinde ut causa postulat dicere ». Atqui doctrina quae totam vitam evertit et haec alia incommoda secum fert, tum physice tum moraliter repugnare dicenda est. Ergo.

Prob. III p. — Illa doctrina contradictionem involvit, quae demonstrari nequit, imo nec affirmari, quin seipsam destruat, denegando ea, quae affirmare conatur. Atqui tale est systema scepticorum. Quum ipsi enim de omnibus dubitent, nil asserere possunt, nil demonstrare: quare hoc unum eis faciendum manet: *altum tenere silentium*; et tunc eorum commentum amplius extare non potest. Ergo. — Apposite Lactantius (3): « Ut nihil sciri posse sciendum sit, aliquid sciri necesse est. Nam si omnino nihil scias, id ipsum nihil sciri potest. Huic simile est illud, quod in scholis proponi solet: *Somniasse quendam, ne somniis crederet*. Si enim crediderit, tum sequitur ut credendum non sit. Ita si nihil sciri potest, necesse est idipsum sciri, quod nihil sciatur ». — Cfr. in *Dialectica* n. 147 argumentum allatum.

(1) *Metaph.* L. XI, l. VI.
(2) *Acad. prior.* 2, 10.
(3) *Divin. Inst.* L. III, c. VI.

36. **Obiicies**: I. Nil est admittendum quod non demonstratur. Atqui qui non de omnibus dubitat, aliquid admittit non demonstratum. Ergo. — *R. D. M.;* si non est evidens, *c.;* si est evidens, *n.* - *Contrad. m.* - v. quae diximus in *Dial* n. 129, 4°. Ad rem S. Th. (1): « Sciendum est, quod quaelibet propositio, cuius praedicatum est in ratione subiecti, est immediata, et per se nota quantum est de se. Sed quarundam propositionum termini sunt tales, quod sunt in notitia omnium, sicut ens, et unum, et alia quae sunt entis in quantum ens. *Nam ens est prima conceptio intellectus.* Unde oportet quod tales propositiones non solum in se, sed etiam quoad nos, quasi per se notae habeantur; sicut quod non contingit idem esse et non esse, et quod totum sit maius sua parte, et similia. Unde et huius principia omnes scientiae accipiunt a metaphysica, cuius est considerare ens simpliciter et ea quae sunt entis » (2). Etiam *Cicero* aiebat (3): « Ut necesse est lancem in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere ».

II. Non potest aliquid admitti ut certum, nisi prius constet esse evidens. Atqui hoc non potest constare, nisi prius admittatur ut certum saltem hoc principium: evidentia est criterium veritatis. Atqui hic est circulus vitiosus. Ergo. — *R. D. M.:* nisi prius tempore et in actu signato constet esse evidens, *n.:* nisi prius natura et ipso actu exercito, quo aliquid uti certum affirmatur, *c.* — *Contrad. m.* — Solutio explicabitur, quum quaestio de ***veritatis criterio*** solvetur.

III. Facultas cognoscitiva est per se fallibilis. Atqui haec facultas de omnibus debet dubitare. Ergo. — *R. D. M.:* etiam circa obiectum proprium rite applicatum, *n.:* quoad cetera, *subd.:* semper, *n.:* quandoque, *c.* — *Contrad. m.* — Haec quoque solutio in cap. seq. explicabitur.

IV. Nos nescimus quando fallimur, si enim sciremus, numquam falleremur. Atqui qui hoc nescit de omnibus ei dubitandum est. Ergo. — *R. D. M.:* in omnibus etiam in evidentibus, *n.:* in quibusdam, *subd.:* non plene advertimus, *c.:* neque saltem confuse, qualenus advertimus rem non esse tam evidentem, *n.* — *Contrad. m.*:... Egregie S. Th. (4): « In ianuis domorum quis delinquet? Interiora enim domus difficile est scire, et circa ea facile est hominem decipi. Sed, sicut circa ipsum introitum domus, qui omnibus patet et primo occurrit, nullus decipitur, ita etiam est in consideratione veritatis. Nam ea, per quae intratur in cognitionem aliorum, nota sunt omnibus, et nullus circa ea decipitur. Huiusmodi autem sunt prima principia naturaliter nota, ut non esse simul affirmare et negare, et quod totum est maius sua parte, et similia ».

(1) I. *Post. Anal.* l. 5.

(2) Cfr. etiam S. Th. *Post. An.*, l. 7; et Arist. IV, Met., c. 4; et S. Th., ib., l. 6.

(3) Cicero, *Acad prior.* 2, 12. — (4) I. II, *Metaph.* l. 1.

V. Philosophus debet omnes vitare errores. Atqui qui dubitat, eos vitat. Ergo. — *R. D. M.;* et etiam veritatem acquirere, *c.;* secus, *n.* — *Contrad. m.;*...

VI. Qui aliquid certi admittunt, in multas offendunt contradictiones, ut apparet in Metaphysica. Ergo — *R. D. A.;* in rebus difficilioribus et quando quis nimis audacter suas asserit conclusiones, *c.;* in facilioribus et evidentibus, *n.*

At nunc alia dubitatio ad examen vocanda est quae *methodica* vocari solet, ut ostendatur qua ratione ipsa invari possit ad certitudinis statum adinveniendum.

Thesis VIII.

Dubitatio methodica legitima et utilis est ad scientificam veritatis investigationem peragendam, dummodo non sit realis quoad omnes veritates praesertim eas, quae primitivae vocantur.

37. **Quid dubitatio methodica.** — Ea est: *dubitatio, quae eo consilio adstruitur ut scientifica et ordinata inquisitio veritatis instituatur, quousque ipsa cum certitudine comparetur.* Ea profecto semper in usu fuit apud philosophos et sapientiores, praesertim apud Aristotelem, qui innumeris in locis eius utilitatem imo necessitatem proclamat, maxime in quaestionibus metaphysicis 1): Scholastici pariter omnes eandem secuti sunt methodum. Haec autem dubitatio nullo modo realis erat quoad omnes veritates, et multo minus quoad prima principia: ita sane habebatur illud *ubi consistam*, quo innititur intellectus ad motum suum *discursivum* incipiendum, primo dubitando, dein inquirendo ac proinde ratiocinando, ut tandem ad certitudinem perveniat. Et *haec methodus dubitandi, ut a veteribus adhibebatur*, omnino ad philosophiam pertinet.

(1) S. Thomas in *comm. in III Metaph.* c. 1. haec habet. « Est autem attendendum, quod propter has rationes consuetudo Aristotelis fuit fere in omnibus libris suis, ut inquisitioni veritatis, vel determinationi praemitteret dubitationes emergentes. In metaphysica vero simul praemittit omnes dubitationes, et postea secundum ordinem debitum determinat veritatem. Cuius ratio est, quia... ista scientia, sicut habet universalem considerationem de veritate, ita etiam ad eam pertinet universalis dubitatio de veritate ».

At Cartesio placuit novam instaurare dubitationem (1) quam ipse universalem esse voluit circa prima quoque principia et praesertim circa ipsum quoque valorem facultatum sensitivarum.

Sed attendendum est in dubitatione methodica praeter realem qua intellectus assensum suspendit vel denegat, aliam quoque adhiberi dubitationem quae *ficta* dicitur. Ea ita definiri potest: « status mentis *firmiter adhaerentis alicui veritati*, at sese gerentis *quasi non adhaereret, ut in valorem motivorum inquirat* ». Tunc enim intellectus assensum praestat alicui enunciabili, vel quia immediate videt eius veritatem, vel propter motiva iam nota, quae ipsam demonstrant. At simul inquirit in alia motiva, quae clarius, profundius, firmius eam ostendant, vel etiam intrinsecam rationem exhibeant, *cur ipsa ita sit*, ut accidit in demonstratione propter quid.

P. Pesch vero reciprocat dubitationem *fictam* cum *methodica*. Ait enim (2): « Dubitatio *ficta* vel *methodica* non consistit in certitudinis absentia, sed in mera *abstractione* a certitudine ». Quod ita dein explicat. « Qui, licet de re iam certus, vel eam alii demonstrare, vel sibi novum argumentum quaerere vult, debet assumere praemissas, quae independenter a rei demonstrandae certitudine constare possunt. *Abstrahit* igitur a certitudine, quam aliunde habet, et in hac abstractione consistit dubium illud, quod ex modo quo fit, dicitur *fictum*, et ex *fine* propter quem fit, dicitur *methodicum* ». Unde merito ipse concludit. « Nulla est ratio dividendi dubium tripliciter in reale, fictum, methodicum ». Sed revera melius dicitur ipsum dubium methodicum esse posse vel *fictum*, vel *reale*. Nam ipse idem prosequitur. « Si enim adest dubium reale, methodo simpliciter relinquitur, ut quaerat argumenta apta. *Porro hoc in casu habetur du-*

(1) Pluribus locis dubium suum methodicum ipse proponit, praesertim vero in *Discours de la méthode* 4. Partie, et *Meditationes de prima philosophia*, *Med.* I. Multum vero disputatur, utrum universalis eius dubitatio sit realis an ficta; sed ex toto eius systemate clare eruitur, eam fuisse realem. Et proculdubio realis fuit circa valorem facultatum cognoscitivarum praesertim sensitivarum: porro qui de istis realiter dubitat, de ceteris omnibus quoque realiter dubitet oportet.

(2) *Institutiones Logicae et ontologiae* - *P. I. Logica* - Editio altera, ab breviata a Carolo Frick. L. II. c. II. n. 465. ,

bium reale methodicum). Si autem res aliunde certa est, ad fines methodicos sufficit dubium fictum ». Patet ergo suam sententiam a nostra minime differre; et forte hoc unum addendum erit, quod dubitatio methodica potius locum habet cum dubio ficto, quam cum dubio reali.

Si vero inspiciantur ipsa motiva inquirenda et afferenda, quoad ipsa haberi potest vel dubium reale, quum intellectus eis non adhaeret, et tunc inquirit in eorum veritatem: vel dubium fictum, et tunc inquirit tantum in relationem, quam ipsi praeferunt ad veritatem illam demonstrandam (1). Et tunc si adstruitur tantum dubium fictum, dubitatio methodica *universalis* admitti potest uti *legitima*, si vero admittitur dubium reale, nequaquam dubitatio methodica *universalis* institui potest, quia agnoscendae omnino sunt veritates quaedam primitivae tamquam certae, de quibus nullum dubium insinuari potest. De istis in thesi seguenti peculiaris sermo erit.

38. **Prob. I p.** — Dubitatio methodica ea est, qua quis ea ratione dubitat de veritate alicuius enunciabilis, ut moveatur ad inquirendum in motiva, quae ipsam suadeant

(1) Quoad hoc punctum videntur dissentire quidam Neo-scholastici praesertim *Mercier* (Crit. L. II, ch. 1 e 2). *Sentroul* (*Doute méthodique et doute fictif in Rev. des Sciences phil. et théol.* a. 1909 p. 443), *Jeannière* (*Criter.* p. 109). Ipsi enim censent in dubio *ficto* circa aliquam veritatem, saltem *realiter* dubitandum esse de valore motivorum, de quibus fit inquisitio: ac proinde veritas illa admittenda est propter alia motiva, quae uti certa agnoscenda sunt. Inde inferunt: quod repugnat dubium universale etiam methodicum posse esse fictum.

Revera posita eorum explicatione, haec conclusio prorsus legitima est. Nec pariter ipsa eorum explicatio reiicienda videtur. Attamen tunc hoc aliud addendum esset: repugnare tum dubium methodicum universale *ficium*, tum multo magis dubium *reale*. Ac proinde nullo modo cum eis consentire possemus, admittendum esse dubium methodicum *reale* etiam de veritatibus primitivis et praesertim de *ipsa aptitudine mentis ad cognoscendum*, ut in thesi sequenti videbimus. P. Montagne O. P. idem defendit, asserendo hoc dubium debere esse *negatirum* in *Le doute méthodique selon S. Thomas, Revue Thomiste* 1910, p. 438... Idem iam dixerat P. Jeannière, ita explicans hoc dubium: « Qui *negative* dubitat de valore facultatis suae, habet rationes validas cur ei diffidat. Attamen ex una parte, hae rationes non sunt satis firmae ut eum impediant, quominus suam facultatem pro recte conformata certo teneat; at ex altera parte *sat firmae sunt ut eum impellant ad certitudines suas crisi subiiciendas* ». Sed tunc re bene perpensa, discrimen inter eos et nos videtur potius in modo loquendi, quam in ipsa re et hoc clarius patebit in demonstratione theseos, in qua tamen nostrum loquendi modum sectemur.

clare ostendendo praedicatum convenire subiecto. Atqui ipsa omnino legitima et utilis est, ut scientifica cognitio et certitudo veritatis habeatur; imo est necessaria, quando non statim apparet praedicatum convenire subiecto. Ergo. — Quoad Maiorem adverte quod finis dubitationis methodicae est inquirere in motiva seu rationes, quae ducunt ad plenam certitudinem cognitionis alicuius veritatis, et ideo fieri potest etiam cum solo dubio ficto circa ipsam.

Pr. m. Quum intellectus debet assensum praestare alicui enunciabili, aut non videt praedicatum convenire vel non subiecto, aut videt. Si primum, non potest ei adhaerere, et tunc habet dubium *reale* ac proinde *necesse est* inquirat in motiva ac rationes quae ostendant, illam convenientiam adesse vel non; et ita ad certam ac scientificam cognitionem illius veritatis pervenit. Sin alterum, tunc utile est inquirere in motiva quae plene et clare ostendunt, praedicatum convenire vel non subiecto, vel etiam rationes monstrant, cur conveniat vel non. Et consequenter ita inquirit, ut quasi dubitet de illa veritate, et tunc habetur dubitatio ficta. Ergo in primo casu dubitatio methodica est necessaria, in altero valde utilis.

39. **Dices**: I. Dubitatio methodica potest ducere ad scepticismum. Ergo. — *R. D. A.;* si est universalis, *c.;* si non extenditur ad principia prima et indemonstrabilia ideoque non est universalis, *n.*

II. Admissa dubitatione ficta, ea potest eodem iure extendi ad omnes veritates etiam primitivas. Atqui tunc debet evadere universalis. Ergo. — *R. D. M.;* si haec dubitatio unice tenderet ad suspendendum assensum uti faciunt sceptici, *c.;* si tendit ad hoc ut scientifica ac certa cognitio veritatis comparetur, *n.* — *Contrad m.;* si finis esset tantum dubitare, *c.;* si e contrario est pervenire ad certitudinis statum, *n.* — Quare ratio, cur in dubitatione ficta adhibetur inquisitio motivorum, ea est, ut intellectus magis clare ac scientifice videat veritatem alicuius enunciabilis, eique cum plena certitudine adhaereat. Porro hoc obtineri potest pro veritatibus quoque primitivis, cum dubio ficto, inquirendo in motiva, quae tandem reducuntur ad analysim terminorum, ex qua eluceat earum intrinseca et absoluta necessitas.

III. In dubitatione ficta habetur mendacium. Atqui intellectus nequit ei adhaerere. Ergo. — *R. D. M.;* si dubium esset positivum, si nempe intellectus positive negaret assensum veritati cui videret assensum esse praebendum..., *c.;* si dubium est

tantum negativum, si inquirit suspendens assensum..., *n.* — *C. m.* — Hac ratione se gerit qui demonstrationem instituit existentiae Dei, in argumenta enim inquirit quae scientifice illam demonstrent, quasi suspendens assensum, quin tamen illum deneget aut retractet. Et in hoc nullum est mendacium.

40. **Prob. II p.** 1° — Dubitatio methodica universalis realis, praesertim quum ad veritates primitivas extendatur, necessario ducit ad plenum scepticismum. Atqui scepticismus est reiiciendus. Ergo. — *Pr. M.* — Dubitatio methodica realis nequit scepticismum vitare et ad certitudinem ducere, nisi aliquod saltem agnoscat principium uti certum et indubium, a quo initium sumat, ut in motiva inquirat, quae certitudinem pro aliis veritatibus gignant. « Certitudo scientiae tota, ait S. Th. 1) oritur ex certitudine principiorum. Tunc enim conclusiones per certitudinem sciuntur, quando resolventur in principia ». Atqui dubitatio universalis nullum agnoscit principium uti certum et indubium. Ergo.

2° *Ex natura et fine dubitationis methodicae).* — Natura et finis huius dubitationis in eo est quod quis abstrahat a certitudine alicuius enunciabilis, ut in motiva inquirat quae eam firmius ac validius demonstrent. Atqui dantur principia, quae tam clare et evidenter certa immediate apparent, ut intellectus nequeat ab eorum certitudine *realiter* abstrahere, quae proinde dicuntur *prima principia* indemonstrabilia. Atqui, uti scite ait S. Th. 2): « proprium est horum principiorum, quod non solum necesse sit ea per se vera esse, sed etiam necesse sit *videri quod sint per se vera*. Nullus enim potest per se opinari contraria eorum. » Ergo nequit de eis ullum dubium reale admitti.

41. **Dices:** I. Dubium quoad prima principia est tantum negativum. Atqui ipsum non ducit ad scepticismum. Ergo. — *R. D. M.:* ita ut cum eo intellectus suspendat suum assensum circa ipsa, *c.:* ita ut hunc assensum non suspendat, *n.* — *Contrad. m.* Revera si quis tale gerit dubium, quo non suspendit assensum circa prima principia, tunc habetur dubium fictum, et cum eo scepticismus vitatur. Si vero assensum suspendit, tunc nullum habet medium ad ipsum praestandum, quia desideratur funda-

(1) ***De Veritate***, q. XI, a. 1, ad 13.
(2) *In Analyt. Poster.* L. I, lect. 19.

mentum, quo innitatur, ut incipere valeat inquisitionem ad valorem motivorum investigandum quibus moveri debet ad assensum praestandum.

II. Dubium circa prima principia nequit esse fictum. Ergo debet esse reale. — *R. D. A.;* nequit esse fictum eodem modo ac circa alia, *c.;* nullo modo haberi potest, *n.* — Prima principia nequeunt demonstrari aut confirmari per motiva eis extrinseca clariora et certiora, sed unice per terminorum analysim, ex qua elucet praedicatum necessario convenire subiecto. Ideoque tota inquisitio unice ad hanc analysim reducitur. Quoad cetera vero principia inquisitio facienda est in motiva extrinseca clariora, quae tandem innitantur oportet in illis primis principiis.

42. **Coroll. — Ergo dogmatismus moderatus est prorsus rationalis.** — Vocamus dogmatismum moderatum doctrinam quae docet, admittendas esse uti certas et indubias veritates primitivas quae nulla indigent demonstratione. Hoc corollarium legitime fluit ex iis, quae superius demonstravimus, et ponitur contra eos, qui a dubio universali initium sumendum esse censent, praesertim in critica inquisitione cognitionis nostrae, ac proinde vocant doctrinam nostram *dogmatismum exaggeratum*. Sed prorsus immerito.

Veritates enim primitivae, quamvis sine demonstratione admittantur, minime tamen arbitrarie ac sine motivis affirmantur. Ipsae enim uti certae et indubiae agnoscuntur ob motiva intrinseca et evidentia quin recurrendum sit ad motiva extrinseca: ea ratione qua corpora luminosa perspiciuntur ob lucem intrinsecam, qua gaudent, quin recurratur ad lucem extrinsecam a qua illuminentur.

De istis igitur nullum dubium *reale* adstrui potest, sed tantum dubium methodicum *fictum*, quod inservit non ut vera ac stricte dicta demonstratio instituatur, sed unice ut per analysim terminorum et clariorem eorundem expositionem melius et intime intelligantur, et facilius omnibus pateant.

Thesis IX.

Inter ceteras veritates, de quibus reale dubium moveri nequit, tres praesertim recensendae sunt, quae merito primitivae vocantur: **1ª** ***Existentia propria (factum primum):*** **2ª** ***Aptitudo mentis ad cognoscendum (conditio prima):*** **3ia** ***Principium contradictionis (principium primum).***

43. **Declaratur**. Plurimae quidem recenseri possent veritates de quibus dubium reale moveri nequit, quippe quae evidenter et immediate patent ex sola terminorum analysi

vel ex immediata cuiusque experientia. Ex quo iterum elucereł falsitas scepticismi universalis. E re tamen videtur has tres veritates diserte vindicare uti prorsus indubias ac primitivas, tum ob peculiare earundem momentum, tum etiam ab controversiam quae inter recentiores agitatur, ortam potius, ut videtur, ex diversa ratione eas proponendi.

Age modo: huiusmodi veritates uti indubiae et immediate certae ab omnibus praesertim a Scholasticis semper habitae sunt. Ita certitudo de propria existentia a S. Augustino uti maxime certa ac fundamentalis contra scepticos proponebatur: principium contradictionis uti omnium primum ab Aristotele statuebatur: quoad aptitudinem mentis ad cognoscendum neque demonstratio ac multo minus dubitatio ad Cartesii usque tempora instituenda visa est. Nihilominus qui primus eas explicite ac diserte vindicavit et uti primitivas proposuit, Balmes censetur (1). Eas dein clarius exposuit P. Tongiorgi l. c. n. 425-429 (2). Contra vero eas impugnavit cl. Mercier, praesertim prout eas proponebant P. Tongiorgi et alii; nimirum uti fundamentum ad solvendum problema de veritatis criterio ac proinde ad scepticos refutandos.

Nos hoc problema in Cap. IV directe agitabimus ac solvemus. Quare modo hoc unicum vindicare conamur: scilicet hae veritates uti prorsus indubiae ac primitivae habendae sunt. Ideoque nullum dubium reale de eis moveri potest; imo eae tam certae habendae sunt, ut nulla inquisitio de aliis veritatibus institui possit, nisi eae uti certae praesupponantur, saltem implicite et in actu exercito. Ac proinde nullo modo contra nostram doctrinam opponi possunt quae ab eodem obiiciuntur contra P. Tongiorgi ac Palmieri (3); uti clare patebit ex demonstratione thesis.

44. **Probatur.** — *Argumento generali.* Hae veritates tamquam prorsus indubiae ac primitivae habendae sunt.

(1) Filosofia fundamental L. I. c. IV.

(2) Revera non omnia probanda videntur quae idem auctor habet circa has veritates, praesertim prout eis utitur ad quaestionem de formali criterio veritatis solvendam in n. 687, 688, uti inferius videbimus.

(3) Sed neque omnia probari possunt, quae contra eosdem ipse habet in *Crit. gen.* L. II, ch. II, n. 52-57. Et sane quum ipse ait in n. 57. « La théorie des

quae: 1) statim et immediate intellectui patent; 2) negari vel tantum in dubio vocari non possunt, quin in ipsa negatione vel dubio necessario affirmentur; 3) et in omni iudicio implicite et in actu exercito necessario affirmantur; 4) imo nulla certitudo in aliis iudiciis comparari potest, nisi illae uti certae iam praesupponantur. Atqui huiusmodi sunt tres veritates recensitae. Ergo.

Criteria in *Maiori* assignata ad determinandas veritates indubias ac primitivas, simul ostendunt, qua ratione eas ut tales spectamus, et ab omnibus iuxta communem hominum sensum admittuntur. Quare sufficit probare minorem applicando haec criteria singulis veritatibus.

Prob. m. quoad 1am. — *Factum propriae existentiae*: 1) immediate nobis patet: nam statim ac quis conscientiam sui habet, advertit se esse operantem, cogitantem, amantem aut etiam dubitantem. Atqui in his omnibus statim apprehen-

trois vérités primitives ne répond pas au véritable problème de la certitude» verum omnino asserit, sed non est contra illos auctores, uti ex eo etiam patet, quod ipsi alibi hoc problema solvunt, quum nempe de supremo motivo certitudinis inquirunt. Ac proinde altera propositio (n. 51) «L'affirmation de l'existence du sujet pensant n'est pas une vérité primitive» est etiam vera, si eo modo intelligitur, ut idem exponit in conclusione: «L'affirmation de l'existence du moi pensant n'est donc pas le *fondement* nécessaire de la certitude de l'ordre idéal, ni par conséquent de toute certitude»: Sed iterum non est contra istos. Nam quamvis ipsi hoc in loco quaedam habeant, quae istam sententiam suadere videantur, eorum mens tamen ex alio loco est aperienda, in quo quaestionem de motivo certitudinis solvunt. Et si quaedam reprehensione digna reperiuntur, ex eo oriri videntur, uti deinceps videbimus, quia illas veritates ponunt uti fundamentum ad solvendum problema de criterio veritatis, a qua imperfectione fortasse hic idem clar. auctor non videtur prorsus immunis.

Idem dicendum est de alia assertione (n. 56) «L'aptitude de l'esprit à connaitre la vérité n'est pas une vérité primitive». Re quidem vera. Eatenus isti auctores, iuxta eius mentem, peccarunt, quia posuerunt istas tres veritates tamquam certas a *priori omnino*, scilicet antequam statuerint ultimum veritatis criterium (et ideo ipsi ab eodem vocantur *dogmatici exaggerati*), dum ipsae debent iam supponere ipsum criterium veritatis, ex quo fluunt, ut idem ait (n. 106). Atqui qui ita loquitur non videtur distinguere inter duas quaestiones de criterio quas in cap. IV expendemus. Nam verum est, intellectum non posse aliquam veritatem admittere, nisi adsit criterium veritatis, nempe nisi adsit evidentia obiectiva menti manifesta, hoc nos cum ipsis admittimus. At evidentia ista non est aliquod principium, sed tantum motivum formale, seu lumen, quo mens assensum praebere valet, et nil vetat, quominus aliqua veritas dici possit primitiva, quatenus nempe immediate illam praeseferat evidentiam, et aliae veritates eam praeseferre nequeant, nisi ea supposita. Et hoc sensu merito illae veritates *primitivae* dici possunt, quamvis necesse non sit, omnes veritates in illas resolvere.

dit se existere seu *esse*, imo prius *esse* ac dein operari, cogitare, amare, quum omnis operatio requirat ac praesupponat subiectum operans. Ergo. — 2) Haec existentia in dubium vocare vel negari nequit, quin affirmetur. Nemo enim hoc dubium aut negationem movere potest, quin existat; nam qui non existit, nec dubitare, nec negare aliquid potest. Unde scite arguebat S. Augustinus contra Academicos (1): « Qui non est, utiquè nec falli potest; ac per hoc sum, si fallor. Quia ergo sum, si fallor; quomodo me esse fallor, quando certum est me esse, si fallor? ». — 3) In omni iudicio semper asseritur existentia cogitantis. Nullum enim iudicium profertur, nisi existat subiectum iudicans. Ergo statim ac iudicium profero, exercite et implicite affirmo, me existere imo prius esse ac dein iudicare; — 4) Idem dicendum cum certitudinem mihi comparo de aliqua veritate; si enim de ea *certus sum*, primo ac necessario sum, ac dein cognitionem illam certam habeo.

Quoad 2^am^ fere eodem modo: 1) Quando quis aliquid cognoscit, statim et immediate apprehendit, se habere facultatem aptam ad cognoscendum, uti liquet. Atqui cuique immediate patet, se aliquid cognoscere: ergo implicite et exercite patet, se habere facultatem aptam ad cognoscendum. — 2) Nequit quis negare, vel in dubium aliquid ponere, nisi simul agnoscat se habere facultatem aptam ad cognoscendum. Ergo nequit de hoc dubium movere, quin in ipso dubio illud idem affirmet. 3) Pariter omne iudicium fit a facultate cognoscitiva. Ergo quum ipsum profertur, implicite ac necessario affirmatur aptitudo facultatis ad cognoscendum et iudicandum. — 4) Item certitudo in omni iudicio habetur, quum facultas cognoscitiva firmiter ei adhaeret per cognitionem. Atqui hoc necessario exigit facultatem aptam ad cognoscendum. Ergo.

Quoad 3^iam^. — Principium contradictionis ita effertur: *idem non potest simul esse et non esse*. Porro: 1) ipsum statim patet esse admittendum, imo nulla demonstratio institui potest ad ipsum suadendum, si forte a quodam ne-

(1) *De Ciait. Dei* L. XI, c. 26.

garetur. — 2) Eatenus posset negari vel in dubium vocari, quatenus quis nollet sibi contradicere. Atqui qui non vult sibi contradicere, non vult aliquid simul esse et non esse. Ergo cognoscit principium contradictionis. — 3) Quando quis iudicium efformat eique adhaeret, implice negat oppositum. Atqui istud facere non posset, nisi praesupponeret hoc principium. Ergo. — 4) Idem multo magis dicendum, quum quis certo adhaeret alicui veritati: tunc enim nullam habet formidinem de opposito. Atqui hoc necessario supponit istud principium. Ergo.

45. **Coroll.** I. — Ergo tres istae veritates sunt omnes primitivae in suo ordine hac nempe ratione. Propria existentia est veritas primitiva in ordine reali seu concreto experimentali, in quo per experientiam proceditur, quatenus primum subiectum reale, quod cognoscitur, vel saltem praesupponitur in omni cognitione, est existentia ipsius subiecti cognoscentis. In ordine vero ideali, abstracto et analytico, in quo nempe per analysim conceptuum proceditur, primum principium, quod semper praesupponitur, est principium contradictionis. Tandem conditio, qua in utroque ordine recte procedatur, et ab ordine concreto experimentali ad ordinem abstractum analyticum gressus fiat, est mens apta ad cognoscendum. Ipsa quoque igitur pro utroque ordine necessario praesupponenda est. Porro quoniam experientia et analysis sunt praecipuae imo unicae viae, quibus cognitio nostra ad scientificam certitudinem in acquisitione veritatis pervenire valet, evidens est, has tres veritates esse revera primitivas, unamquamque in proprio suo ordine.

II. — *Ergo tres istae veritates sunt omnis certitudinis fundamentum.* Eo sensu nempe quod nulla alia certitudo in nostra cognitione haberi potest nisi uti certae et indubiae ipsae praesupponantur; quamvis tamen non requiratur actualis vel explicita earundem cognitio, quum alias veritates uti certas amplectimur. Et sane: *a*) quoad *factum primum*. — Nemo aliquam veritatem certam amplecti valet, nisi certus sit se existere; nequit enim quis aliquid cognoscere vel operari, nisi certo existat: quia *operari se-*

quitur esse. Qui proinde de sua existentia dubitaret, de omni sua cognitione et operatione dubitare deberet.

b) *Quoad principium primum*. Nulla veritas uti certa admitti potest, nisi uti certum agnoscatur principium contradictionis. Nam qui nondum uti indubium ac ratum habet, *non posse aliquam rem simul esse et non esse*, nulli veritati uti certae adhaerere potest sine formidine de opposito. Quum ratio, cur oppositum uti certo falsum habendum est, in eo est, quod secus aliquid simul esset et non esset.

c) *Quoad conditionem primam*. — Cognitio certa alicuius veritatis habetur per facultates cognoscitivas. Atqui nemo potest ullam certitudinem suae cognitionis habere, nisi certum ratumque habet, suas facultates aptas esse ad cognoscendum. Ergo.

46. **Dices:** I. Theoria de tribus veritatibus primitivis non iuvat ad refutandos scepticos. Ergo est inutilis. — *R. D. A.*; non iuvat directe contra eos, *c.*; non iuvat indirecte contra eos et directe ad vitandum scepticismum, *n.* —Ultro concedimus claro Card. *Mercier*, hanc theoriam non esse assumendam uti argumentum ad refutandos scepticos, et revera hic iam supponimus illam refutationem. At certum est quod si quis vult vitare scepticismum, necesse est agnoscat istas veritates uti prorsus indubias et immediate evidentes.

II. Quamvis in ordine ontologico propria existentia et aptitudo mentis ad cognoscendum praecedere debeant cognitionem, in ordine tamen logico non requiritur. Ergo. — *R. D. A.*; non requiritur quod ipsae cognoscantur implicite et exercite, *n.*; explicite et in actu signato, *c.* — Verum quidem est non requiri cognitionem explicitam ac determinatam harum veritatum, antequam quis aliquid cognoscat. At certe eas debet implicite agnoscere in omni cognitione aliarum veritatum. Ac proinde quum quis directe ad eas advertit, et quaerit earum valorem determinare, fateatur oportet eas esse in se prorsus indubias ac primitivas, praecise quia in ordine ontologico alias praecedere debent.

III. Actus, quo intelligo me intelligere et quo proinde certus sum de mea cognitione, est alius ac actus, quo intelligo aliquam rem. Atqui prior quidem supponit cognitionem propriae existentiae, alter vero non. Ergo ad habendam cognitionem alicuius rei non praerequiritur cognitio propriae existentiae. — *R. D. M.*; prior actus *explicitus* est distinctus ab altero, *c.*; prior non invenitur *implicite* in altero, *n.*; — *D. m.*; non requiritur prior actus explicite positus, *c.*; neque implicite contentus in altero, *n.* — Et proinde dicimus, *factum primum* propriae existentiae non requiri ut diserte et explicite agnoscatur in omni cognitione ali-

cuius rei. At ipsum implicite semper affirmatur ideoque debet praesupponi, ita ut si negaretur, iam nulla cognitio possibilis esset et hoc sensu dicitur *veritas primitiva.*

IV. Veritates primitivae debent esse necessariae. Atqui factum primum et conditio prima sunt veritates contingentes. Ergo. — *R. D. M.;*... debent esse necessariae vel absolute vel hypothetice, *c.;* tantum absolute, *subd.:* si ipsae versantur solum in ordine ideali, *c.:* si respiciunt etiam ordinem realem, *n.* — *Contrad. m.* — Porro veritates, quae respiciunt ordinem realem, supponere debent existentiam alicuius rei; qua habita, exoritur earum necessitas. Quoad has veritates proinde supponitur existentia cognitionis, qua posita, necessitas exurgit existentiae subiecti cognoscentis et aptitudinis facultatis ad cognoscendum.

V. Istae veritates deducuntur ex eo quod nos de facto aliquid cognoscimus. Atqui tunc non sunt immediate evidentes ac primitivae. Ergo. — *R. D. M.:* deducuntur per illationem demonstrativam stricte dictam, *n.:* per illationem immediatam, *c.* — *Contrad. m.* Quare statim ac operamur et aliquid cognoscimus, advertimus existentiam subiecti cogitantis et aptitudinis mentis: et haec vocatur illatio immediata, ut explicavimus in Dialectica *n.* 119.

VI. Veritates primitivae sunt indemonstrabiles. Atqui istae tres veritates saepe demonstrantur. Ergo. — *R. D. M.;*... demonstratione proprie dicta, *c.;* etiam demonstratione improprie dicta, quae, fit per simplicem terminorum analysim, vel per deductionem ad absurda, *n.* — *Contrad. m.*...

VII. Principium contradictionis prius est quam aliae duae veritates. Ergo. — *D. A.;* prius in ordine ideali, *c.;* etiam in ordine reali, *n.* — Ideo dicimus, eas esse unamquamque primam in suo diverso ordine.

VIII. Omnes istae veritates necessario supponunt existentiam Dei. Ergo. - *R. D. A.;*... in ordine existentiae rerum, *c.;* in ordine cognitionis nostrae, *n.* — Imo in hoc ordine primo cognoscimus existentiam rerum et nostrorum, ac dein existentiam Dei, uti monstrabitur in Theodicea.

IX. Etiam in nostra cognitione, quia eatenus nos possumus cognoscere has veritates, quatenus supponimus veracitatem Dei. Atqui tunc debemus agnoscere Deum. Ergo. — *R. N. Ass.:* et *D. M.:* haec veracitas Dei debet praeexistere, *c.:* nos debemus eam cognoscere, *n.* — *Contrad. m.:* si nos deberemus eam cognoscere, *c.:* si ea tantum debet praeexistere, *n.* — Cartesius utique putavit certitudinem nostrae cognitionis ita reponendam esse in Dei veracitate, ut non possimus eam consequi, nisi explicite hanc cognoscamus. At nos prorsus reiicimus huiusmodi theoriam.

47. **Corollarium.** — *Ergo omnis facultas per se est infallibilis circa proprium obiectum,* ad quod nempe attingendum a natura primo ac per se determinatur. Nam fallere in eo est, quod aliqua res recedat ab actione suae naturae convenienti ac sibi pro-

pria. Atqui omnis res necessario ab ipsa natura determinatur et inclinatur ad actionem sibi propriam, sicut *ignis ad urendum, aqua ad madefaciendum*. Actio vero propria facultatis cognoscitivae ab ipsa natura ad hoc determinatur, ut obiectum cognoscat; quemadmodum omnibus constat. Ergo ipsa est infallibilis in eo attingendo. Secus enim non facultas seu *potentia* cognoscitiva esset, sed *impotentia*, et ideo eius destrueretur natura. Diximus *per se*, quia *per accidens* falli potest: infra exponemus, quomodo dignoscere valeamus, quod neque per accidens in quibusdam fallitur.

Hinc elucet non posse initium duci a dubitatione circa hanc veritatem, quae ex iis est quae sunt indemonstrabiles ac prorsus necessariae ad omnem inquisitionem instituendam, ut quis veritates cum certitudine sibi comparet.

Ea enim necessario sequitur ex veritate quae respicit conditionem primam, aptitudinem nempe facultatis ad cognoscendum.

Siquidem omnis facultas apta ad actum aliquem ponendum nequit per se ab eo deflectere, seu fallere in hoc sui exercitio: secus non *apta*, sed *inepta* dicenda esset. Atqui facultas cognoscitiva certo dicenda est apta ad cognoscendum. Ergo infallibilis quoque de se dicenda est.

Ad rem S. Th. (1) « Nulla potentia cognoscitiva deficit a cognitione sui obiecti nisi propter aliquem defectum aut corruptionem suam, cum secundum propriam rationem ad cognitionem talis obiecti ordinetur: sicut visus non deficit a cognitione coloris, nisi aliqua corruptione circa ipsum existente. Omnis autem defectus et corruptio est praeter naturam, quia natura intendit esse et perfectionem rei. Impossibile est igitur, quod sit aliqua virtus cognoscitiva, quae naturaliter deficiat a recto iudicio sui obiecti. Proprium autem obiectum intellectus est *verum*. Impossibile est igitur, quod sit aliquis intellectus naturaliter circa cognitionem veri aberrans ».

Thesis X.

Quamvis certitudo metaphysica perfectissima dicenda sit, recte formalis ratio certitudinis tribuitur veritatibus ordinis tum physici tum moralis.

48. **De triplici gradu certitudinis.** — Antequam integrae quaestioni de certitudine finem imponamus, altera adhuc solvenda manet de diverso certitudinis gradu. Pro-

(1) *Contra Gentes*, l. III, c. 107.

fecto quoniam diversae extant viae, quae ad certitudinem ducunt, diverso quoque innixae fundamento, evidens fit diversam ex eis gigni certitudinem. At quaestio est: utrum una tantum, ea nempe, quae *metaphysica* vocatur, habenda sit uti vera certitudo, an etiam aliae: et in casu affirmativo, quomodo istae diversae certitudines inter sese distinguantur.

Iamvero omnes in eo conveniunt quod certitudo innixi debeat in infallibilitate enunciabilis, seu in intrinseca necessitate, quam ipsum praesefert. Hinc tres dispescuntur veritatum classes, quae *metaphysicae*, *physicae* ac *morales* nuncupantur, ob diversum fundamentum ontologicum, seu motivum, quo earum necessitas innititur.

Metaphysicae enim in ipsa rerum essentia fundantur, quatenus ratio, cur praedicatum necessario convenit, vel non, subiecto, ea est, quia ipsa essentia rerum hoc necessario exigit. — *Physicae* sunt eae, quae in legibus naturae communibus innituntur, inquantum ideo praedicatum necessario convenit, vel non, subiecto, quia leges, quae rerum naturas regunt, hoc sibi vindicant. — *Morales* tandem in legibus innituntur, quae hominum mores respiciunt.

Nunc incipit quaestio: debent aut possunt omnes istae veritates dici certae, vel tantummodo illae, quae metaphysicae audiunt? Nos reponimus, hac adhibita distinctione.

De ratione certitudinis est, ut mens *adhaereat cuidam enunciabili sine formidine de opposito*. Quare si nomine certitudinis ea intelligitur, quae omne prorsus dubium sive prudens sive imprudens seu, *omnem formidinem de opposito*, a se removet, ac proinde omnem errorem sive *per se* sive *per accidens* a se arcet: tunc ea dumtaxat, quae metaphysice vera sunt, certitudinis nomen sibi vindicant. Et haec erit certitudo perfectissima ac veluti princeps. Contra ea si certitudo, latius sumpta, ea etiam vocatur, quae tantum dubium prudens excludit, ac proinde errorem removet tantum *per se*, ita ut quandoque ipse per accidens adesse possit, tunc et aliae veritates certae dici possunt. Quamvis enim in ipsis non omnino et intrisece repugnet oppositum, quum exceptio fieri possit, vel per miraculum, vel ob pravos hominum mores, attamen quum hoc vel illo in casu, nulla

prudens ratio habeatur, cur haec exceptio admitti queat, quae per se adesse non deberet, prudenter ac rationabiliter omnis excluditur formido de opposito.

Hinc profecto pronum est intelligere, priorem quaestionem revera in hanc aliam redire: « formalis ratio certitudinis simpliciter inspecta debet illi veritati tantummodo attribui, quae omne omnino excludit dubium, tum prudens tum imprudens; vel potest etiam de iis dici, quae solum prudens dubium non agnoscunt? » Et huic quaestioni nos respondemus, secundum membrum eligendo, et prorsus rationabiliter ac philosophice, ut videtur.

49. **Prob. I p.** — Illa certitudo est perfectissima quae omne prorsus dubium excludit de opposito omnemque formidinem, et cui proinde nunquam omnino falsum subesse potest. Atqui huiusmodi est certitudo metaphysica, uti patet. Ergo: et quoad hoc omnes conveniunt.

Prob. II p. — Certitudo formaliter inspecta, non tantum vulgaris, sed etiam philosophica, ea est, qua mens alicui veritati cognitae ita adhaereat, ut in hac cognitione sistat ac quiescat, sine formidine de opposito. Certitudo enim est quies mentis in suo obiecto cognito. Atqui hanc quietem intellectus nanciscitur etiam in cognitione veritatum ordinis physici ac moralis. Ergo. *Pr. m.* Nam quamvis in ipsis non repugnet oppositum, saltem per miraculum, attamen istud est semper exceptio legis. Atqui exceptio per se non debet supponi, sed probanda est, atque adeo quousque nulla datur ratio, quae eam ostendat, iure meritoque non admittitur: ac proinde nulla haberi potest prudens ac rationabilis formido de oppositio. Atqui tunc habetur formalis ratio certitudinis, qua mens quiescit in cognitione veritatis. Ergo.

Et sane quis domi sedendo, aut in lecto quiescendo, aut ambulando super pontem, anxius est, ne forte lex gravitatis amplius non servetur, atque domus, lectus, pons eum amplius non sustineant? Item quis est, qui dapes edendo, quae in diversorio apponuntur, amicum amplectendo, in sinu matris quiescendo, unceps haeret, ne homines legem natu-

ralem spernendo, cibos praebeant venenatos, et amicus ac mater ipsi perditionem machinentur? Omnes homines igitur, ut experientia constat, quiescunt etiam in veritatibus ordinis physici ac moralis. Ergo istis formalis ratio certitudinis tribuenda est.

50. **Dices**: Certitudo moralis, in qua nos saepe quiescimus, non est nisi maxima probabilitas seu verisimilitudo, quae potius vocari posset certitudo *directiva* seu *prudentialis*. Nam in ea semper adest formido, quae manet propemodum sopita. Atqui ubi adest formido, non habetur vera certitudo. Ergo. — *R. D. Ass.*, quaedam certitudo..., *c.*, omnis, etiam ea quae innititur in lege morali naturali praesertim in praeceptis primae classis, omnibus notis, *n.* — *Ad ration. add.: D. M.*:... formido prudens, *n.*: imprudens, *c.* — *Contrad. m.*: ubi adest formido prudens, *c.*, imprudens, *subd.*: non habetur certitudo metaphysica, *c.*: neque moralis, *n.* Verum quidem est, nos non semper agere cum certitudine morali, sed quandoque tantum cum maxima vel magna probabilitate, quia saepe illa sufficit, et vera certitudo haberi nequit. At hinc perperam argueretur, nullam dari certitudinem moralem, etiam quando ea immediate innititur in legis naturalis praeceptis omnibus notis. Et formido, quae tunc adesse posset, est tantum imprudens. Nunc vero quo iure quis neget, dari veram certitudinem, quando nulla adest formido prudens sed tantum imprudens?

Ergo iterum apparet, perperam solvi quaestionem de triplici certitudinis specie, nisi prius resolvatur altera, quae respicit ipsam certitudinis naturam. Videlicet ut diximus, sufficitne exclusio formidinis prudentis, vel requiritur etiam exclusio formidinis imprudentis ad habendam certitudinem? Si primum eligis, triplex datur certitudo specie diversa; sin alterum, metaphysica tantum certitudo agnoscenda est. Iamvero, nos primum elegimus, et conati sumus ipsum suadere ex communi hominum concipiendi et agendi ratione (1).

(1) Quocirca convenire non possumus cum P. Tongiorgi, aiente in 408,5 « quum de singularibus agitur ipsa physica vel moralis certitudo hypothetica est; nempe certa res est physice vel moraliter, dummodo lex sive physica sive moralis in eo casu exceptionem non paliatur ». Sed tunc ista erit certitudo metaphysica, quae *mere materialiter* ab alia secernitur. Et reapse auctor nonnisi illam tantum agnoscere videtur. Nam quamvis antea n. 408, 1° asserat « certitudinem metaphysicam physicam et moralem specie differre » in 2° tamen, addit « certitudinem physicam et moralem esse hypotheticam ». Quare ita nunc arguimus. Omnis distinctio specifica rerum desumitur ex principio formali proprio cuiusque, ac diverso a principio formali alterius. Principium autem formale certitudinis est motivum ostendens rei necessitatem, quod cogit intellectum ad assensum. Ergo tunc habentur certitudines specifice inter se diversae, quum assignantur diversa earum motiva obiectiva. Atqui si di-

51. **Corollarium**. I. — Ergo certitudo physica et moralis non est haec: « si leges servantur, res ita se habet »; e. g. *ignis urit, mater diligit filios*. Pariter neque haec: regulariter seu ordinarie ignis urit... etc. Istae enim sunt certitudines metaphysicae, uti patet. Ideo de eis loquimur, prout a metaphysicis distinguuntur. Sed utraque certitudo habetur, quando quis dicit: *nunc iste ignis urit, ista mater diligit filios*: quia tunc merito supponitur lex physica et moralis servari, quum nulla adsit ratio, quae exceptionem importat. Ideo etiam in scientia morum dicitur: *nemo praesumitur malus, nisi probetur;* et generatim, *exceptio non praesupponenda sed probanda est*, ideoque quousque non probetur, merito reiicitur.

Coroll. II. Ergo recte dicitur, quod certitudo *simpliciter inspecta* gradus admittit, seu tria habet inferiora, de quibus praedicatur, non tamquam genus de speciebus, sed ut *terminus analogus analogia proportionalitatis* de suis analogatis. Nam ratio certitudinis invenitur perfectissimo modo in *metaphysica*, minus perfecte in *physica*, imperfectius adhuc in *morali*. Atqui ratio quaedam pluribus communis, in quibus non reperitur eodem modo, est analoga... Ergo.

III. Ergo certitudini physicae et morali falsum per accidens subesse potest, non autem per se. — Nam quando dico: *hunc ignem certo urere*, hoc *per se* debet esse verum, quia eius natura hoc exigit. At per accidens potest esse falsum, quia Deus potest illam legem suspendere. Idem dicendum est de veritate ordinis moralis. Ergo.

52. **Dices**. Veritas est pars essentialis certitudinis. Ergo nunquam deesse potest. — *R. D. A.*:... ita ut *per se* semper adesse debeat, *c.*; ita ut neque *per accidens deesse* queat, *subd.*: in certitudine metaphysica, *c.*; in physica et morali, *n.* — Et hic iterum redit, quod nuper dicebatur. Nam primo ultro concedimus, in certitudine obiectiva non posse haberi *per se errorem*. Si quis vero adderet, errorem neque *per accidens* obrepere posse in ea, iterum dicimus, hoc valere tantum quoad certitudinem metaphysicam. Ergo prius ostendendum esset, illam

citur, quod certitudo physica et moralis est tantum hypothetica, tunc motivum obiectivum, cogens ad assensum, idem est ac in certitudine metaphysica: est enim necessarius nexus inter *conditionem* et *conditionatum*, qui est intrinsecus et essentialis. Ideoque aut dicendum, tres illas certitudines non differre specifice, sed tantum materialiter, vel certitudo physica et moralis non est spectanda hypothetice, sed absolute.

solam esse vocandam certitudinem, ut inferre liceret, neque per accidens errorem subesse posse certitudini, physicae nempe, vel morali.

Instas: Certitudo, de qua nunc loquimur, est obiectiva, quae secernenda est a subiectiva. Atqui earum discrimen in eo est, quod priori nullum errorem subesse queat, in ista vero adesse possit. Ergo. — *R. C. M.;* et *D. m.;...* in ista error semper *per se* adesse potest, in illa nunquam per se sed tantum *quandoque* et *per accidens*, *c.;* in ista neque per accidens, *n.* — Nam certitudo subiectiva, prout ab obiectiva secernitur, ea proprie est, quae non determinatur a motivo obiectivo clare affulgente intellectui, sed a voluntate, quae imperat *imprudenter* assensum. Atqui voluntas, quum talem assensum imperat, *semper* ac *per se* falli potest. Quia quando deest motivum reale affulgens intellectui, semper potest (quamvis non debeat) esse error. Certitudo vero obiectiva, quum innitatur in motivo reali, *per se* falsa esse nequit. Sed quum *quandoque* (at non semper) potest illud exceptionem pati, quae proinde est tantum per accidens, quin tamen intellectus eam cognoscat, vel rationem habeat eam in quodam determinato casu admittendi, potest per accidens adesse error. Sed etiam tunc suum manet discrimen inter subiectivam et obiectivam certitudinem, uti liquet (1).

53. **Conclusio totius capitis.** - Statuta veritatis natura, primo necesse erat eius existentiam contra idealistas vindicare; et ostendimus contra eos agnoscendas esse veritates cognitionis, quae ab *esse rerum* determinantur, ac proinde ad easdem referuntur. Si quae difficultas ab eis moveri queat, ea potius respicit *modum*, quo ipsa veritas cognitionis contingat, minime vero simplicem eius existentiam, quae certa in se maneat oportet, etsi forte modum illum explicare plene non valeamus.

Hinc manifeste sequitur, *nullos dari posse conceptus, qui a rebus penitus abstrahant.* Hoc principium vidimus evidentissime omnibus affulgere, ipsa natura duce ac magistra. In omnibus vitae hominis operationibus ipsum tamquam ratum ac necessarium fundamentum praesupponitur; eo semel sublato, nulla amplius operatio vitae tum theoreticae tum practicae possibilis foret. Nemini igitur integrum est, illud reiicere, vel in dubium adducere.

In tuto posito contra idealistas omnes hoc fundamentali principio ad propriam veritatis naturam eiusque existentiam vindicandam, facile erat naturam et existentiam certitudinis contra scepticos adaequate tueri. Certitudo enim est perfecta possessio veritatis in nostra cognitione. Ii, qui sceptici vocantur, conan-

(1) *NOTA.* — ARTICULUS III: DE NOTIONE ET ORIGINE FALSITATIS opportunius remittitur ad finem *Capitis II*, postquam de natura veritatis sermo fuerit.

tur ostendere, impossibile esse ad hunc statum pervenire; variis innixi difficultatibus, quae opponuntur. Contra eos in primis statuta est veritas existentiae certitudinis, et demonstrata absurditas scepticismi universalis et etiam partialis, quando nempe in dubium vocat veritates primitivas et indemonstrabiles. Naturam et existentiam harum veritatem explanavimus et ostendimus, qua ratione eas uti *primitivas* esse admittendas.

Dein etiam explicavimus, quanam ratione quaedam dubitatio admitti potest, quae merito vocari solet methodica. Eius propria natura rite explicata, facile innotescere potuit tum eius discrimen a dubitatione scepticorum, tum eius magna utilitas et quandoque etiam necessitas.

Tandem diversos certitudinis gradus explicavimus, ostendendo, quomodo ea diversimode haberi potest.

Et vidimus iure tres certitudinis gradus admitti posse, de quibus certitudo analogice praedicatur. Inde elicuit certitudini physicae ac morali falsum subesse potest, sed tantum per accidens. De notione tamen et origine falsitatis in fine capitis sequentis sermo erit.

Quoad difficultates vero, a scepticis propositas, advertimus, eas non posse adaequate resolvi, nisi postquam *modum* investigavimus, quo veritatem assequi possimus.

Quare nunc plane accedere valemus, ad investigandum et explanandum praecise *modum* illum, quo haec veritas contingat, ut finem logicae integre consequamur, et omnibus scepticorum difficultatibus respondeamus.

CAPUT II.

DE VERITATE CONCEPTUUM ET IUDICIORUM.

54. **Ordo rerum.** — Quaestio igitur, quam solvendam aggredimur maximi momenti est; quaeritur nempe, quomodo illa veritas cognitionis, quam nuper descripsimus, reapse existat, et quibusnam mediis nobis innotescat.

Primo inquirimus de veritate simplicium conceptuum. Et merito quidem; quamvis enim veritas proprie ac perfecte pro intellectu nostro in actu iudicii componente ac dividente reperiatur, non potest tamen quis eius rationem perfecte rimari, nisi antea eius partes perspectas habeat.

Veritas autem simplicium conceptuum in eo est, quod ipsis obiectivus inest valor. Iste igitur in primis vindicandus est. At quoniam conceptus nostri omnes universales sunt, dum contra res, ad quas referuntur, sunt singulares, ideo ad eorum obiectivum valorem vindicandum, inquirendum est, quomodo ipsi in mente nostra oriantur, et quomodo rebus respondeant; et simul oppositae ac diversae sententiae examinandae sunt, et falsae refellendae.

Dein inquirendum venit, in quonam actu veritas formaliter inveniatur, ac proinde propria ratio iudicii explicanda occurit, in quo plene veritas reperitur.

Quum vero saepe praesertim in iudicii actu falsitas immiscetur, de natura quoque et origine falsitatis loquendum erit. Quare totum caput in quatuor dispescitur articulos.

1° De obiectiva realitate conceptuum universalium sermo erit, eorum naturam et fundamenta explicando.

2° Falsae sententiae de istis conceptibus reiiciendae sunt.

3° Formalis ratio veritatis explananda est, ostendendo quo pacto ipsa in nostra cognitione reperiatur.

4° Ratio et origo falsitatis expendenda venit, exhibendo etiam media, quibus ea arceri potest.

ARTICULUS I.

DE OBIECTIVA REALITATE CONCEPTUUM UNIVERSALIUM.

55. **Propria ratio conceptus universalis.** — Modo inquiritur, quo pacto conceptus nostri ad aliquid referantur, a seipsis distinctum, sive sit reale, sive possibile, et quomodo ipsum in rebus extra existentibus inveniatur: i. e. utrum eo modo, quo a conceptibus repraesentatur, aut alio modo.

Ut momentum huius quaestionis facilius perspectum habeatur, haec prae oculis habenda sunt: conceptus nostri sunt universales, uti statim demonstrabitur, dum res existentes singulares sunt. Et ideo est, cur haec quaestio ab aliis vocari soleat: **de Universalibus.** Praeterea intellectus noster nequit hos conceptus universales efformare, nisi praecedat cognitio quaedam sensitiva, quae tamen circa singularia versatur. Insuper omnes res extra mentem existentes non modo singulares sunt, sed etiam contingentes ac mutabiles. Iure proinde quaeritur: *quomodo conceptus nostri, qui sunt universales, necessarii et immutabiles, valent res istas repraesentare?*

Breri: quaeritur: *quomodo conceptus universales valorem habent obiectivum?*

Loquimur, uti patet, de conceptibus simplicibus. Et idcirco, praestitutis notionibus de ipsa ratione universalis, quas in Dialect, c. I., a III exposuimus, statim adverte, nos in praesenti proprie ac per se loqui tantum de universali *materiali*, quod apprime secernendum est a formali, de quo in fine aliquid attingemus. Et prius tueri conabimur factum ipsum existentiae conceptuum universalium, deinde fundamenta exponere, ex quibus natura universalis efflorescit, istis conceptibus respondens.

56. **De Unitate et Pluralitate naturae universalis.** — Quum spectatur universale *materiale* seu *directum*, investiganda nobis occurrit *ipsa natura realis*, cui competit in-

tentio universalitatis, in qua duae notae distinguendae sunt : *unitas* et *pluralitas*. Quoad unitatem hoc addendum videtur, ipsam proprie dicere indivisionem alicuius rei et eius distinctionem ab alia; vel, concrete spectata, aliquam rem in se determinatam ac distinctam et ab aliis divisam.

Hinc sequitur, quod secundum diversum modum, quo aliquid est in se indivisum et ab aliis distinctum, diversam pariter rationem unitatis sibi vindicat. Hic proprie loquimur de *unitate perfecta*, quae in eo est, quod entitatem dicat perfecte in se determinatam et ab aliis distinctam, et est propria unitas *univocorum*.

Ea dividitur in *numericam* seu *materialem* et *formalem*. — *Prior* exurgit quando habetur aliqua perfectio singularis, qua aliquod individuum in se indivisum constituitur et ab aliis distinctum; dicitur etiam *materialis*, quia in rebus sensibilibus exurgit a materia : quare ista unitas negat divisionem materialem seu numericam et entitatem importat, quae nonnisi in uno individuo reperiri potest.

Altera vero habetur, quando aliqua perfectio seu essentia extat determinata in se et distincta ab alia; ut e. g. *humanitas*, *brutalitas*... : dicitur *formalis*, quia ipsa sequitur formam, licet includat etiam materiam specificam. Quare ad hanc unitatem requiritur tantum negatio divisionis essentialis, non autem numericae : inquantum scilicet quaedam determinata perfectio seu essentia per ipsam exhibetur ab alia distincta, quamvis in pluribus inveniri possit individuis, in quibus semper eandem importat perfectionem essentialem. « Sicut e. g., ut scite advertit S. Th., quae non dividuntur in eo quod est homo, dicunt unum in homine, sicut Socrates et Plato. Et quae non dividuntur in ratione animalis, dicuntur unum in animali... » (1).

Sed ista unitas formalis multiplex adhuc esse potest, iuxta diversum modum, quo aliqua perfectio est in se indivisa et ab aliis distincta. Vel enim habetur aliqua essentia completa alicuius rei, et tunc efflorescit *unitas specifica;* vel essentia completa sed perfectibilis, et oritur *unitas generica*, vel incompleta sed perficiens, et exurgit *unitas differentia-*

(1) In L. V. *Metaph.* l. 8.

lis; vel perfectio non essentialis sed necessario connexa cum essentia rei, et adest *unitas accidentalis*.

57. Praeterea si istae entitates *actu* seu *realiter* sunt ab aliis distinctae, tunc dicuntur habere *unitatem actualem*. Si vero non sunt actu ad aliis distinctae sed possunt ab aliis abstrahi, per mentis considerationem, tunc dicuntur habere *unitatem in potentia*, seu potentialem.

Iamvero quum res existentes singulares sint, omnes gaudent *unitate numerica*, quae in rebus sensibilibus materialis quoque dicitur. Ea *dupliciter* spectari potest : — *a*) vel prout integram dicit perfectionem alicuius individui, et est tota illa entitas singularis, qua individuum in se constituitur. — *b*) Vel prout importat illam ultimam perfectionem individualem (quae vocari potest *haecceitas* cum Scoto, vel *principia individuantia* cum S. Th.), qua aliquod individuum in sua individuali perfectione constituitur, et distinguitur ab alio individuo eiusdem perfectionis specificae vel saltem genericae. Et tunc possumus in rebus adhuc distinguere alias perfectiones, quae ad invicem non includuntur secundum sui formalem rationem, et eis diversas unitates formales tribuere, quae proinde tum ab istis principiis individuantibus, tum ad invicem in *potentia distinguuntur* (1).

58. **De Pluralitate** vero hoc sufficit dicere : quod ea consistit in multiplicatione vel multiplicabilitate alicuius entitatis, seu unitatis : inquantum aliqua entitas, quae est in se una, reperitur identice in pluribus entibus divisa et multiplicata, vel saltem divisibilis, inquantum dicit positivam indifferentiam seu aptitudinem essendi in pluribus.

Porro haec unitas non est *unitas materialis*, seu numerica, sed est aliqua *unitas formalis*. Etenim, ut ait ad rem Suarez (2) : « commune seu universale dicitur, quod secun-

(1) « Oportet quod in quolibet composito ex materia et forma sint principia individuantia (i. e. unitas materialis), quae sunt praeter naturam speciei (i. e. unitatem formalem). Unde huiusmodi res non tantum est quidditas sua (i. e. sola perfectio specifica seu unitas formalis), sed aliquid praeter hoc ». Ita ad rem S. Th. in VIII *Metaph.* l. 3. Unitas vero formalis potest considerari iuxta illos modos, quos diximus, et ita exurgunt illae quinque unitates formales, quas superius explicavimus.

(2) *Met.* Disput. V, s. I, n. 2.

dum unam aliquam rationem multis communicatur seu in multis reperitur, unum autem numero seu singulare ac individuum dicitur, quod ita est unum ens, ut secundum eam entis rationem, qua unum dicitur, non sit communicabile multis ». Nam unitas materialis est praecise id, quo ens redditur incommunicabile. Ergo ista unitas e diametro opponitur universali.

Contra vero *unitas formalis*, quaecumque sit, in rebus sensibilibus ea est, quae est vel esse potest in pluribus. Ipsa enim non negat divisionem materialem, sed tantum formalem, quatenus unam determinatam importat perfectionem, quamvis in multis individuis multiplicatam vel multiplicabilem.

Nunc statim accedendum ad factum ipsum existentiae conceptuum universalium vindicandum.

Thesis XI.

Revera dantur conceptus universales valore obiectivo manifestissime praediti.

59. **Declaratur.** — Nunc vindicamus factum ipsum existentiae conceptuum universalium, qui rerum realium perfectiones exhibent. Asseritur enim, quod revera dantur in intellectu conceptus universales, qui nempe aliquam unam repraesentant naturam rerum pluribus similem, in quibus ea est identice multiplicata; isti autem conceptus non sunt purum figmentum mentis, sed revera respiciunt res extra mentem existentes.

60. **Prob.** — Si non darentur isti conceptus universales, impossibilis foret omnis scientia de rebus realibus etiam sensibilibus. Atqui multae dantur scientiae de rebus realibus ac sensibilibus. Ergo.

Pr. M. Ideo habetur scientia de rebus sensibilibus, inquantum istae spectantur secundum aliquas perfectiones et proprietates pluribus individuis communes, quaeque subiiciuntur legibus communibus ac principiis universalibus, uti

patet discurrenti per singulas scientias. *Medicina*, e. g., considerat veritates, quae respiciunt omnia viventia, ut omnium naturas operationesque perspectas habeat, ac remedia praescribat, si forte in eis inordinatio quaedam contingat. Et ita medicus eadem principia adhibet et applicat diversis aegrotis, qui sibi occurrunt. *Mathesis* principia enunciat ac veritates docet, quae pro omnibus corporibus valent; atque adeo architectus iisdem principiis diversa corpora commensurat, ad invicem comparat, domos extruit..... et ita porro. Atqui haec omnia necessario supponunt, dari conceptus universales, qui nempe unam eandemque exhibent perfectionem, seu unitatem formalem identice in pluribus individuis multiplicatam, ideoque obiectivo valore praediti. Ergo.

Confirmatur praeterea ex propria cuiusque experientia, qua docemur nos saepe cogitare ac loqui per conceptus et voces universales, quos rebus sensibilibus applicamus; imo nos ignorare proprias singulorum individuorum perfectiones, sed ea tantum cognoscere per conceptus universales simul adiunctos diversarum perfectionum, *quas non habet unus et alter*. Ergo aut nullam de rebus intellectualem cognitionem nos habere posse dicendum est; aut asserendum, conceptus universales rebus esse respondentes. Atqui primum est reiiciendum, nisi in scepticismum incidere velimus; ergo alterum est admittendum.

61. **Dices:** I. De Deo datur scientia. Atqui Deus non est universalis. Ergo scientia non est de universalibus. — *R. D. M.:*... per conceptus universales abstractos a rebus sensibilibus, *c.:* per immediatam eius intuitionem, *n.* — *C. m.* — Suo loco monstrabitur, Deum a nobis cognosci non posse, nisi per conceptus a rebus sensibilibus abstractos. Isti autem sunt universales, quia praescindunt a singularibus perfectionibus individuorum. Ergo etiam de Deo scientia nostra habetur per conceptus universales.

II. Scientia realis versatur circa res existentes. Atqui istae sunt singulares. Ergo. — *R. D. M.:*... spectando illas secundum unitates formales pluribus communes, *c.:* secundum unitatem materialem, *n.* — Et revera quum scientia considerat aliquam rem singularem, in ea semper spectat perfectiones illas, quae ei sunt cum aliis communes, praescindendo a propria ratione huius individui, inquantum est hoc individuum. Ita medicus, qui praesens sibi habet aliquod cadaver, in eo inspicit rationes illas, quae communes sunt aliis hominibus; et principia enuntiat, quae non

huic cadaveri sed ceteris hominibus applicanda erunt. Hinc evidens est, eum abstrahere ab eius unitate materiali, et investigare unitates formales aliis communes, quae constituunt aliquod universale.

III. Isti conceptus sunt aliquid in mente existens. Atqui quicquid existit, singulare est. Ergo. — *R. D. M.;...* et simul referuntur ad res extra existentes, *c.;* et non referuntur ad istas, *n.* — *Contrad. m.;...* inspectum *subiective* in sua intrinseca natura, *c.*, inspectum *obiective* seu *repraesentative*, prout aliquod obiectum repraesentat, *subd.;* si repraesentat unum individuum, *c.;* si plura individua, *n.* Et ideo isti conceptus sunt universales, tantum prout obiective spectantur, quatenus ad plura individua referuntur. Unde si nullo obiectivo valore praediti sunt neque universales esse possunt.

IV. Nequit iste valor obiectivus agnosci, nisi intellectus hos conceptus cum rebus comparet ad easque referat. Atqui hoc fieri nequit. Ergo. — *R. D. M.;...* nisi hoc faciat in *actu signato* per alium conceptum ab illis distinctum, *n.;* nisi hoc faciat in *actu exercito*, quatenus efformando hos conceptus eos referat ad res, *c.* — *Contrad. m.* — Quare eo ipso quod intellectus efformat hos conceptus, eos refert ad res, quia eorum naturae est repraesentare illas res, a quibus intellectus determinatur ad eos efformandos, ut innuimus in n. 12, 1., sicut imago producta in speculo per seipsam refertur ad rem, a qua producitur. Et mens efformans hunc conceptum per ipsum exercite et immediate refertur ad res extra existentes.

62. **Corollarium.** — Ergo impossibile est dubitare de valore obiectivo conceptuum universalium, quin etiam fundamentum omnium scientiarum integre everlatur. Hoc ab ipsis adversariis confirmatur, quippe qui obiectivum valorem conceptuum universalium reiicientes, coacti sunt negare possibilitatem scientiae realis rerum. Porro contra hos insurgunt omnes philosophi sanae mentis necnon mathematici, physici, medici omnesque scientiarum experimentalium cultores, qui in istis scientiis excolendis dia noctuque insudant. Inde patet quam pessimum fuerit consilium Cartesii, Kantii, Hegelii aliorumque, qui ut media statuerent ad veritatem cum certitudine nanciscendam, omnia necnon hunc valorem obiectivum in dubium vocaverunt. Quo factum est, ut nihil aliud ut certum habere potuerint neque hoc dubium amovere, illumque obiectivum valorem vindicare, quum haec sit veritas prima, quae non potest directe demonstrari, ut ipsi contendebant; et ita fundamenta iecerunt maximi scepticismi.

Thesis XII.

Fundamentum ontologicum universalis directi " est quaedam similitudo in unitatibus formalibus rerum ,, (1).

63 **De Fundamento conceptuum universalium.** — Nunc inquirendum occurrit, quodnam habeatur fundamentum, ex quo universale directum, illis duabus notis constans, efflorescat. Profecto isti conceptus universales ii sunt, quos Kant ponit in oppositione ad experientiam, cum *duos fontes* cognitionis assignat. Hinc merito inquirendum occurrit: suntne isti conceptus prorsus independentes ab omni intuitione sensitiva, aut habentur etiam per hanc eandem intuitionem? Nos hanc alteram partem defendimus. Haec quaestio tamen nondum est confundenda cum quaestione psychologica, in qua proprie expenditur *modus*, quo ex experientia conceptus hauriuntur. Nunc solum factum perscrutandum contendimus istius veritatis.

Et dicimus, ipsum rite explicari, *primo* ex parte rerum, in quibus reale adest horum conceptuum fundamentum, quod merito dicitur *ontologicum*: *secundo* ex parte intellectus, qui plane valet ex hoc fundamento illos conceptus haurire. Et quoad primum quod in praesenti thesi proponimus, asserimus quod ipsum *est aliqua similitudo in unitatibus formalibus rerum*. Sed haec enunciatio duo exhibet: 1° quod existente in rebus huiusmodi similitudine, iam habetur fundamentum ontologicum universalis: 2° quod reapse in rebus ipsum existat. Porro modo insistimus tantum in priori parte, quia altera iam probata in thesi superiori censeri potest, et inferius diserte iterum vindicabitur contra nominalistas.

64. **Quomodo adest in rebus hoc fundamentum.** - Ad ipsum rite determinandum, adverte cum S. Thoma (2): « Non oportet quod, si hoc est homo et illud homo, quod eadem sit humanitas utriusque, sicut in duobus albis non est eadem albedo numero, sed quod *hoc similetur illi in hoc, quod habet humanitatem sicut illud*: unde intellectus accipiens humanitatem non secundum quod est huius, sed *ut est humanitas*, format intentionem communem omnibus ». Scilicet ex eo quod haec vel illa unitas formalis humanitatis, e. g. *Petri*, sit perfecte similis unitati humanitatis *Pauli*, intellectus spectando illam, concipit perfectionem unam illis communem. Unde etiam auctor *summae totius log. Arist.* (3) ait « Intentioni universilitatis respondet extra ut fun-

(1) Suarez, *Metaph.*, Disp. 6, s. 2, n. 12.
(2) II S. D. 17, q. 1, a. I.
(3) Tract. 1, c. 2.

damentum illud, in quo *Socrates e. g.* est conformis cum aliis rebus ».

Hinc elucet, quomodo huiusmodi unitates formales, quae similes reperiuntur in pluribus individuis, possunt respondere uni eidemque conceptui universali. Siquidem ut ait Arist. (1), « universaliter quotcumque non habent divisionem, quatenus non habent, eatenus unum dicuntur, ut si prout homo non habet divisionem, unus est homo, si vero in quantum animal, unum animal ». E. g. *Petrus*, *Paulus*, *Antonius*..... etc. non dividuntur nec distinguuntur in quantum sunt homines, quia habent eandem perfectionem humanam, et sic constituunt unum hominem. Hinc intellectus concipiendo hominem, unum gignit conceptum, qui repraesentat illa individua secundum eandem unitatem formalem.

Item S. Th. hanc explicans doctrinam in X *Met.* l. 1. ait: « Quaedam alia dicuntur unum propter *rationem unam*. Huiusmodi autem sunt, quorum intelligentia est una, quae *una apprehensione* apprehenduntur ab anima. Et dicuntur una apprehensione apprehendi talia, quorum est una apprehensio indivisibilis. Quod quidem contingit dupliciter. Aut quia apprehensio indivisibilis est eius, quod est *unum specie*, aut eius, quod est *unum numero*. Numero quidem indivisibile est ipsum singulare, quod non potest praedicari de multis. Specie autem unum est indivisibile, quod est *unum secundum scientiam et notitiam*. Non enim in diversis singularibus est aliqua natura una numero, quae possit dici species. Sed intellectus apprehendit *ut unum id, in quo omnia inferiora conveniunt*. Et sic in apprehensione intellectus species fit indivisibilis, quae realiter est diversa in diversis individuis ».

Quapropter hoc praecipue contendimus in praesenti, nimirum quum in rebus reperiatur similitudo in aliqua unitate formali, intellectus potest unum conceptum efformare, qui ea omnia secundum illam similem perfectionem repraesentat. Atque adeo obiectum reale, respondens illi conceptui universali, est res, spectata tantum secundum aliquam unitatem formalem, quae reperitur in pluribus individuis identice multiplicata.

65. **Probatur.** — Tum habetur fundamentum ontologicum universalis directi, cum demonstratur, adesse in ipsis rebus naturam seu perfectionem aliquam pluribus communem, quae conceptui universali respondeat. Atqui quum habetur similitudo in quadam unitate formali seu natura, quae, spectata secundum aliquam unitatem formalem, similis reperitur in pluribus rebus singularibus), adest in rebus

(1) *Metaphys.*, L. IV, c. 6.

id, quod adaequate respondet conceptui universali. Ergo haec natura est fundamentum ontologicum.

Pr. m. — Conceptus universalis dicit perfectionem quandam *perfecte unam*, quae in pluribus individuis *multiplicata* vel *multiplicabilis* reperiatur. Atqui natura, spectata secundum aliquam unitatem formalem est in se *perfecte una*, quia eandem indivisibilem dicit perfectionem: haec autem unitas de se non determinatur ad unum individuum, sed potest eadem *in pluribus* reperiri. Ergo eo ipso, quod deprehenduntur individua, quae similia sunt in aliqua unitate formali, dicendum est, in eis reperiri naturam quandam multiplicatam secundum illam unitatem formalem, quae proinde adaequate respondeat conceptui universali in mente existenti.

Ita e. g. habeo in mente conceptum universalem corporis, i. e. alicuius substantiae extensae, et demonstro ipsum esse obiectivum, ostendendo plures res singulares, spectatas tantum secundum illam formalitatem, et dico: perfectio corporis adest in hac re, item in hac altera, in tertia, in quarta... etc., quae omnes similes sunt in hac perfectione. Ergo existit in rebus perfectio respondens conceptui universali *corporis*, qui proinde obiectivus dicendus est.

66. **Obiicies.** — I. Universale directum dicit unitatem et multiplicitatem. Atqui illa similitudo haec duo non exhibet. Ergo. *R. D. M.:...* universale in actu, *c.;* in potentia, *subd.;* dicit unitatem saltem in potentia, *c.;* etiam in actu, *n.* — *Contrad. m.* — Nos non dicimus istud fundamentum, ex quo universale directum actu constituitur, esse sufficiens, sed est tantum partiale, ex quo ideo saltem universale in potentia constitui potest. Et hoc sufficit ad ostendendum, conceptui universali reapse respondere in rebus perfectionem realem.

II. Res existentes sunt singulares ac diversae. Atqui in istis nulla haberi potest communis similitudo. Ergo. *R. D. M.:...* per unitatem materialem, *c.;* per ipsas unitates formales, *n.* — *Contrad. m.:...* si sunt singulares et diversae per unitatem materialem, *n.;* si per unitatem formalem, *subd.:* non invenitur similitudo specifica, *c.;* neque generica, *n.* Res materiales, uti diximus, fiunt singulares et diversae per unitatem materialem formali superadditam, atque ita haec unitas formalis in sui ratione semper eadem manet et in pluribus individuis multiplicatur. In substantiis vero spiritualibus ipsa unitas formalis speci-

fica est singularis, ut alibi probabitur, et ideo in unaquaque diversa, sed tunc in ipsis saltem unitas generica communis spectari potest.

III. Unitates formales in rebus non distinguuntur a materiali. Atqui haec est diversa. Ergo et illa. — *R. D. M.*:... non distinguuntur re, *c.*; neque ratione, *n.* Iamvero quum saltem ratione distinguantur, ideo fit, quod accedente operatione intellectus, qua consideratur unitas quaedam formalis sine alia, possit ipsa sola spectari, quae in pluribus communis est, et ita conceptus universalis enascitur.

Thesis XIII.

Similitudo in unite formali, quamvis non cognoscatur per sensus, immediate tamen eruitur ex cognitione singularium per abstractionem intellectus a principiis individuantibus.

67. **Status quaestionis.** — Declarato fundamento ontologico, existentiae nempe in rebus unitatum formalium similium inter se; explicandum manet, quomodo intellectus has unitates formales apprehendere valet. Porro quoad hoc extat praecipua difficultas in praesenti quaestione. Nos sequimur profundam explicationem Aristotelis et scholasticorum fere omnium, quae clara admodum est et efficax ad oppositos errores evertendos, iam aetate Aristotelis exortos, quique semper diversis sub adspectibus ad nostram usque propugnati sunt.

Quidam, principe Platone una cum idealistis diversarum classium, cum Cartesio, Kant et immanentiae fautoribus, penitus seiungunt conceptus mentis a cognitione sensitiva, ac proinde impossibilem reddunt explicationem obiectivi valoris eorumdem. Alii vero, principe Democrito, cum Locke, sensistis, materialistis, positivistis, ac pantheistis omnibus conceptus mentis cum cognitione sensitiva ita male permiscent, ut istam tantum agnoscant, atque inde eruunt, res tantum sensibiles ac singulares nos cognoscere posse.

Aristoteles autem, quem postea scholastici omnes unanimiter secuti sunt, statuit cum prioribus discrimen inter conceptus mentis et cognitionem sensitivam, at simul tuetur dependentiam et intimam relationem inter illos et istam. Et hoc recte dici potest praecipuum fundamentum totius philosophiae Aristotelico-scholasticae.

68. **Doctrina Aristotelis.** — Iamvero ipse primo statuit per solos sensus scientiam haberi non posse: quippe quae per con-

ceptus universales comparatur: sensus autem non cognoscit nisi singulare (1).

Unde totum negotium in aliqua scientia excolenda in eo est, ut rite demonstrentur conceptus ac principia universalia, quae circa eam versantur, rebus ipsis respondere; quod per solos sensus nullo modo comparari potest.

Sed alibi (c. 18) hoc aliud principium statuit. « Perspicuum etiam est, si quis sensus defecerit, necesse esse, etiam scientiam quandam defecisse, quam impossibile erat consequi » (2).

In psychologia fusius ac directe explicabitur processus, quo ex cognitione sensitiva hauriantur conceptus universales: modo sufficit intelligere factum ipsum, quod ita clare exponitur ab Auctore « *Summae totius log. Arist.* » tract. I, c. 1 « In nostra phantasia est phantasma seu forma repraesentans hunc hominem, secundum quod fuit in aliquo sensu exteriori: quae forma virtute intellectus agentis agit in intellectum possibilem, sicut colores virtute luminis agunt in potentiam visivam, et causatur tunc in intellectu possibili quaedam forma, quae dicitur *species intelligibilis*, vel secundum alios, *actus intelligendi* vel *verbum*, quae repraesentat hominem, *non tamen ut est hic nunc, sed abstractum e talibus conditionibus, et hoc dicitur universale* ».

69. **De Abstractione mentali.** — Patet igitur, quod totum negotium in eo est, ut explicetur gressus a cognitione sensitiva, quae est singularium, ad cognitionem intellectivam, quae est universalium. Et asserimus, quod requiritur *abstractio*, aliqua nempe operatio intellectus, vi cuius pot-

(1) Haec habet in *Post. Anal.* c. 31: « Neque per sensum aliquid scire licet. Etiamsi enim est sensus rei talis, nec certe huius rei: tamen sentire saltem hoc aliquid (certam rem) nos oportet; et certo loco ac certo tempore. Universale vero est quod in omnibus sentire non possumus: quum id non sit hoc aliquid, neque certo tempore sit; alias enim non universale esset; nam id, quod semper et ubique est, universale dicimus. Quoniam ergo demonstrationes sunt universales, haec vero (universalia) sensu cognosci non possunt; apparet, nos per sensum aliquid scire non posse. Imo manifestum est quod, etiamsi sentire liceret, triangulum duobus rectis aequales habere angulos; quaereremus tamen demonstrationem, nec, ut nonnulli volunt, sciremus. Sentire enim nos necesse est singulare; scientia autem ex universalis cognitione existit ».

(2) « Siquidem, ita pergit, discimus aut inductione, aut demonstratione. Est autem demonstratio ex universalibus; inductio vero ex singularibus: impossibile vero est universalia contemplari, nisi per inductionem: (nam illa quoque, quae ex abstractione percepta dicuntur, per inductionem nota erunt, si quis velit illa nota facere, quod illorum quaedam insint cuique subiecto, etiamsi non possint separari, quatenus unumquodque sit tale), inductione autem doceri sensu destitutos, impossibile est. Sensus enim est singularium: nam non contingit horum adipisci scientiam, nec enim scientiam acquirere licet ex universalibus sine inductione, nec per inductionem sine sensu ».

est sola unitas formalis considerari, relictis diversis unitatibus materialibus, quibus est coniuncta in rebus: in hoc stat *fundamentum psychologicum*.

Abstractio est *tractio* seu *separatio unius ab altero*. Iamvero ut in ea tantum sistamus, quae per intellectum fit et ideo *mentalis* appellatur, ipsa *duplex* esse potest: una per *modum compositionis vel divisionis*, altera per *modum simplicitatis*, quam clare exponit S. Thomas (1): « Abstrahere contingit dupliciter; uno modo per modum compositionis et divisionis, nempe per iudicium negativum, quando mens separat aliquam perfectionem ab altera negando illam de ista) sicut cum intelligimus aliquid non esse in alio, vel esse separatum ab eo. Alio modo per modum simplicitatis (per simplicem apprehensionem) sicut cum intelligimus unum nihil considerando de alio ». Sicut etiam in sensibus oculus vidit colorem, nihil cognoscendo de sapore alicuius pomi.

Sed ista altera abstractio potest rursus esse duplex: *physica*, vel *metaphysica* (2) seu *logica* secundum diversam formam, quae abstrahitur. Potest enim abstrahi *forma physica a* materia prima, ut e. gr. *anima humana*; vel *forma metaphysica* ab aliquo subiecto, vel quasi subiecto, quocum constituit essentiam completam alicuius rei, ut e. gr. *humanitas* a Petro, vel *animalitas* ab homine. Haec dicitur *metaphysica*, quia formae per eam abstractae a metaphysicis praesertim spectantur: appellatur logica, quia ea non supponit distinctionem realem inter formam et subiectum, sed solam importat inter ea distinctionem rationis.

70. — Tandem ista eadem abstractio per modum simplicitatis distribuitur etiam in *partialem* seu formalem et *totalem*. Prior habetur, quando abstrahitur aliqua forma partialis ab aliqua re, quae ideo consideratur *ut pars illius*, sic e. gr. abstraho animalitatem ab homine, quam specto ut eius partem. Et tunc haec forma nequit praedicari de inferioribus.

(1) I, p. q. 85, a. 1 ad 1

(2) Quidam distinguunt inter abstractionem metaphysicam et logicam. Sed quum haec distinctio ad nihil inserviat, et potius confusionem gignere posset, merito a nobis negligitur.

Altera habetur, quando abstrahitur a rebus aliqua forma metaphysica, quae quidem consideratur *ut totum*, inquantum implicite et in potentia contineat etiam ea, quae in tota re inveniuntur; ita e. gr. abstraho *animal* ab *homine*. Et tunc illud potest praedicari de suis inferioribus, dicendo: *homo est animal*, quia implicite in animali adest rationale.

Hoc autem ut recte intelligatur, recolendum est, abstractionem de se esse semper partialem, quia *trahitur* seu explicite consideratur una pars seu forma rei, altera relicta. Sed quando illa forma abstracta consideratur exclusive, nempe *ad exclusionem* alterius, ac proinde uti pars illius rei, proprie habetur *abstractio partialis*. Quando vero ita spectatur illa forma abstracta, ut non excludantur cetera, tunc dicitur *abstractio totalis*: *abstractio* quidem, nam reipsa *una* tantum forma *explicite* spectatur; *totalis* vero, quia *implicite* supponuntur cetera, quae in re adsunt: et hanc ob rationem illa forma abstracta concipitur modo concreto et dicitur: *homo*, *animal*, *vivens*, quae praedicantur de suis inferioribus.

Quare abstractio *physica* est semper partialis, uti patet: abstractio *metaphysica* seu logica potest esse vel partialis vel totalis, secundum diversam mentis considerationem.

Praeterea abstractio *totalis* dicitur etiam *universalis*. Per ipsam enim semper abstrahitur aliqua perfectio, quae ita est in uno individuo, ut sit etiam in aliis, ideoque potest in recto praedicari de ipsis, quum contineat implicite quicquid in eis includatur, et ita praedicatur ut totum de toto. Istis declaratis ad demonstrationem accedamus.

71. **Prob. I p. — Similitudo in unitate formali non cognoscitur per sensus.** — Sensus proprie cognoscit singulare, concretum, determinatum loco, tempore, aliisque accidentibus, uti experientia cuique aperte testatur. Atqui huiusmodi singularia in ipsa singularitatis ratione nullam dicunt similitudinem, sed semper dissimilitudinem, quum per eam ad invicem distinguantur. Item determinationes loci, temporis et huiusmodi saepe diversae sunt et causa dissimilitudinis. Ergo ipsa similitudo in unitate formali nequit per sensus cognosci.

Praeterea ad illam similitudinem apprehendendam oportet plures res percipere, in quibus aliqua natura secundum similem unitatem formalem reperitur. Et deinde super illas res iuxta talem unitatem perceptas reflectere, easque simul comparare, atque similes in illa deprehendere. Atqui cognitio sensitiva, quum ea sit, quae peragatur dependenter ab organo, impotens est ad haec omnia efficienda. Quia organon materiale impedit, ne facultas cognoscitiva reflectat super suos actus, ac diversas cognitiones simul sibi comparet, quum istae sint semper organo alligatae, ideoque unum organum nequit inservire ad multas cognitiones simul comparandas. Ergo.

Prob. II p. — Immediate eruitur ex cognitione sensitiva singularium. — Haec pars posset duplici ratione spectari. *Primo* quod illa similitudo in unitate formali *debeat* necessario erui ex cognitione sensitiva; *secundo* quod *possit* ex ipsa colligi. Iamvero primum potest in praesenti transmitti, eo vel magis quod ipsi adversarii ultro concedunt, et in psychologia diserte vindicabitur. Sufficit igitur modo alterum tantum demonstrare.

Et sane sentire est ipsum affici ab aliquo obiecto, uti omnibus experientia clare testatur. Obiectum autem nequit afficere sensus nostros, nisi sit *reale* ac *nobis* aliqua ratione *praesens*. Ergo sensus percipit obiectum ut *reale* ac *sibi praesens*, vel ut aiunt moderni cum Kant, per *intuitionem*. Et idcirco quum plures habentur sensationes inter se distinctae, plura quoque agnoscenda sunt obiecta realia inter se distincta. Atqui quum in istis invenitur quaedam perfectio similis in aliqua unitate formali, intellectus, eam apprehendens, necessario percipit eam esse *realem*. Ergo conceptus, qui inde enascitur, repraesentans illam perfectionem similem, est reapse realis, minime vero *vacuus*, uti Kant comminiscitur. Rite igitur ex cognitione sensitiva colligi potest conceptus universalis, cui valor obiectivus aperte inesse apparet.

Prob. III p. — Per abstractionem mentalem. — Intellectus nequit unitates formales rerum in individuis multiplicatas, *ut perfecte similes inter* se concipere, nisi eas

apprehendat sine principiis individuantibus singularium. Atqui hoc fit per abstractionem praecisivam totalem. Ergo.

Pr. m. Huiusmodi unitates in rebus quamquam non distinguuntur actu a principiis individuantibus, dicunt tamen perfectionem ab eis diversam ac distinctam, ac proinde apprehendi possunt sine illis. Atqui per abstractionem praecisivam intellectus eas ita apprehendit. Atqui rursus istae unitates ita apprehensae iam sunt *actu* distinctae a principiis individuantibus, atque adeo perfecte inter se similes et identice multiplicatae in pluribus individuis. Ergo per hanc abstractionem intellectus plene cognoscit aliquam naturam actu unam et realiter existentem, ac multiplicatam in pluribus individuis. Ad rem S. Th. (1). « Una et eadem natura, quae singularis erat et individua, efficitur postea universalis *per actionem intellectus deparantis ipsam* a conditionibus quae sunt hic et nunc ».

72. **Doctrina S. Thomae.** — Item alibi utramque partem ita complectitur et declarat S. Thomas iuxta Aristotelis doctrinam (2). « Secundum est, quod sensus est virtus in organo corporali, intellectus vero est virtus immaterialis, quae non est actus alicuius organi corporalis. Unumquodque autem recipitur in alio ad modum sui. Cognitio autem omnis fit per hoc, quod cognitum est aliquo modo in cognoscente scilicet secundum similitudinem. Nam cognoscens in actu est ipsum cognitum in actu. Oportet igitur quod sensus corporaliter et materialiter recipiat similitudinem rei, quae sentitur. Intellectus autem recipit similitudinem rei, quae intelligitur, incorporaliter et immaterialiter. Individuatio autem naturae communis in rebus corporalibus et materialibus, est ex materia corporali sub determinatis dimensionibus contenta; universale autem est per abstractionem ab huiusmodi materia et materialibus conditionibus individuantibus. Manifestum est igitur, quod similitudo rei, recepta in sensu, repraesentat rem secundum quod est singularis: recepta autem in intellectu, repraesentat rem secundum rationem universalis naturae: et inde est quod sensus cognoscit singularia, intellectus vero universalia et horum sunt scientiae ».

Et alibi (3) adhuc clarius : « si accipiantur multa singularia, quae sunt indifferentia quantum ad aliquid unum in eis existens, illud unum secundum quod non differunt, in anima receptum,

(1) Opusc. I *De Universal.*: cfr. etiam S. Theol., I p., q. 85. a. 2, ad 2m
(2) In II, *de Anima*, l. 12.
(3) In II, *Post. Anal.* l. 20.

est primum universale, quicquid sit illud, sive scilicet pertineat ad essentiam singularem, sive non. Quia enim invenimus Socratem et Platonem et alios esse indifferentes quantum ad albedinem, accipimus hoc unum, scilicet album, quasi universale, quod est accidens. Et similiter, quia invenimus Socratem et Platonem et alios esse indifferentes quantum ad rationabilitatem, hoc unum in quo non differunt, scilicet rationabile, accipimus quasi universale, quod est differentia.

Qualiter autem hoc unum accipi possit, manifestat consequenter (Aristoteles). Manifestum est enim quod singulare sentitur proprie et per se; sed tamen sensus est *quodammodo* et ipsius universalis. Cognoscit enim Calliam, non solum in quantum est Callias, sed etiam in quantum est *hic homo*, et similiter Socratem in quantum est *hic homo*. Et inde est, quod tali acceptione sensus praecxistente, *anima intellectiva* potest considerare hominem in utroque. Si autem ita esset, quod sensus apprehenderet solum id quod est particularitatis, et nullo modo cum hoc apprehenderet universale in particulari, non esset possibile quod ex apprehensione sensus causaretur in nobis cognitio universalis.

Et hoc idem manifestat consequenter in processu, qui est a speciebus ad genus, et subdit quod iterum in his, scilicet in homine et equo, anima stat per considerationem..., quousque perveniatur ad commune animal quod est genus... superius ».

73. **Corollarium.** — Ergo minime admittenda est *comparatio* naturae universalis cum suis inferioribus, quam quidam immerito hic adstruunt. Nam, ut ait S. Th. (1) « intellectus noster intelligit abstrahendo speciem intelligibilem ab huiusmedi materia (i. e. singulari). *Quod autem a materia individuali abstrahitur est universale* ». Ergo nil aliud requiritur. Ii vero qui comparationem requirunt, videntur confundere universale directum, de quo nunc loquimur, cum reflexo seu formali, de quo inferius aliquid attingendum erit. Et ibi etiam explicando rationem ac necessitatem illius comparationis, clare patebit, eam minime requiri ad universale directum seu materiale concipiendum.

74. **Obiicies.** — I. Sensus non cognoscit nisi perfectiones concretas ac singulares. Atqui ex istis nulla similitudo in unitate formali erui potest. Ergo. — *R. D. M.*:... quae sunt omnes inter se disparatae, *n.*: quae sunt in aliquo similes et in aliquo dissimiles, *c.* — *Contrad m.*... — Quocirca sensus percipit res plures concretas, quae sunt partim similes et partim dissimiles. Intellectus, cui ipsae, per sensus et praesertim per phantasiam cognitae, fiunt praesentes, inspicit tantum perfectiones illas, in

(1) *S. Theol.* I p., q. 86, a. 1.

quibus eae similes sunt, et ita cognoscit similitudinem in diversa unitate formali, seu *diversas unitates formales similes in pluribus rebus.*

II. Ista similitudo debet abstrahere a tempore ac loco. Atqui res per sensus cognitae ab istis non abstrahunt. Ergo. — *R. D. M.,... i. e.* unitates formales similes ut tales *non pendent* a tempore ac loco, *c.;* non *debent inveniri* in aliquo tempore ac loco, *n.* — *Contrad. m.;* res cognitae sunt semper in aliquo tempore ac loco, *c.;* dependent ab illo tempore ac loco quoad unitates formales similes, *n.* — Et sane quum sensus percipiunt Petrum, Paulum, Antonium... ut *individua bipeda quae sese movent ac loquuntur*, ea deprehendunt in aliquo loco ac tempore. Intellectus vero apprehendit istas unitates formales similes, praescindendo ab illo determinato tempore ac loco, quippe quae ab istis non dependent. Atque ita cognoscit similitudinem inter illas unitates, praescindendo ab hoc vel illo determinato tempore ac loco.

III. Non potest intellectus aliquam unitatem formalem communem percipere, nisi omnia individua cognoscat, in quibus invenitur. Atqui hoc est impossibile. Ergo. — *R. D. M.;...* i. e. unitatem formalem *quae* sit communis, *n.*, *qua* communem, *subd.;* omnia omnino, *n.;* quaedam, *iter. d.;* inquantum videat posse haberi plura individua, in quibus multiplicata vel multiplicabilis sit, *c.;* inquantum actu videat individua in quibus inest, *n.* — *Contrad. m.;* impossibile est videre omnia, *c.;* quaedam, *n....* Sed in universali directo natura non debet cognosci qua universalis, hoc enim ad universale formale pertinet. In ipso autem sufficit aliquam naturam communem cognoscere, percipiendo unitatem quandam formalem a materiali abstractam. Et ad hoc satis superque est abstractio praecisiva totalis, secundum quam apprehenditur aliqua unitas formalis in pluribus individuis similis existens.

Neque nobis adversantur verba S. Thomae aientis (1). « Ex hoc aliqua intentio est universalis, inquantum relationem habet ad multa ». Siquidem unitas formalis abstracta a principiis individualibus certe *relationem habet ad multa.* Si autem putas, quod intellectus debeat etiam cognoscere illam *relationem ad multa;* tunc respondeo. *Primo* S. Th. hoc minime asserit; *secundo*, hoc requiritur ad universale formale, uti videbimus, non autem ad universale materiale, de quo nunc loquimur, uti patet ex tota quaestione agitata.

IV. Nequit intellectus hanc unitatem apprehendere, nisi prius eam a materiali separet, neque potest separare, nisi prius eam apprehendat; atqui hic est circulus vitiosus. Ergo. — *R. D.* 1^am *p. M.;...* per modum simplicitatis seu negative, *c.;* per mo-

(1) Opusc. 30 *de Univ.*

dum compositionis seu positive, *n.* — *Contrad.* 2am *p.* — et proinde *n. min.* — In hoc est praecipuus error, in quem Kant, Rosmini eorumque asseclae inciderunt, quod nescierunt distinguere inter istas duas abstractiones, et ideo hanc difficultatem saepe in medium protulerunt, putantes eam prorsus insolubilem. Distinctio vero ex iis, quae diximus, clare patet. Siquidem in abstractione per modum simplicitatis intellectus plane valet apprehendere unitatem aliquam formalem, quae reperitur in pluribus individuis similis, quin ullo modo necesse sit, ceteras perfectiones cognoscere.

V. Per hanc abstractionem res concipitur alio modo ac in se est. Atqui haec est falsa cognitio. Ergo admitti nequit. — *R. D. M.;...* alio modo quoad *id quod* concipitur, *n.;* quoad *modum quo* concipitur, *subd.;* ita ut iste modus rei attribuatur, *n.;* quin ipse attribuatur, *c.* — Iamvero quum unitas formalis cognoscitur, ipsa reapse in rebus adest, et quum rebus ipsis tribuitur, praescinditur tum a statu abstractionis, quem in intellectu habet, tum ab illo, quo est in rebus ipsis. Ac proinde illa praedicatio nunquam falsa erit, et cognitio nostra semper repraesentat perfectionem, quae in rebus inest, seu est vere *obiectiva*.

Ad rem. S. Th. (1), « Intellectus non est falsus, dum apprehendit naturam communem sine principiis individuantibus, sine quibus esse non potest in rerum natura. Non enim apprehendit hoc intellectus, scilicet quod natura communis sit (in rebus) sine principiis individuantibus, sed apprehendit naturam communem non apprehendendo principia individuantia, et hoc non est falsum. Primum autem esset falsum: sicut si ab homine albo separarem albedinem hoc modo, quod intelligerem eum non esse album; esset enim tunc apprehensio falsa. Si autem sic separarem albedinem ab homine, quod apprehenderem hominem, nihil apprehendendo de albedine eius, non esset apprehensio falsa. Non enim exigitur ad veritatem apprehensionis, ut qui apprehendit rem aliquam, apprehendat omnia, quae insunt ei. Sic igitur intellectus absque falsitate abstrahit genus a speciebus, inquantum intelligit naturam generis non intelligendo differentias. Et similiter abstrahit speciem ab individuis, in quantum intelligit naturam speciei, non intelligendo individualia principia » (2).

VI. Modus, quo res est, ipsam eius essentiam sequitur. Atqui per abstractionem unitas formalis alium modum essendi habet. Ergo ipsa eius essentia alia evadit. — *R. D. M.:* modus, qui ipsam essentiam specificam ingreditur... *c.:* qui essentiam individualem constituit, *subd.:* si essentia ut individualis spectatur, *c.:* si secundum solam speciei rationem consideratur *n.* —

(1) In II, *de An.* l. 12.
(2) Cfr. etiam S. *Theol.*, I p., 985, a. 1, ad 1m.

Contrad. m.;... alium modum, qui essentiam specificam constituit, *n.;* qui ad essentiam individualem pertinet, *c.* — Modus enim essendi, quem unitas formalis in rebus habet, proprius est rationis individui, quo aliquid determinatum individuum est. Quare quum intellectus ab illo abstrahit, amplius non considerat essentiam *ut individuam*, sed dumtaxat secundum specificam rationem, quae indifferens est ad utrumque essendi modum, sive abstractum in intellectu sive contractum in rebus. Ideoque unitas formalis non induit per abstractionem in intellectu alium modum, ipsam in se constituentem, diversum ab eo, quem in rebus sibi vindicat.

VII. Illa unitas formalis evadit per abstractionem aeterna et immutabilis. Atqui in rebus est temporalis ac mutabilis. Ergo per abstractionem penitus immutatur. — *R. D. M.;...* aeterna *negative* et immutabilis ratione essentiae, *c.*, aeterna positive et immutabilis ratione existentiae, *n.* — *Contrad. m.;* ratione existentiae ac diversorum accidentium, *c.;* ratione essentiae, *n.* — Quare etiam in rebus realibus illa unitas formalis in se inspecta eadem semper est, seu eandem semper perfectionem exhibet. *Hic homo e. g. Petrus* dicit semper *animalitatem ac rationalitatem*, quae perfectiones in eo nunquam mutantur, ideo dicuntur *immutabiles et aeternae negative*, quia praescindunt a quocumque tempore. Et Petrus est temporalis ratione *existentiae*, quae tempore mensuratur. Cum igitur intellectus inspicit solam unitatem formalem, praescindendo ab existentia et accidentibus, ea minime evadit diversa ac in ipsis rebus reperitur.

75. **Corollarium.** — *Intima relatio inter utrumque fundamentum.* Ea profecto nunc clare apparet. Quum enim in rebus diversae habeantur unitates formales, tum inter sese tum a principiis individuantibus ratione distinctae, plane sequitur, posse intellectum quandam unitatem abstrahere sive ab aliis, sive praesertim a principiis individuantibus, et conceptum efformare alicuius universalis directi, qui dicat aliquam perfectionem in se unam et in pluribus identice multiplicatam.

Ita clare elucet, quomodo conceptus universales reapse sint obiectivi ratione fundamenti ontologici, et fiunt in intellectu *actu universales* ratione fundamenti psychologici. Modo tandem corollarii instar clare ac perfecte statui potest propria ratio obiectivitatis conceptuum universalium.

Thesis XIV.

Ergo universale directum est in rebus secundum id, quod concipitur, non autem secundum modum, quo concipitur, et ideo merito dicitur esse actu in intellectu et potentia tantum in rebus.

76. **Status quaestionis.** — Haec thesis maximi est momenti, quippe quae resumit in sua ultima conclusione doctrinam hucusque expositam, qua plene et adaequate solvitur problema de obiectivo valore conceptuum universalium. Ea vero quum legitime sequatur ex tota hac doctrina vel ex eo iam probanda est, quia totus processus in ea adhibitus prorsus legitimus ac rationabilis est.

Et sane eius processus huc redit. Nemo potest inficiari, experientiam esse quendam fontem cognitionis nostrae, saltem illius, quae circa singularia sensibilia et contingentia versatur; quare conceptus nostri, qui res singulares sensibiles praeseferunt, certe a rebus per experientiam hauriuntur. Nunc vero si ex hac cognitione certa ego ratiocinando deduco, quod omnis nostra cognitio et conceptus omnes saltem remote ab experientia exoriuntur, imo si etiam rationem ostendo, cur possint ab experientia oriri, tunc certe sententia nostra plane probanda esse videtur. Hoc enim pacto revera procedimus a noto ad ignotum, nihil ex arbitrio effingimus, nihil supponimus ad libitum nostrum, nec recurrimus ad viam aliquam mysteriosam, aut dogmatice assertam sine ulla sufficienti ratione.

Quid amplius? si nostra sententia ea est, quae cohaeret cum aliis veritatibus certis et ab omnibus saltem practice admissis; si ea est, quae ratum sartumque relinquit factum aliquod, omnibus ratum, ac tandem ea est, quae unice hoc factum explicat, ipsa uti prorsus certa et indubia renuntianda est.

Et sane experientia constat, existere in rebus perfectiones nonnullas, quae, quamvis in diversis inveniantur subiectis, et coniunctae sint cum aliis perfectionibus item diversis, aliquam tamen similitudinem inter sese praeseferunt.

Atque adeo si ipsae considerantur in se solae, praescindendo sive a subiectis singularibus, in quibus reperiuntur, sive ab aliis perfectionibus, quibuscum componunt, dicunt eandem omnino perfectionem. Porro quando intellectus abstrahit per modum simplicitatis aliquam unitatem formalem similem, praecise considerat illam perfectionem solam, quae ut talis est eadem in omnibus: ac proinde habet verum conceptum universalem. Ac proinde eo utitur tum in usu quotidiano vitae practicae, tum praesertim in scientiis excolendis. Nostra igitur doctrina utpote cum his omnibus plene cohaerens, omnino admittenda videtur. Modo igitur si ostendatur thesis praesens legitime deduci ex hac doctrina, ea quoque plane admittenda erit.

77. **Prob. I p.** — Id quod concipitur in universali directo, est natura quaedam, spectata secundum aliquam determinatam unitatem formalem; *modus* vero est abstractio praecisiva illius unitatis formalis, sive a principiis individuantibus, sive etiam ab aliis unitatibus formalibus, quae in ea forte insunt. Atqui huiusmodi natura secundum illam unitatem formalem est certe in rebus, abstractio vero non, quum in rebus illa unitas non sit separata sive a principiis individuantibus, sive ab aliis formalitatibus. Ergo.

Prob. II p. — Universale directum in actu dicit naturam unam actu et pluralem actu. Atqui haec natura in rebus licet sit pluralis actu, est tamen una potentia et quidem tantum *unitate similitudinis*, quia entitative multiplex est. Cum vero in intellectu per simplicem abstractionem reperitur, tunc evadit actu una. Ergo est actu in intellectu et potentia in rebus. — *Pr. m.* Nam *unum dicit* aliquid *indivisum in se et divisum a quolibet alio*. Sed illa natura in rebus non est actu divisa ab alio, quia est identificata cum unitate numerali. Et ab ea tantum potentia distinguitur, inquantum in se dicit aliam perfectionem ac unitas numerica, et ideo potest abstrahi ab intellectu, quin haec unitas concipiatur. Nec pariter est in re actu indivisa, sed tantum potentia ratione unitatis similitudinis. In intellectu vero post hanc abstractionem est actu divisa ab unitate numerali, et in se est enti-

tative una, ita tamen ut plura individua in illa unitate similia repraesentet, et ideo est actu *una* et *pluralis*, prout est eadem similitudo plurium. Ad rem S. Th. (1). Natura humana in intellectu habet esse abstractum ab omnibus individuantibus. Et ideo habet uniformem rationem ad omnia individua, quae sunt extra animam, prout est essentialiter similitudo omnium, ducens in omnium cognitionem inquantum sunt in eo... ». Ergo.

78. **Dices.** I. Universale, prout est in intellectu, est conceptus aliquis singularis. Ergo. — *R. D. A.*: si iste conceptus subiective spectatur, *c.*: si obiective, *n.* — Nam, uti recte advertit S. Th. (2): « sicut si esset una statua corporea repraesentans multos homines, constat quod illa imago vel species statuae haberet esse singulare et proprium, secundum quod esset in hac materia, sed haberet rationem communitatis, secundum quod esset commune repraesentativum plurium ». Ita pariter ille conceptus est singularis, prout subiective in intellectu inspicitur; est universalis, quatenus est repraesentativus plurium, quae eandem habent unitatem formalem. Unde idem S. D. ait: « Similitudo sive species existens in anima est una numero et est singularis. Eius autem universalitas non est ex hoc, quod est in anima, sed ex hoc, quod comparatur ad multa singularia... » (3).

II. Universale est obiectum intellectus. Atqui obiectum debet praecedere potentiam cognoscitivam. Ergo. — *R. D. M.*: universale formale, *transeat*: directum, *subd.*: reduplicative qua tale, *n.*: quatenus est aliqua unitas formalis in pluribus similis, *c.* — *Contrad. m.*: debet praecedere saltem in potentia, *c.*: etiam actu, *subd.*: quin interveniat ulla operatio abstractiva intellectus, *n.*: ea interveniente, *c.* Quare obiectum proprium intellectus, quod eius cognitioni praecedat oportet, est unitas formalis similis existens in pluribus; quae est universalis in potentia. Ea autem, interveniente operatione abstractiva intellectus, fit actu universalis, et ita in ipso intellectu exoritur universale directum in actu.

III. Si universale non esset actu nisi in intellectu, reciperet unitatem ab intellectu. Atqui falsum consequens. Ergo et antecedens. — *R. D. M.*: reciperet unitatem *actualem*, *c.*: potentialem seu fundamentum ipsum illius unitatis, *n.* — *Contrad. m.*... Quare in rebus, uti ostendimus (n. 53), revera non adest illa

(1) *De Univ.* Tr. 1.
(2) *De Ente et Ess.* c. 4.
(3) *De Univ.* tract. 1.

unitas actualis, quae constituit universale. Reperitur tamen unitas formalis similis in pluribus individuis, quae est prorsus sufficiens ad obiectivum valorem conceptus universalis tuendum.

79. **Corollarium I.** — Ergo recte dicitur, quod *ad habendum universale directum in actu requiritur unitas praecisionis*, quae proinde est tantum in cognitione, unde a S. Th. dicitur *unitas cognitionis*. — Et sane huiusmodi unitas nil aliud est, nisi *unitas formalis, abstracta* per modum simplicitatis *ab unitate numerica*. Sed dictum est, istam abstractionem omnino requiri ad habendum universale directum in actu. Ergo. Sed quoniam ipsa innititur in unitate similitudinis, quae rebus inest, sartum tectumque relinquit obiectivum valorem conceptus universalis.

Audias etiam Angelicum Doctorem (1): « Est autem (universale) *unum in cognitione* (et *unitas praecisionis*)... et quia res per idem est ens et unum, et e converso, oportet quod *universale sit universale per praedictam unitatem* : ita ut naturae talis cognitio faciat universale esse in actu universale, et est quoddam formale in universali ». Et paulo post addit : « Est igitur universale *unum unitate cognitionis;* ita quod ad rationem universalis non requiritur nisi illa *unitas rationis* ».

80. **Coroll. II.** — *Ergo recte loquendo natura absolute spectata nequit dici universalis.* — Nam, uti scite probat S. Th. (2), « Natura hominis absolute considerata, est quae praedicatur de omnibus individuis. Non tamen potest dici quod ratio universalis conveniat naturae sic acceptae, quia de ratione universalis est unitas et communitas. Naturae autem humanae neutrum convenit secundum absolutam considerationem, si enim communitas esset de intellectu hominis, tunc in quocumque inveniretur humanitas, inveniretur communitas : et hoc falsum est, quia in Socrate non invenitur communitas aliqua, sed quidquid est, in eo individuatum est ».

Nihilominus quodam sensu ipsa dici potest universalis, sed tantum *negative*, quatenus praescindit tum a contractione per unitatem numericam ad individua singularia, tum ab eius abstractione. Et hoc sensu in ea agnosci potest *indifferentia negativa*, quae tamen amittitur, quum illa natura individuatur in rebus existentibus; et evadit *positiva*, quum natura reperitur *abstracta*

(1) *De Univ.* tract. II.
(2) *De Ente et Ess.* c. IV.

in intellectu, et fit actu universalis. Audiatur ad rem S. Th. (1): « Triplex est alicuius naturae consideratio. Una, prout consideratur secundum esse, quod habet in singularibus, sicut natura lapidis in hoc lapide et in illo lapide. Alia vero est consideratio alicuius naturae secundum esse suum intelligibile, sicut natura lapidis consideratur, prout est in intellectu. Tertia vero est consideratio naturae absolutae, prout abstrahit ab utroque esse: secundum quam considerationem consideratur natura lapidis, vel cuiuscumque alterius, quantum ad ea tantum, quae per se competunt tali naturae ».

81. **Dices.** Natura absolute spectata ea est, quae praedicatur de pluribus individuis identice. Atqui ista debet dici universalis. Ergo. — *R. D. M.* si spectatur id quod intelligitur et praedicatur, *c.*; si inspicitur etiam *modus quo* intelligitur, *n.* — *Contrad. m.:* si inspicitur etiam modus quo natura intelligitur, *c.:* si tantum id quod intelligitur et praedicatur, *subd.:* dici debet universale in actu, *n.;* in potentia, *c.* Videlicet natura, quae praedicatur de individuis, est natura absolute spectata, quae proinde praescindit a *modo quo intelligitur*, nempe a statu abstractionis, quem habet in intellectu. Iamvero talis natura nequit dici universalis in actu sed tantum in potentia, uti ostendimus in thesi. Et instantiae, quae hac in re fiunt a Scoto et scotistis, nihil proficiunt, quia nunquam ostendunt illam naturam esse *actu* universalem, nempe *actu unam* et multiplicatam. Imo neque hoc ostendere possunt, nisi in realismum exaggeratum incidere velint, uti mox videbimus.

ARTICULUS II.

DE FALSIS SENTENTIIS CIRCA OBIECTUM CONCEPTUUM UNIVERSALIUM

82. **Ordo rerum.** — Statuta vera sententia de obiecto conceptuum universalium, ac de modo, quo in rebus est, et a conceptibus repraesentatur, praestat ut alias recenseamus sententias, quae nostrae opponuntur. Ipsae in duas distribui possunt classes, prout unum fundamentum vel alterum non agnoscunt. Ad primam pertinent Nominales et Conceptuales, qui quamvis inter scholasticos recenseantur, hac in re prorsus extra scholas philosophati sunt, ut innuimus (Dial. n. 24 *nota*). Cum iis concinunt sensistae ac idealistae nostra aetate.

(1) Quodl. 8, q. 1, a. 1.

Altera est eorum, qui realistae exaggerati audiunt, qui cum pantheistis faciliter confunduntur, quibus praeterea ontologi addi possunt. — Omnes vero ex eodem falso principio progrediuntur: *eundem* nempe *debere esse modum, quo res est in seipsa et in intellectu apprehendente*, seu in conceptibus mentis.

Ipsi enim probe advertebant, conceptus exhibere obiecta abstracta et actu universalia. Tunc quidam ita argumentum conficiebant. « Idem est modus, quo res sive in seipsis sive in conceptibus invenitur. Atqui in rebus nulla habentur obiecta abstracta et actu universalia. Ergo obiecta, quae a conceptibus universalibus referuntur, non sunt in rebus ». Alii ita ratiocinabantur. « Idem est modus, quo res sive in seipsis sive in conceptibus invenitur. Atqui in conceptibus est natura universalis actu et abstracta. Ergo etiam in rebus ». Porro in utroque argumento minor est vera, conclusiones sunt falsae, ergo principium illud commune, ex quo ipsae fluunt, falsum esse debet, uti iam in thesi superiori ostensum est.

Thesis XV.

Falsum est tum nomini tum conceptui universali vel nullam respondere naturam pluribus rebus communem, vel tantum singularium collectiones, ut nominales et conceptuales aiunt.

83. **Praenotiones historicae.** — Prior theseos pars est contra *Nominales*, altera contra *Conceptuales*. Adverte tamen horum sententiae vestigia plurima iam in ipsa antiquitate reperiri. Siquidem, uti refert etiam Fonseca (1), « occasionem huiusmodi philosophis (i. e. Nominalibus) dederunt Heraclitus, Antistenes et Epicurei, qui cum singularia omnia fluxa et caduca esse crederent, neque in eis stabile quicquam conciperent, scientiam omnem certamque rerum cognitionem de medio tollebant, quod Nominales ne facerent, scientias omnes, quas negare non ausi sunt, ad nomina communia retulerunt, quod nullam etiam, quemadmodum et illi, communem naturam, quae per se stabilis esset et constans, in singularibus esse arbitrarentur. Et sane Heraclitus eiusque discipulus Cratylus (2) docebant, nullum dari

(1) *In M.* l. V, c. 28, q. 11, s. 1.
(2) Cfr. Arist. *Met.* l. I, c. 6, et S. Th. ib. L. IV, l. 12.

in rebus universale, eo quod adverterant, res omnes existentes, uti sensus referunt, esse in continuo fluxu (πάντα ρεῖ).

Item Epicurei, criterium et originem veritatis unice in sensibus eorumque repraesentationibus reponentes, nullum conceptum universalem a rebus hauriri posse consequenter deducebant. Unde de Epicuro Tullius aiebat, « Tollit definitiones, nihil de dividendo et partiendo docet, non quomodo efficiatur concludaturque ratio, tradit, non qua via captiosa solvantur, ambigua distinguantur, ostendit, iudicia rerum in sensibus posuit » (1). Ac proinde nullam aliam dari scientiam asserebant, praeter eam, quae ad vitae commoditatem aliquid confert. Stoici e converso admittebant conceptus universales, his autem nihil respondere in rebus censebant: eo quod hi sunt incorporei, res vero corporeae. Ex his conceptibus oritur scientia, cui assensus praebendus est ratione subiectivae necessitatis seu practicae vitae exigentiae. Unde Cicero refert, quod « Zeno, ad haec, quae visa sunt et quasi accepta sensibus, assensionem adiungit animarum, quam esse vult a nobis positam et voluntariam » (2).

Plato et *Aristoteles* eos refellerunt: alter docuit, universalia esse actu extra mentem, a rebus singularibus separata, alter ea posuit in rebus singularibus existentia, a quibus per mentis operationem abstrahuntur, uti iam nos explicavimus.

Sed aetate medii aevi iam saec. XI labente *Roscellinus* canonicus Compendiensis sententiam epicureorum hac in re iterum instauravit. Ipse statuit, conceptus tantum singulares respondere rebus, quippe quae nonnisi singulares sunt; conceptus vero universales vocibus tantummodo contineri, seu, uti retulit S. Anselmus (3), *non nisi flatum vocis esse universales substantias*. Contra eum praeter S. Anselmum invexisse dicitur *Guillelmus* Campellensis, cuius duplicem refert Abailardus eius discipulus fuisse sententiam. Priorem idém sic exponit (4): « Erat autem (Guillelmus) in ea sententia de communitate universalium, ut eandem essentialiter rem totam simul singulis suis inesse adstrueret individuis: quorum quidem nulla esset in essentia diversitas sed sola multitudine accidentium diversitas ». Eam tamen idem Abailardus narrat, Guillelmum a se convictum in hanc alteram mutasse. « Sic autem istam suam correxit sententiam, ut deinceps rem *eandem non essentialiter sed indifferenter* diceret. (Videlicet) Socrates inquantum est Socrates, nullum prorsus *indifferens* habet, quod in alio inveniatur, sed inquantum est homo plura habet *indifferentia* (i. e. quibus non differt), quae in Platone et in aliis inveniuntur. Nam et Plato similiter est homo, ut Socrates, quamvis non sit idem homo essentialiter (nempe se-

(1) *De fin.* l. I, c. 7; cfr. l. II, c. 6.
(2) *Acad.* I, 14, 40; cfr. II, 12, 37.
(3) L. *De Fide Trinitatis*..... c. 2.
(4) Cfr. Cousin, *Fragments philosophiques*, ed. 2ª, p. 162.....

cundum essentiam individualem), qui est Socrates. Idem de animali et substantia ». Quare docebat quod « nihil praeter individuum, sed et illud *aliter et aliter attentum* (i. e. prout spectatur diversa unitas formalis) species et genus et generalissimum est ». Quocirca haec altera sententia non multum differre videtur ab ea, quam nos tuiti sumus (1).

84. *Abailardus* vero Roscellini et Guillelmi discipulus utrumque impugnavit: et hanc suam proposuit sententiam: « Speciem dico esse non illam essentiam hominis solum, quae est in Socrate, vel quae est in aliquo alio individuorum, sed totam illam collectionem ex singulis aliis huius naturae coniunctam. Quae tota collectio quamvis essentialiter multa sit, ab auctoritatibus tamen una species, unum universale, una natura appellatur, sicut populus, quamvis ex multis collectus sit, unus dicitur » (2). Quocirca ipse videtur confundere terminum universalem cum termino collectivo. Eius doctrinam saec. XIV instauravit Guillelmus Ockam, cui deinceps alii adstipulati sunt, qui *conceptualistae* vel nominalistae mitiores appellati sunt, ut distinguerentur a Roscellini asseclis, qui simpliciter *Nominales* dicebantur (3). Iamvero communis eorum doctrina in eo erat, quod haec nomina licet ex sua institutione aliquod individuum singulare designare debuerint, propter huius tamen cum aliis apparentem similitudinem quoad quaedam accidentia similia, extensa sunt ad designanda etiam multa individua, ideoque casu omnino factum est, ut illud nomen universale evasisset (4).

Hac nostra aetate vero philosophi, quamvis apparenter videantur quaestionem de universalibus neglexisse, eorundem tamen errores sub nova forma in lucem protulerunt. Siquidem ad sententiam epicureorum et nominalium facile reducuntur ea, quae circa originem et valorem nostrae cognitionis tuentur Hobbes, Hume, Condillac, Robinet, Berkeley... et positivistae Angli, ac generatim sensistae omnes, qui cognitionem intellectivam cum sensitiva male permiscentes nullum conceptum universalem rite agnoscere valent.

Lockius vero potius conceptualistis accensendus videtur, quum conceptus universales nonnisi pura mentis figmenta esse statuerit, quibus mens vim plura individua significandi vel repraesentandi tribuit (5). Item Cartesius aiebat: Fiunt haec uni-

(1) Cfr. Cousin, *op. cit. p.* 169, 170.

(2) Cfr. Cousin, *op. cit.* p. 229.

(3) Cfr. etiam S. Th. I, p. q. 84, a. 1.

(4) Confer etiam Suarez, *Metaph.* D. VI, s. II, n. 1.

(5) « Lors que nous laissons à part les particuliers, les généraux, qui restent, ne sont que des simples productions de notre ésprit, dans la nature générale n'est autre chose que la capacité, que l'entendement leur communique, de signifier ou de représenter plusieurs particuliers ». *Essais phil. concern. l'entend. hum.* livr. 3, ch. 3, n. 11.

versalia ex eo tantum, quod una et eadem idea utamur ad omnia individua, quae inter se similia sunt cogitanda » (1). Kantius vero merito dici potest conceptualismum exaggeratum profiteri, ut clare liquet ex iis, quae circa eius doctrinam iam exposuimus et deinceps expositurí sumus, quem postea *idealistae* omnes secuti sunt.

85. **Prob. I p.** — Ex principiis ipsorum adversariorum. Aiunt, nomina universalia praedicari de pluribus individuis propter quaedam accidentia similia. At vero vel ista nomina designant ipsa accidentia, vel substantiam ipsam, in qua haec accidentia insunt, uti patet. Atqui in utroque casu ipsis respondet aliqua natura communis, una scilicet natura identice in ipsis multiplicata. Ergo...

Pr. m. Si illa nomina designant ipsa accidentia similia, iam dicendum est, ipsis respondere naturam universalem, i. e. unam et identice multiplicatam. Si enim *similia* sunt, dicunt eandem perfectionem (i. e. unitatem formalem): si *plura*, ista perfectio est identice multiplicata. Ergo stat consequentia. — Si vero haec nomina designant ipsam substantiam, idem etiam dicendum est. Plures enim dantur substantiae, quae habent accidentia quaedam similia, ut e. g. *corpora* habent *quantitatem*, *plantae vitam*, *homines rationem*, *loquelam*..., quod et ab adversariis admitti videtur. Sed illae substantiae certe dicunt naturam eandem, quum dicant aliquod subiectum exigens idem accidens: haec natura est multiplicata, uti patet. Ergo et nominibus, quae substantias designant, respondet natura communis.

Praeterea nomina sunt signa conceptuum, conceptus vero rerum. Atqui natura signi, inquantum signum est, ex natura rei, cuius est signum, dimetienda est. Ut scite advertit S. Th. « Omne, cuius esse non est nisi propter finem aliquem, habet modum sibi determinatum ex fine, ad quem ordinatur » (2). Ergo si dantur nomina universalia, ipsa debent exprimere conceptus universales, qui res universales repraesentent. Sed conceptus, qui est in se unus, non potest multa repraesentare, nisi repraesentet aliquam perfectionem

(1) *Princip.* p. 1, s. 59.
(2) *De Verit.*, q. 15, a. 2.

in se unam, quae est identice multiplicata in pluribus. Quia ita illa una natura « in intellectu habet *rationem uniformem* ad omnia individua, quae sunt extra animam, prout est essentialiter *similitudo omnium* (quae habent illam eandem naturam), ducens in omnium cognitionem » (1). Ergo si dantur nomina, et conceptus universales, ipsis respondere debet aliqua natura una in multis identice multiplicata.

Item si universalia essent tantum nomina et conceptus, cum scientiae non possint haberi nisi per universalia, ut exposuimus, ipsae essent tantum de nominibus et conceptibus, quod ipsi adversarii concedere non verentur. Atqui hoc absolute falsum dicendum est. Quis enim sibi suadere potest, scientiam e. g. *physicam*, *chimiam*,... versari tantum circa nomina et conceptus *corporis*, *soni*, *electricitatis*... non vero circa res, quae per ipsa designantur? Patet enim nos illa principia ad res ipsas applicare, et rebus ipsis uti, secundum principia in scientiis tradita, ut colligitur praecipue ex physica, medicina, mathesi et scientia morali. Ergo et illud adversariorum principium ut falsum reiiciendum est, nisi velimus omnibus hominibus ac nobismetipsis contradicere.

Tandem, ut recte notat S. Th., « frustra aliquod nomen de aliquo praedicatur, nisi per illud nomen aliquid de eo intelligamus » (2). Atqui iuxta ipsos adversarios nomen universale praedicatur de multis rebus et quidem *eodem modo*, quum per ipsum semper idem praedicetur. Ergo debet aliquid in ipsis rebus eodem modo inveniri, quod per illud exprimitur.

Prob. II p, quae evidenter patet. Si nomini et conceptui universali responderet tantum collectio individuorum, non posset illud de istis distributive praedicari, sicut accidit e. g. in nominibus *exercitus*, *populi*... Atqui nomina universalia distributive praedicantur de individuis, et idcirco apprime distinguuntur a nominibus collectivis. Ergo...

86. **Corollarium.** — *Ergo in rebus non sunt omnia in continuo motu et fluxu*, sed dantur unitates formales, quae

(1) S. Thomas, Tractatus I, *de Univers.*
(2) *C. Gentes*, L. I, c. 23, n. 5.

essentias rerum constituunt, et sunt immutabiles atque eaedem in omnibus individuis eorumque mutationibus. Secus enim nulla haberi posset scientia, ut ipsi adversarii testantur: imo ipsa nomina ac conceptus universales haberi non possent, uti vidimus. Et consequenter non a priori, sed a posteriori statuitur, dari in rebus unitatem formalem eandem et immutabilem, ex qua conceptus universales hauriuntur.

87. **Obiicies**. I. Si conceptui universali responderet in rebus aliqua natura communis, haec deberet esse immutabilis, aeterna. Atqui res sunt in continuo fluxu et mutatione. Ergo. — *R. D. M.*: quoad essentiam, *c.*; quoad existentiam, *n.* — *Contrad. m.* Hoc argumentum est fundamentale apud adversarios, sed nullius momenti. Sane ut habeatur in rebus illa natura communis, haec non debet esse immutabilis et aeterna quoad existentiam, ita ut semper et eodem modo existat, neque hoc sequitur ex definitione tradita naturae universalis. Sed sufficit immutabilitas et aeternitas quoad essentiam, quatenus haec natura communis debeat dicere semper eandem perfectionem et definitionem in omnibus suis inferioribus. Porro res existentes sunt quidem in continuo fluxu quoad existentiam, quia nascuntur et intereunt, et nova individua succedunt, mutantur etiam quoad accidentia, quae acquirunt vel amittunt; sed eadem semper manent quoad essentiam communem.

II. Species rerum mutantur. Atqui species constituunt essentiam communem. Ergo. — *R. N. M.*, cuius falsitas alibi probabitur. Ceterum etiam admissa hac maiori, nihil contra nostram sententiam evincitur. In hypothesi enim Darvinistarum (licet falsa) species in se immutabilis maneret; tunc enim individua, transeundo ex una in aliam speciem, amitterent priorem speciem et consequenter definitionem et essentiam, et induerent novam essentiam; non autem ipsa prior species et essentia trasformaretur et evaderet alia. Atqui hoc sufficit ad nostram sententiam tuendam. Ergo...

III. Similitudo rerum est tantum ambigua, vaga, incerta. Atqui haec non sufficit ad multiplicationem alicuius unitatis demonstrandam. — *R. D. M.*: similitudo *omnium* rerum..., *n.*: *aliquot*, *subd.*; in ipsis rebus inspecta, *m.*: pro intellectu nostro, qui non potest tam faciliter individua unius speciei distinguere ab aliis, *c.* — *Contrad. m.*... Verum est, intellectum nostrum non posse omnium omnino individuorum diversas species dignoscere ac determinare, tum quia ipsae permultae sunt, tum quia non omnes characteres cuiusque speciei nobis innotescunt faciliter, et ideo longa requiruntur experimenta ac ratiocinia. Attamen saltem de aliquibus individuis cognoscit essentias, quibus ipsa

in se constituuntur et ab aliis distinguuntur, sive sint specificae sive saltem genericae; ut *experientia manifesto docet* (1).

IV. Res ab intellectu cognoscuntur, *mediantibus sensibus*. Sed per sensus nihil cognoscitur immutabile et aeternum. Ergo nec per intellectum. — *R. D. M.*; eodem modo ab intellectu et a sensu, *n.*; perfectiori modo ab intellectu quam a sensu, *c.* — *D. m.*, nihil *ut* immutabile, *c.*; nihil quod sit immutabile, *subd.*; quoad existentiam, *c.*; quoad essentiam, *n.* — *D. C.* eodem modo. Quare sensus percipiunt tantum res concretas et singulares, quin ullo modo abstrahant ab unitate materiali, ab esse et ab accidentibus. Et quoniam propter ista res sunt inter se diversae, et in continuo fluxu, ideo sensus nihil possunt percipere et universale et immutabile. Sed in singularibus invenitur etiam unitas formalis, quae est immutabilis, ut diximus: ergo a sensibus percipitur aliquid immutabile. Intellectus vero, intelligit illam solam unitatem formalem, eam praecisive abstrahendo, eamque ideo videt *eandem* in multis individuis, et *semper eandem* in omnibus individuorum mutationibus, et ita habet conceptum universalem, **cui revera respondet aliquid in re.**

V. Si esset in rebus natura communis, ipsae non distinguerentur inter se. Atqui distinguuntur. Ergo. — *R. D. M.*; si haec natura non esset multiplicata: *c.*; si est multiplicata identice a pluribus, *n.* — ***Contrad. m.***

VI. Si esset natura communis multiplicata in pluribus, hae essent similis inter se. Atqui non sunt similis. Ergo. — *R. D. M.* quoad aliquam unitatem formalem, *c.*; etiam quoad unitatem materialem, *n.* — ***Contrad. m.***...

VII. Conceptus mentis est singularis: sed hic non potest repraesentare plura. Ergo. — *R. D. M.*; formaliter sumptus, *c.*; obiective *subd.*; si repraesentat unam singularem perfectionem, *c.*; si unam perfectionem in multis multiplicatam, *n.* — *D. m.*: plura quae non conveniunt in aliqua eadem communi perfectione, *c.*; quae in ipsa conveniunt inquantum repraesentant illam perfectionem in pluribus multiplicatam, *n.* « Quia licet plura, secundum quod plura, non constituant unum intellectum (i. e. conceptum), tamen plura secundum quod similia sunt, constituunt unum intellectum » (2).

VIII. Conceptus *obiectivus*, qui dicitur universalis vel repraesentat *plura*, vel quid *unum*; si plura, non est conceptus universalis, sed collectivus, si unum, est conceptus singularis: ergo non datur conceptus *repraesentative* universalis. — *Resp.* — Ad disiunctivam *maioris* addo *tertium*, scilicet: vel est aliquid unum dicens ordinem ad plura, utpote in illis identice multiplicatum vel multiplicabile.

IX. Quidquid est a parte rei, singulare est: ergo conceptus obiectivus ipsi respondens debet esse singularis. — *Dist. ant.*:

(1) S. Th. *de Univ.* Tr. 2.

(2) Cfr. P. Pesch. *Log. crit.* n. 703.

ita *singulare* est ut nihil ne materialiter seu physice quidem inveniatur multiplicatum aut multiplicabile in pluribus, *n.;* est singulare, quia etiam in individuis alicuius naturae materialiter seu physice multiplicatae aut multiplicabilis, ratio naturae non distinguitur ab individuatione, *subd.;* non distinguitur realiter, *c.*; ratione cum fundamento in re, *n.* Natura in singularibus existens duplicem habet unitatem, uti saepe diximus, *formalem* scilicet et *numericam.* Unitas formalis est illa, quae sequitur principia formalia et essentialia, quibus res in sua specie constituitur, uti animalitas et rationalitas in homine; unitas autem numerica est illa, quae sequitur principia individuantia, quibus res constituitur singularis. Iamvero prior unitas seu formalis non ita est in hoc individuo, ut non sit etiam in alio. Unitas vero numerica est utique solum in aliquo determinato individuo, et est re identificata cum formali, at non ita ut intellectus non possit *praecisive* hanc ab alia distinguere, et formalem spectare ut quid unum in pluribus.

X. Nulla res concipi potest absque eo quod est de eius essentia; atqui singularitas est de essentia rerum; ergo res sine singularitate concipi nequeunt. — *R. Conc. M.;* et *dist. m.;* singularitas est de essentia rerum in statu reali, *c.;* extra statum realem et in absoluta consideratione naturae seu essentiae, *subd.;* si agatur de natura entis infiniti quod est essentialiter unicum, *c.;* si agatur de natura creata et finita, *n.*

88. **Coroll.** — Ergo nomen universale non attribuitur pluribus individuis *casu*, sicut e. g. *Petrus* dicitur de pluribus individuis. Nomen *Petrus* enim quando attribuitur pluribus individuis, dicit diversas perfectiones singulares, non autem aliquid ipsis commune, et ideo huic nomini non respondet in ipsis natura universalis. Homo autem, quando attribuitur pluribus individuis, dicit aliquid ipsis commune, ideoque est verum nomen universale, cui respondet in individuis natura aliqua, identice in ipsis multiplicata.

Thesis XVI.

Falsum est conceptui universali respondere vel aliquam naturam universalem existentem extra singularia, vel naturam formaliter universalem existentem in ipsis singularibus.

89. **De realismo exaggerato.**— Nunc gressus faciendus est ad errores eorum refutandos, qui, neglecto fundamento psychologico, tuiti sunt dari in rebus universale actu, in quantum habetur in eis aliqua unitas formalis indivisa et immultiplicata, et consequenter viam straverunt ad pantheismum tum realem tum idealem.

« Plato, ut ait S. Th. (1) posuit formas rerum sensibilium per se sine materia subsistentes; sicut formam hominis, quam nominabat per se hominem, et sic de aliis. Has ergo formas separatas ponebat participari, et ab anima nostra et a materia corporali. Ab anima quidem nostra ad cognoscendum, a materia corporali ad essendum... » Et ideo asserebat quando anima nostra intelligit universalia, proprie intelligere illas formas separatas a singularibus. *Ontologi* vero dicunt intellectum nostrum intueri universalia in Deo, seu in suis ideis archetypis ut Giobertius ait « ideas generales esse in Idea, et universalia in Universali ». Contra istos igitur est 1ª p. theseos; 2ª p. vero est contra priorem opinionem Guillelmi Campellensis, et contra pantheistas omnes tum reales tum ideales. Quare in ea contendimus demonstrare, non dari in rebus naturam formaliter universalem, i. e. aliquam unitatem formalem in pluribus individuis ita communem, ut non sit divisa et multiplicata.

90. **Prob. I p.** cum S. Th. (2). « Universale, quod intendimus, praedicatur de suis inferioribus, quorum unumquodque est ipsum. Tale autem universale, quod Plato (et Ontologi quidam) ponebant separatum, non praedicatur de suis individuis, nec aliquod ipsorum est ipsum. Ergo aut non est ponere universale, aut non est sic ponere, sicut Plato ponebat ».

Sed cum error adversariorum sit in falso fundamento, quia supponunt, non posse intellectum conceptus universales, qui rebus respondeant, ab ipsis haurire, praestat potius huius falsitatem ostendere. Sane per illos conceptus universales cognoscimus res ipsas singulares et de iis scientiam instituimus. Porro vel percipimus istis conceptibus respondere aliquid in rebus, vel non. Si non, tunc non posset haberi scientia rerum, quod est absonum; si percipimus, tunc inutile est intueri istas ideas vel in se, vel in Mente Divina; cum intellectus in rebus ipsis videat naturam, quae respondeat suis conceptibus universalibus. Quare recte ait S. Th.: « Derisibile videtur, ut cum rerum, quae nobis manifestae sunt, notitiam quaerimus, alia entia in medium afferamus, quae non possunt esse eorum substantiae, cum ab eis differant secundum esse; et sic, illis substantiis co-

(1) *S. Theol.*, I p., q. 84, a. 4.
(2) 1, *de Univ.*

gnitis, non propter hoc de istis sensibilibus iudicare possemus » (1).

91. **Prob. II p.** — Si haberetur in rebus actu universale formale, i. e. aliqua unitas formalis immultiplicata et indivisa in pluribus, haec aut non essent plura sed unum, aut forte simul unum et plura actu. Atqui primum destruit rationem naturae universalis, alterum manifestam involvit contradictionem. Ergo.

Pr. m Omnis unitas formalis immultiplicata constituit aliquod ens in se indivisum et divisum a quolibet alio. Atqui tunc habetur unum ens, et non plura, quae debent esse in se divisa. Ergo si adstrueretur universale formale in rebus vel admittendum esset immane pantheismi absurdum, vel ratio naturae universalis omnino perimitur.

Item nihil potest existere, nisi sit aliquid determinatum. Sed omne determinatum est singulare, i. e. dicit aliquam perfectionem unam et distinctam ab alia. Ergo quicquid existit, singulare est. Atqui singulare e diametro opponitur universali. Ergo.

Sed fortasse quis cum pantheistis dicere vellet, universalia nil aliud esse nisi aliquam unitatem indivisam, diversis accidentibus praeditam, quibus haec unitas, in se indivisa, apparet in multis individuis multiplicata ?

Tunc vero primo responderemus: ita omnino destrui nativum conceptum universalis, uti patet, et omnia, quae diximus, penitus ruerent. Secundo diceremus, hoc esse tam absurdum, ut delirari potius videretur, qui ita loqueretur, quam ratiocinari. Si ita enim esset, tunc omnes homines essent unus homo (qui ideo esset doctus et indoctus, iustus et iniustus, sibi amicus et inimicus, pater et filius et ita porro); et quandoquidem homines et bruta conveniunt in ratione animalis, essent unum animal (quod ideo esset rationale et irrationale); et pariter cum plantis, unum vivens; cum corporibus, unum immane corpus; deinde una substantia, cum spiritibus; unum ens cum ipso Deo O. M. Et hoc

(1) *S. Theol.*, I p., q. 84, a. 1. Sed digna sunt, quae legantur, omnia quae in hoc art. S. Doctoris continentur.

ens ideo esset necessarium, immutabile, aeternum, uti Deus esse debet; et contingens, mutabile, temporaneum, ut sunt ea omnia, quae conspicimus. At quis putat, vel etiam suspicatur, haec dici posse ab homine ratione utente? Quis existimet haec digna esse, quae refutentur, quum rationi hominum pugnent et risum moveant? Si ergo Spinoza, Hegel, Fichte tale extruxerunt systema, ex quo haec absurda deduxerunt, ipsi non philosophati esse, sed *somniasse* (ut ipse Hegel ait) dicendi sunt, neque refert eos refutare.

92. Obiicies. — I. Scientia est de universalibus; atqui si universalia non essent separata a singularibus scientia esset de singularibus et non de universalibus; ergo — *R. D. M.;* scientia est de universalibus hoc sensu, quatenus non considerat rationes cuilibet individuo proprias,sed communes omnibus singularibus per abstractionem a notis individuantibus, *c.;* quatenus habeat pro obiecto praeexistente actui scientiae aliquid vere universale, *n.* — *Contrad. m....*

II. Obiectum scientiae speculativae praeexistit actui scientiae; sed universale est obiectum scientiae speculativae; ergo. — *R. D. M.:* quoad id de quo est scientia, *c.;* quod modum quo attingitur a scientia, *n.* — *Contrad. m....*

III. Scientiae sunt de immutabilibus et aeternis; sed res materiales sunt mutabiles et temporales; ergo dari debent universalia subsistentia. — *R. D. M.;* Scientiae sunt de immutabilibus et aeternis *negative, c.; positive subd.;* aliqua scientia specialis, nempe theodicea quae versatur circa Deum, *c., omnes, n.* — *D. m.;* res materiales sunt mutabiles et temporales quoad esse *existentiae, c.;* secundum *veritatem essentiae*, videlicet secundum habitudinem terminorum, *n.* Universalia seu rerum essentiae, quae constituunt obiectum scientiarum, dicuntur necessaria et immutabilia hoc sensu, quod non possit demi aliquod praedicatum essentiale, nisi tollatur essentia; perit natura hominis, si demitur animalitas vel rationalitas: sed haec est necessitas et immutabilitas *secundum quid, seu negativa*. Item dicuntur aeterna negative, quatenus abstrahunt ab hoc vel illo tempore. Non autem sunt aeterna positive, quia existentia eis contingenter et accidentaliter tantum convenit.

IV. Universale dicitur ab Aristotele: *unum praeter multa;* atqui unum praeter multa non invenitur realiter in multis; ergo universale est natura separata a rebus sensibilibus. — *R. D. M.* universale dicitur unum praeter multa secundum esse, *n.*, secundum considerationem intellectus, *c.* — *Contrad. min.*

V. Res bene dividuntur in singulares et universales; atqui non admittimus universalia separata; ergo necesse est in ipsis singularibus admittere universalia formaliter. — *R. D. M.:*... se-

cundum esse quod habent extra intellectum, *n.*; (sic enim omnes res singulares sunt), secundum esse quod habent in intellectu, *c.* Optime respondet huic difficultati S. Th. : « Nomina non significant res nisi mediante intellectu; et ideo oportet, quod divisio illa rerum (in singulares et universales) accipiatur secundum esse quod cadit in intellectu. Ea vero, quae sunt coniuncta in rebus, intellectus potest distinguere, quando unum eorum non cadit in rationem alterius. In qualibet autem re singulari est considerare aliquid, quod est sibi proprium in quantum est haec res, et aliquid est considerare in ea, quantum convenit cum aliis quibusdam rebus. Quando igitur res denominantur ab eo quod convenit illi soli rei, in quantum est haec res, hoc nomen dicitur significare aliquid singulare. Quando autem denominatur res ab eo quod est commune sibi et multis aliis, nomen huiusmodi dicitur significare universale, quia significat naturam seu dispositionem aliquam, quae est communis multis » (1).

VI. Ad universale formale duo requiruntur et sufficiunt; *unitas* et *pluralitas;* atqui natura ex. gr. humana habet extra intellectum unitatem et pluralitatem; ergo — *R. D. M.:* requiritur unitas perfecta, quae nempe importet naturam aliquam unam *identice* multiplicatam vel multiplicabilem in pluribus, *c.:* unitas imperfecta nempe unitas similitudinis *n.* — *Contrad. min.*

VII. Individua humana a parte rei non differunt essentialiter, sed solum quoad notas individuantes; atqui si non differunt essentialiter, unam habent essentiam; ergo admittenda est in rebus, ante omnem mentis operationem, unitas aliqua multis individuis communis. — *R. D. M.;* non differunt essentialiter, idest non habent essentias *diversas* seu *dissimiles*, *c.:* non habent essentias distinctas et vere realiter plures, *n.* — *Contrad. min....* Unitas numerica non distinguitur realiter ab unitate formali. Hinc uti quodlibet individuum suam propriam habet unitatem numericam, ita etiam propriam habet unitatem formalem. Attamen per unitatem formalem individua licet sint distincta; non sunt tamen diversa, per unitatem vero materialem non solum sunt distincta sed etiam diversa. Hinc confutatio brevis et efficax totius realismi exaggerati huc redit. Non existit aliquid unum commune pluribus. Porro universale formaliter inspectum est unum commune pluribus. Ergo nullum universale formaliter dictum existit in singularibus.

VIII. Universale praedicatur de individuis; atqui nequit praedicari de individuis, quod individuis non inest; ergo. — *R. D. M.;* natura ipsa quae denominatur universalis praedicatur quoad *id quod* concipitur, *c.:* quoad *modum quo* concipitur, *n.* — *D. pariter m.;*.. quod non inest quoad *modum quo concipitur*, *n.;* neque inest quoad *id quod* concipitur, *c.*

IX. Conceptus mentis debent respondere rebus. Sed ipsi sunt

(1) Periher. lect. 10.

universales. Ergo et res. — *R. D. M.;* quoad id quod concipitur, *c.;* quoad modum quo concipitur, *n.* — *D. m.;* quatenus repraesentant naturam aliquam in se universalem, *n.;*... naturam unam in singularibus multiplicatam, *c.*

Thesis XVII.

Universale formale constituitur per simplicem comparationem, qua aliqua natura concipitur ut una et identice in pluribus multiplicata vel multiplicabilis. Quare est ens rationis relativum, quod ideo est formaliter in intellectu et fundamentaliter in rebus.

93. **De Universali formali.** — Nunc aliquid breviter innuendum manet de universali formali, ut integra quaestio de universalibus soluta maneat.

Quare relictis ceteris quaestionibus, quae hac in re a Scholasticis agitari consueverant, et supposita propria ratione *universalis formalis*, iam exposita in Dialectica C. I, a. VI, sufficit ostendere quomodo ipsum in se constituatur. Quoniam ipsum exurgit ex secunda mentis consideratione reflectentis supra conceptum universalis directi, hic breviter explicatur quo pacto intellectus huiusmodi intentionem efformet.

94. **Prob. I p.** — Universale formale abstracte est relatio alicuius naturae, quae est in se una, ordinem dicens ad plura individua, in quibus invenitur identice multiplicata; et haec est propria *forma universalitatis*. Concrete vero est ipsa natura considerata, *ut* affecta huiusmodi forma, seu *ut* una et identice multiplicata vel multiplicabilis in pluribus. Atqui haec forma concipi nequit, nec alicui naturae applicari, nisi per simplicem comparationem, qua aliqua natura concipitur *ut* una et identice in pluribus multiplicata. Ergo.

Dicimus *per simplicem* comparationem: quia ipsa non fit per actum iudicii componentem, sed per actum simplicis apprehensionis, quo simpliciter concipitur aliqua natura ut una et relationem dicens ad plura, idest concipitur ipsa relatio unius naturae ad plura, quin aliquid affirmetur vel negetur. Iamvero quod talis comparatio *requiratur*, evidens

est ex ipsa notione universalis formalis. Quod ipsa autem *sufficiat*, pariter liquet ex eo, quod per illud nihil debet affirmari vel negari, sed simpliciter concipi aliquid unum *ut* dicens relationem ad plura.

Prob. II p. — Relatio, quam intellectus adinvenit inter unam naturam et plura individua, in quibus ea inest, habetur per secundam intentionem, qua mens redeundo super primam, eam, ut in mente obiective existentem, ad plura refert. Atqui haec intentio constituit ens rationis relativum, quod ideo est formaliter in intellectu. Ergo. Ad rem S. Th. (1): « Sicut realis relatio consistit in ordine rei ad rem, ita relatio rationis consistit in ordine intellectuum. Quod quidem dupliciter contingere potest: uno modo secundum quod iste ordo est adinventus per intellectum et attributus ei, quod relative dicitur. Et *huiusmodi sunt relationes, quae attribuuntur ab intellectu rebus intellectis prout sunt intellectae, sicut relatio generis et speciei.* Has enim relationes ratio adinvenit, considerando ordinem eius, quod est in intellectu, ad res quae sunt extra, vel etiam ordinem intellectuum (nempe conceptuum intellectus) ad invicem ».

Videlicet, uti clare explicat auctor *summae totius log. Arist.* (2), « quia intellectus reflectit supra seipsum, et super ea, quae in eo insunt (i. e. super suos conceptus), sive subiective sive obiective (spectatos), considerat iterum e. gr. *hominem* sic a se intellectum sine conditione materiae; et videt, quod talis natura cum tali universalitate potest attribui huic vel illi individuo; et *sic format secundam intentionem de tali natura, et hanc vocat* universale sive praedicabile ».

95. **Corollaria.** — I. Ergo *universale formale est in ipso cognosci ab intellectu* seu eatenus existit, quatenus ab intellectu cognoscitur: hoc enim proprium est omnis *entis rationis*. Et S. Thomas loquens de *relatione*, scite advertit « quod solum in his, quae dicuntur *ad aliquid*, inveniuntur aliqua secundum rationem tantum et non secundum

(1) *De Potentia*, q. VII, a. 11.
(2) Tract. I, c. 1. Cfr. etiam Suarez, *Metaph.* Disp. 6, s. 7, n. 2, 3.

rem ». Quando nempe « respectus significatus per ea, quae dicuntur ad aliquid, est *tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis unum alteri;* et tunc est relatio rationis tantum; sicut cum comparat ratio hominem animali, ut speciem ad genus » (1).

II. Ergo *universale formale exoritur per conceptum plane distinctum ab eo, quo apprehenditur universale materiale.* — Istud enim habetur tantum per abstractionem alicuius naturae a principiis individuantibus quam repraesentat, illud vero, praeter istud quod praesupponitur, indiget comparatione, qua istud ad plura individua refertur, ex qua efflorescat novus conceptus, repraesentans non aliquam rem sed ipsum conceptum naturae universalis, *reduplicative qua unum dicentem ordinem ad plura.* Unde tot distinguuntur universalia materialia, quot sunt naturae abstractae a principiis individuantibus, quae plurimae reperiuntur. E converso universalia formalia distinguuntur tantum secundum *diversum ordinem*, quem una natura dicit ad plura individua: et hic nonnisi quintuplex esse potest, nempe generis, speciei, differentiae, proprii et accidentis, uti vidimus in Dialectica. Quocirca unum idemque universale formale potest multiplici universali materiali applicari; e. g. species potest applicari *homini, equo, asino, rosae, cupro, auro...* etc.

III. Ergo *universale formale compositum cum materiali est iterum ens rationis.* — Siquidem omne compositum ex principio formali ac materiali constituitur in sua specie ac ratione per principium formale, uti terminos intelligenti patet. Atqui universale formale est ens rationis. Ergo compositum, seu universale formale concretum e. g. *homo species, asinus species, animal genus, rationalis differentia...* etc. est ens rationis.

96. **Prob. III p.** — Haec pars ideo additur, quia non desunt philosophi, qui vocent entia rationis, etiam ea, quae pura figmenta sint intellectus nostri. Nos ideo contendimus, hoc ens rationis habere fundamentum in rebus. — Nam

(1) *S. Theol.*, I. p., q. XXVIII, a. 1.

ipsum efformatur per reflexionem super primam intentionem, obiective inspectam, quae, prout a mente concipitur, ut relationem habens ad aliam, materiam praebet ad novam ac secundam intentionem efformandam, quae ipsum universale formale constituit. Atqui huiusmodi intentio recte dicitur habere fundamentum in rebus; non enim adstruitur ex puro arbitrio intellectus, ut accidit in illis, quae vocari solent figmenta mentis nostrae. Ergo...

97. Corollarium. — Ergo *magnum adest discrimen inter universale formale ac materiale* seu directum. — *a*) Primum est ens rationis, alterum ens reale; ideo primum obiective inspectum est tantum in intellectu, alterum in rebus saltem quoad id quod concipitur. — *b*) Primum fit per comparationem et ideo est ens essentialiter relativum, seu non repraesentat nisi relationem unius ad alia, alterum est ens absolutum, quia tantum naturam abstractam repraesentat. — *c*) Primum dicit ipsam intentionem universalitatis, quae eius formalem rationem constituit, alterum materiam dumtaxat praestat, quae nempe capax est recipiendi per mentis considerationem illam intentionem. — *d*) Quare universale formale recte dicitur esse *potentia remota* vel melius *fundamentaliter* in rebus, nempe in illis unitatibus formalibus, quae similes sunt in pluribus multiplicatae; et est *potentia proxima* in universali directo, scilicet in illa eadem unitate formali, iam abstracta a suis subiectis, quae est actu una dicens ordinem ad plura.

Quamobrem magna controversiarum pars, quae in hac quaestione inter scholasticos quamplurimos extiterunt, ex hoc prodiisse videntur, quod non accurate, uti par erat, inter utrumque universale distinxerint. Et ideo etiam difficultates, quae contra hanc thesim surgere videntur, ortum habent ex eadem confusione; praestat quasdam ex eis afferre (1).

98. Obiicies. — I. Universale formale est *unum in multis*. Atqui hoc habetur per solam mentis abstractionem. Ergo. —

(1) Dignum est quod legatur caput IV, *de Ente et Essentia*, in quo Angelicus Doctor breviter ac perspicue quaestionem de Universalibus pertractat.

R. D. M.; est unum dicens *actualem ordinem* ad plura, in quibus intelligitur identice multiplicatum, *c.;* unum dicens *potentialem* ordinem ad plura, *n.;* vel, *subd.*: est universale materiale ac proinde *formale in potentia*, *c.;* formale in actu, *n.* — *Contrad. m.;* unum dicens *actualem* ordinem ad plura habetur per solam abstractionem, *n.;* dicens *potentialem* ordinem..., *c.* Videlicet forma universalitatis exoritur ex eo, quod aliqua perfectio in se una *actu* referatur ad plura individua, in quibus identice multiplicatur, atque adeo simul dicat *unitatem et pluralitatem*. Atqui natura simpliciter abstracta *nondum* actu sese refert ad plura, quia de se nil aliud repraesentat, nisi unitatem quandam formalem sine principiis, eam individuantibus. Ergo requiritur, quod intellectus super eam reflectat, eamque inspiciat ut identice in pluribus multiplicatam, et novum gignat conceptum, in quo eam apprehendit *ut unam in multis*, seu habentem simul unitatem et pluralitatem.

II. Natura abstracta est actu una et identice multiplicata. Atqui ista actu dicit ordinem ad plura. Ergo. — *R. D. M.;* est actu una in intellectu et identice multiplicata in rebus, *c.;* est actu in ipso intellectu seu cognoscitur simul una et multiplicata *n.* — *Contrad. m....* Ut habeatur universale formale requiritur, quod intellectus concipiat aliquid simul actu unum et identice multiplicatum, et minime sufficit quod sit in intellectu una et in rebus multiplex, quin hoc ab intellectu cognoscatur. Porro per solam abstractionem mens concipit naturam unam, *quae* est identice multiplicata, at non *qua* est multiplicata. Ideoque non habet conceptum unitatis et pluralitatis alicuius naturae. Sed quoniam natura abstracta in mente existens iam apta est, ut ita concipiatur, si mens reflectendo, eam referat ad individua, in quibus est multiplicata; merito ipsa dicitur universale materiale seu *formale in potentia*, et evadit actu tale per mentis comparationem.

III. Inter singulare et universale non datur medium. Atqui natura abstracta non est singularis. Ergo est universalis. — *R. D. M.;* inter singulare et universale materiale, *c.;* et universale formale, *subd.;* si hoc esset ens aliquod reale, *c.;* si est tantum ens rationis *n.* — *D. m.;* non est singularis quatenus repraesentat non unum individuum sed multa, quae in eadem unitate formali conveniunt, *c.;* quatenus ipsa cognoscitur *ut* haec multa repraesentans *n.* — Principium illud in maiori positum tunc valet, quando singulare et universale spectantur in eodem ordine sive reali sive rationis, minime vero si alterum spectatur in ordine reali, alterum in ordine intentionali. Iamvero quoniam universale formale est ens rationis, unitas et pluralitas spectandae sunt in ordine intentionali, ut innotescat utrum ibi natura sit singularis vel universalis. Atqui natura abstracta, antequam cognoscatur *ut repraesentans multa* individua, nondum importat pluralitatem in ordine intentionali. Nequit igitur appellari uni-

versalis nisi tantum in potentia. Ergo adhuc requiritur comparatio.

IV. S. Thomas saepe ait, universale fieri per solam abstractionem Ergo. — *R. D. M.;* universale materiale seu directum, *c.;* formale, *n.* — Et revera ex testimoniis allatis in demonstratione, et ex aliis, quae omisimus, clare patet, iuxta eius mentem requiri etiam comparationem ad universale formale. Et quum saepe asserat sufficere abstractionem, loquitur de universali directo, de quo ipse magis adhuc sollicitus erat.

V. Comparatio unius naturae ad plura individua fieri nequit, nisi multa efformentur iudicia. Ergo non sufficit simplex comparatio. — *R. D. M.;*... quae praecedant actum, quo concipitur universale formale, *c.;* quae efformentur in ipso actu quo idem concipitur *n.* Certum est, uti mox declarabimus, multa praerequiri iudicia, ut mens valeat conceptus universales sibi comparare. At in ipso actu, quo istud concipit, nullum reperitur iudicium, uti innuimus.

99. **Scholion.** — *De Iudiciis quae praerequiruntur ad efformandum conceptum universalem.* — Praestat breviter innuere, quot iudicia ac media adhibenda sunt, ut mens valeat conceptum universalem alicuius naturae sibi comparare. Ita multae aequivocationes ac difficultates facile evanescunt; et clarius patebit momentum huius quaestionis de universalibus et ceterarum quae in cap. III agitandae erunt. Iam age ad hoc ut mens concipiat aliquam naturam ut universalem, necesse est cognoscat, eam esse *unam et identice in pluribus multiplicatam vel saltem multiplicabilem.* Haec autem cognitio comparari nequit, nisi multae praecedant perceptiones et iudicia.

Et *primo*, uti vidimus in th. XIII, n. 71, sensus debet cognoscere aliquam unitatem formalem concretam seu individuam; *secundo* intellectus debet simul conferre multas sensuum perceptiones, a quibus abstrahit unitatem formalem in eis similem, praescindendo a principiis individuantibus; *tertio* adhibenda est inductio, quam breviter exposuimus in dialectica n. 150...; *quarto* vero multa adhibenda sunt iudicia, de quibus, uti iam innuimus, sermo erit in cap. III praesertim in quaestione de inductione. Profecto postquam haec omnia ibidem explanata erunt, plena luce fulgebit totus processus, quo intellectus conceptus universales naturarum sibi valet comparare.

Si quis vero conceptum naturae tantum *multiplicabilis* efformare vellet, necesse minime foret, multa individua percipere, in quibus illa reperiretur. At certe multa iudicia ac ratiocinia adstruere debet ad ostendendum, illam esse perfectionem in se determinatam, quae in se abstrahit a principiis singularitatis, et potest reperiri identice in pluribus multiplicata. Semper igitur asserendum erit, multa praerequiri iudicia, antequam mens conceptum naturae universalis, reduplicative qua universalis, sibi praestituat: quamvis ipsum in se, non per iudicium componens, sed per simplicem apprehensionem efformet.

100. **Conclusio.** — Praecipua difficultas, quam philosophi fere omnes inveniunt ad vindicandum obiectivum valorem cognitionis nostrae, versatur semper circa conceptus universales et iudicia universalia. Ea profecto quoad conceptus videtur modo plene soluta.

Siquidem ad obiectivum conceptuum valorem rite tuendum sufficit ostendere, eos repraesentare res quoad id quod concipitur, quin ullo modo requiratur quod modus, quo res concipitur, respondeat ipsi modo, quo res est in se. Quia conceptus non sunt nisi imagines rerum, et omnis imago debet rei respondere, quoad id quod repraesentat, non quoad modum quo est. Conceptus vero universales ratione fundamenti ontologici respondent rebus, quoad id quod concipitur, quamvis ratione fundamenti psychologici, seu mentis abstractionis, non respondeant, quoad modum quo res concipitur. Conceptus igitur universales plane obiectivi dicendi sunt. At ipsae rerum naturae, per eas repraesentatae, non sunt *universales actu*, nisi in solo intellectu; in rebus ipsis vero sunt tantum universales *in potentia*, quatenus possunt per mentis abstractionem concipi sine principiis individualibus.

Hinc elucet ratio deceptionis eorum omnium, qui hac in re oppositos docuerunt errores, ex eo orta, quod omnes falso putaverint, conceptus debere rebus respondere, et quoad id quod concipitur, et quoad modum quo concipitur. Hinc quidam advertentes, res esse singulares, nec proinde habere eundem modum ac conceptus universales, deduxere,

conceptus universales non respondere rebus, sed esse purum nomen vel purum conceptum, cui forte collectio individuorum correspondet. Idealistae vero, adhuc ulterius progressi, hos conceptus vel ut formam menti inhaerentem, vel ut aliquid ab ea productum, considerarunt, ac proinde nullam scientiam realem per eam comparari posse intulerunt. Alii e converso putarunt, his conceptibus respondere naturas actu universales, vel in se separatim subsistentes, iuxta Platonem, vel in rebus sensibilibus, quae proinde actu inter se non distinguerentur, unde pedetentim in abnormem pantheismum sive realem sive idealem nonnulli prolapsi sunt.

Porro ex hoc brevi conspectu clare colligitur, quanti momenti sit hanc quaestionem rite solvere, eamque secernere ab altera, quae ipsam formalem rationem conceptus universalis respicit. Errores enim praecipui nonnisi circa priorem versantur, imo novatores fere exclusive in ea immorantur, quam proinde ipsi potius inscribunt *de obiectivo valore conceptuum*, quam *de universalibus*. Quoad alteram vero de formali ratione universalis, sufficit ostendere, quomodo intellectus eam concipere valeat. Nimirum per simplicem comparationem, qua ipse reflectendo super conceptum abstractum alicuius naturae, (qui iure vocatur universale materiale), ipsum comparat cum multis individuis, quae repraesentat, concipit rationem *unius dicentis ordinem ad plura*, seu efformat conceptum *unius in multis*, vel *praeter multa*, in quo stat formalis ratio universalitatis. Quae proinde ut talis non est ens reale, sed *ens rationis*.

Nihilominus si quis inquirit, quae et quot media ac iudicia praerequiruntur, ut intellectus valeat hanc comparationem instituere, responsionem inveniet in capite III, quum de fontibus veritatis sermo erit.

Interim vero de ipsa formali ratione veritatis cognitionis directe loquendum occurrit, ut rite explicetur, quomodo ipsa enascatur et constituatur.

ARTICULUS III

DE FORMALI RATIONE VERITATIS COGNITIONIS.

101. **Ordo rerum.** — In priori capite simpliciter spectavimus factum ipsum adaequationis simplicium conceptuum cum rebus. Tuendo enim obiectivam realitatem conceptuum, praesertim universalium, eo ipso vindicavimus, conceptus nostros esse revera adaequatos ipsis rebus saltem, ut aiunt, *materialiter*. Nunc vero quaestio agitari solet inter scholasticos: utrum etiam in huiusmodi conceptibus reperiatur formalis ratio veritatis cognitionis, vel tantum in actu iudicii componente ac dividente, quem ponit intellectus humanus ad complendam suam cognitionem. Ad hanc quaestionem rite solvendam in antecessum statuendum videtur principium aliquod generale, in quo omnes conveniant oportet, quodque intimam ultimamque rationem quaestionis tangat eique plenam afferat lucem.

Thesis XVIII.

Formalis ratio veritatis cognitionis est in actu, quo " intellectus iudicat rem ita se habere, sicut est forma, quam de re apprehendit ,, (1).

102. **Declaratur.** — Verbum « *iudicat* » hic non sumitur sensu stricto relate ad intellectum nostrum, prout idem est ac componere vel dividere, sed sensu latiori, prout significat *apprehendere rem sicut in se est*. Imo hic est primus et germanus sensus verbi *iudicare*, et ita convenit etiam Deo, Angelis et sensibus. Unde dicimus, quod veritas logica ex eo habetur, quod intellectus aliquam rem seu perfectionem ita cognoscit, seu ita in se intentionaliter repraesentat, ut simul videat seu *iudicet*. suam cognitionem adaequari illi rei, nempe *imaginem intentionalem*, quam in se habet, *reapse respondere rei, quam repraesentat*. Hoc igitur asse-

(1) S. Th. S. *Theol.*, I p., q. XVI, a. II.

rimus tamquam certum ab omnibus esse admittendum. Si quis autem quaerat, quo pacto intellectus hoc praestare valeat, vel in simplici apprehensione, vel praesertim in actu componente ac dividente, hoc inferius investigabitur.

103. **Prob.** — Veritas cognitionis est finis, in quem cognitio tendit, qui tunc habetur, quum ipsa sit adaequata rei, i. e. quum res, quam ipsa refert cognoscenti, in se revera talis sit, qualis ab ipsa refertur. Atqui hoc habetur, cum intellectus iudicat, rem ita se habere, sicut est forma, quam de re apprehendit. Ergo.

Maior patet, tum ex iis quae in th. II attulimus, tum praesertim ex unanimi hominum consensu, qui tunc dicunt veram habere cognitionem, quum res, quae per ipsam repraesentantur, huiusmodi sint in se, sicut ab ipsa repraesentantur.

Pr. m. Cognitio in eo est, quod cognoscens intentionaliter fit similis rei, seu eam repraesentat. Atqui haec similitudo tunc adest, quum intellectus per cognitionem habet in se rei imaginem, quam proinde cognoscit respondere rei repraesentatae. Etenim in hoc differt huiusmodi imago, quae ideo vocatur intentionalis, ab aliis, quae dicuntur physicae, quod istae habentur per physicam impressionem et immutationem, vel tangendo simpliciter, vel fingendo aut sculpendo, vel pingendo et huiusmodi. Illa vero pure et simpliciter per cognitionem, qua cognoscens vi propriae activitatis, post receptam a re impressionem, fit similis rei.

Sed intellectus similis rei est ipsa imago rei; vel, ut saepe ait S. Thomas, est *intentionaliter ipsa res cognita*. Ergo veritas cognitionis habetur quum intellectus videt seu iudicat rem ita se habere, sicut est forma, quam de re apprehendit.

104. **Obicies.** — I. Haec th. supponit tamquam certum cognitionem res ipsas exhibere. Atqui haec veritas deberet ad examen revocari, uti Kant fecit, et ita forte inveniretur non esse certa. Ergo. — *R. C. M.*, et *N. m.*, vel si placet *d.* 1^am^ *p.*, positive de ea dubitando, et curando ut ea directe demonstretur, *n.*; ostendendo per ipsum certum et infallibilem omnium consensum praesertim practicum, et per ipsam evidentem cuiusque conscientiam

et experientiam, hoc esse verum et certum, *c.* Et hoc iam fecimus, quum obiectivum valorem conceptuum vindicavimus.

II. Haec veritas admitti nequit, nisi modus explicetur, quo ipsa oritur. Atqui iste modus intelligi nequit. Ergo. — *R. N. M.*, et *m.* In omnibus enim veritatibus perscrutandis duae quaestiones apprime secernendae sunt, una : *quia res est*, altera : *cur aut propter quid res est;* prior semper facilior est, et independens a posteriori, uti saepe diximus. Ceterum ipsa quoque propositio minor falsa est, uti in psychologia aperte probabitur.

III. Veritas est in actu, quo mens duos conceptus componit aut dividit. Atqui in hoc actu mens non iudicat sui conformitatem cum re, sed solam convenientiam aut discrepantiam inter duos conceptus. Ergo. — *R. D. M.*; conceptus subiective inspectos ..., *n.;* obiective inspectos *subd.;* ita ut unus i. e. praedicatum consideratur tamquam forma apprehensa de re, alter i. e. subiectum tamquam ipsa res, cui forma apprehensa applicatur, *c.*; alio modo, *n.* — *Contrad. m.;* si componeret duos conceptus subiective inspectos, *c.;* si obiective inspectos, eo modo quo in maiori declaravimus, *n.* — Haec difficultas spernenda non est. Ut eius solutio perspecta habeatur, interest haec in mente versare : 1° quando intellectus duos conceptus componit, eos obiective semper inspicit, et in eo est, ut videat, utrum conceptus illi componendi ad rem aliquam referantur, in qua simul reperiantur perfectiones, quas ipsi exhibent. Si hoc videt, componit; si oppositum inspicit, separat; si neutrum, iudicium suspendit. — 2° Istos duos conceptus mens ita apprehendit, ut unum consideret tamquam aliquam perfectionem, quam de re apprehendit, et est praedicatum, alterum, tamquam ipsam rem, cui illa perfectio inest et loco ponitur subiecti : (recole quae diximus in Dial., n. 87). — Hinc 3° vides, quomodo intellectus componendo ac dividendo revera « iudicat, rem ita se habere sicut est forma, quam de re apprehendit »; quatenus, ut clare ibid addit S. Th. : « aliquam formam, significatam per praedicatum, vel applicat alicui rei significatae per subiectum, vel removet ab ea ». — 4° Quare nunc colligitur oportere hic iam supponere simplices conceptus res ipsas exhibere, secus neque per actum iudicii, posset hoc demonstrari, quum nullum haberet valorem, si illud tamquam ratum non praesupponeretur (1).

(1) Haec omnia confirmari possunt ex ipso Kant, qui hanc animadversionem hac de re facit. Ait enim: « Nunquam potui acquiescere declarationi, quam logici dant de iudicio, quod dicunt esse apprehensionem relationis inter duos conceptus... Contra vero si ego rationem alicuius cognitionis, quae per iudicium habetur, sedulo investigo, deprehendo iudicium nil aliud esse, nisi modum reducendi cognitionem habitam ad obiectivam unitatem apprehensionis (zur objectiven Einheit der Apperception) ». Iamvero dicimus, haec mirifice confirmare nostram responsionem. Ut enim saepe advertimus, in compositione iudicii nos eo tendimus, ut duos conceptus ita componamus, ut *unum* constituant, qui rem perfectius referat. Et haec unitas obiectiva apprehensionis seu *apperceptionis*, ut idem ait, ad quam semper tendimus. Vide l. c. p. 129, 121, 122.

Thesis XIX.

Pro intellectu humano haec veritas invenitur plene et perfecte in actu iudicii componente ac dividente; imperfecte vero et inchoative in simplici apprehensione.

105. **Status quaestionis.** — Quaestio agitari solet, ut innuimus n. 101, inter Scholasticos, *in quonam actu intellectus nostri veritas formaliter inveniatur*. Ea tamen agitatur tantum pro *intellectu humano*, quia, pro intellectu divino et angelico nullum habet locum.

Sed revera non videtur inter eos magna adesse oppositio (1). Siquidem — 1) omnes in eo conveniunt, quod aliqua veritas etiam in simplici apprehensione agnoscenda est; quia omnes agnoscunt ibi esse veram cognitionem. — 2) Pariter omnes admittunt, eam *plene et perfecte* adesse tantum in actu iudicii componente et dividente. — 3) Item omnes affirmant cum S. Thoma, in eo tantum inveniri veritatem, *uti cognitam per actum reflexum ac signatum*. — 4) Tandem quum determinandum occurrit, quo sensu *aliqua veritas* in simplici apprehensione adstruenda sit, omnes pariter asserunt, eam inveniri imperfecte et inchoative.

At in hoc unice discrepant: quidam dicunt, *eam ibi adesse tantum materialiter et per ordinem ad iudicium;* alii censent, eam *adesse formaliter et ratione sui*, eadem ratione ac ibi est *cognitio formaliter et ratione sui*. Haec enim est imperfectissima, et exigit perfici per iudicium componens; ita pariter ibi veritas est imperfectissima, et perficienda proinde per iudicium.

Nos hanc alteram amplectimur sententiam.

(1) En quid refert Suarez ad rem, in *Disp. Methaph.* VIII, s. 3, n. 1... « Communis sententia esse videtur, veritatem cognitionis, proprie et in rigore loquendo, esse solum in compositione et divisione intellectus, et non in actibus eius simplicibus. Ita sentit *Caietanus*, et aliqui *Thomistae*...; et videtur esse opinio S. Thomae... Aliorum nihilominus opinio est, veritatem cognitionis non solum in compositione et divisione, sed etiam in simplicibus mentis conceptibus reperiri. Quam opinionem tenet *Ferrariensis;* idemque sentit Capreolus, ...et probari potest ex Arist III *de Anima* c. 6, ubi D. Thomas haec habet: « Veritas... est in compositione vel divisione intellectus; non autem in intelligibili incomplexo. Sed licet ipsum intelligibile incomplexum non sit neque verum neque falsum; tamen intellectus intelligendo ipsum verus est, inquantum adaequatur rei intellectae ». — Iamvero iam ex istis verbis S. Thomae clare infertur,

Et primo iuvat recolere quae egregie ad rem notat Angelicus Doctor 1) : « Deus unumquodque cognoscit per simplicem intelligentiam intelligendo essentiam uniuscuiusque, sicut si nos, hoc ipso quod intelligimus quid est homo, intelligeremus omnia, quae de homine praedicari possunt. Quod quidem in intellectu nostro non contingit, qui de uno in aliud discurrit, *propter hoc*, quod species intelligibilis sic repraesentat unum, quod non repraesentat aliud; deinde intelligendo quid est homo, non hoc ipso alia, quae ei insunt intelligimus, sed secundum quandam successionem. Et propter hoc, ea quae secorsim et divisim intelligimus, oportet nos in unum redigere per modum compositionis vel divisionis, enuntiationem efformando ».

Ex istis facile colligis : 1° Ubi simplex apprehensio perfecta est, qua scilicet intelligitur res non abstracte, sed prout concrete in se est cum suo esse et aliis perfectionibus, cum quibus coniuncta est; ibi etiam formalis veritas cognitionis perfecte habetur. — Hinc 2° de essentia veritatis cognitionis primo et per se non est compositio et divisio, secus enim si ipsa deest, nunquam posset veritas cognitionis formaliter haberi, nec in intellectu divino et angelico. — 3° Quare multo minus requiritur, quod duo habeantur termini seu conceptus in mente existentes, inter quos comparatio fiat. Comparatio enim proprie fieri debet inter conceptus mentis et res, inter quos adaequatio adesse debet, quae veritatem constituit. — Ergo 4° *accidit* tantummodo intellectui nostro, quod veritas cognitionis habeatur in compositione ac divisione duorum conceptuum, ob illam imperfectionem, quam S. Th. exponit. Quapropter, quum explicandum erit, cur aut quomodo veritas cognitionis proprie ac perfecte in actu componente ac dividente reperitur, res ita exponenda erit, ut non videatur veritas cognitionis formaliter primo et per se requirere,

quod aliquo sensu veritas inveniatur etiam in simplici apprehensione, quia in hoc actu intellectus adaequatur rei intellectae.

Unde cum omnibus convenimus, quod « veritas cognitionis esse non potest nisi in iudicio » ut ipse Suarez ait (ibid. s. IV, n. 5); quia ut idem addit: « intellectus nihil vere cognoscit donec iudicet ». At simul asserimus cum eodem (ib. n. 7), « in simplici apprehensione intellectus esse aliquale iudicium, licet imperfectum, et secundum illud esse in eo actu veritatem cognitionis »; modo nempe omnino imperfectissimo.

1) S. *Theol.* I p., q. XIV, a. 14.

quod duo habeantur conceptus, inter quos adaequatio extare debet, uti quidam scholastici perperam arguunt.

Unde asserimus quod ratio cur compositio et divisio requiratur pro intellectu nostro, ex eo est, ut *plene* ac *perfecte*, *non* autem *ut formaliter* habeatur veritas cognitionis. Quatenus per unum iudicium non *plenam* veritatem alicuius rei adipiscimur, sed componendo ac dividendo valemus perficere nostram cognitionem, ac proinde plenam veritatem nobis comparare. Addimus: *perfecte*, quia in hoc actu integre habetur illud, quod adaequationem intellectus cum re, prout extra mentem existit, nobis praebet. Et sane.

106. **Prob. I p.** — Veritas, de qua loquimur, est proprietas cognitionis, seu est cognitio adaequata rei. Atqui cognitio pro intellectu humano plene ac perfecte in actu componente aut dividente invenitur. Ergo.

Pr. m. Intellectus per cognitionem eo tendit, ut res apprehendat, prout in se existunt, ipsae autem non existunt in se abstractae, sed semper contractae cum aliis perfectionibus, et etiam cum aliquo *esse* sive possibili sive reali. Atqui res hoc modo contracta, nonnisi per actum componentem ac dividentem, ab intellectu humano cognoscitur; quia, uti vidimus n. 72), per simplicem apprehensionem intellectus noster percipit naturam abstractam a principiis individuantibus ac proinde etiam ab esse rei. Ergo.

Confirmatur praeterea hoc argumento S. Thomae (1): « Cum sit duplex operatio intellectus: una quarum dicitur a quibusdam imaginatio intellectus, quam Ph. (3 *de Anima*) nominat intelligentiam indivisibilium, quae consistit in apprehensione quiddditatis simplicis...: alia est, quam dicunt fidem, quae consistit in compositione vel divisione propositionis: prima operatio respicit quiddditatem rei; secunda respicit esse ipsius. Et quia ratio veritatis fundatur *in esse et non in quiddditate* vel ut melius in ipso art. ait: *in esse magis quam in quiddditate*); ideo veritas et falsitas proprie invenitur in secunda operatione, et in signo eius, quod est enuntiatio, et non in prima vel signo eius, quod est definitio,

(1) I S. D. XIX, q. V, a. I, ad 7.

nisi secundum quid; sicut etiam quidditatis esse est quoddam esse rationis, et secundum istud esse dicitur veritas in prima operatione intellectus. » His verbis haec alia addi possunt (1): « Tertio modo dicitur *esse* quod significat veritatem compositionis in propositionibus secundum quod *est* dicitur copula; et secundum hoc est in intellectu componente et dividente, quantum ad sui complementum, sed fundatur in *esse* rei, quod est actus essentiae ».

Hoc argumentum quibusdam non probatur, et videtur fuisse ab ipso S. Th. despectum in S. Theol., in qua aliud proponitur. At revera si bene intelligitur, videtur in illud redire, et idem melius exponit. Interim adverte quod per *esse* non videtur intelligenda ipsa realis existentia extra causas, sed potius existentia quidditatis in aliquo subiecto. Quare argumentum in forma ita confici potest.

Veritas fundatur in esse magis quam in quidditate rei; scilicet, veritas magis fundatur in cognitione τοῦ esse, quod res habet in aliquo subiecto, vel cum alia forma, quacum coniungitur, quam in apprehensione purae quidditatis abstractae. Atqui intellectus nequit cognoscere hoc subiectum vel hanc aliam formam, nisi per novum conceptum, quem cum priori coniungit, per actum iudicii componentis. Ergo.

Tandem confirmatur ex ipso signo. Omnes enim homines ratum exploratumque habent, se tunc dicere verum, quando enunciationem quandam proferunt. Atqui enuntiatio est signum iudicii componentis ac dividentis. Ergo.

107. Dices. Obiectum cognitionis nostrae in hac vita sunt essentiae rerum non autem *esse* ipsarum. Ergo est falsum quod cognitio debeat terminare ad esse ipsarum. — *R. D. A.*: ... cognitionis simplicis apprehensionis, *c.*; *iudicii, subd.*: sunt essentiae, quae sunt entia completa, prout scilicet connotant *esse*, *c.*; essentiae, ut partes entis, *n.* Ergo intellectus debet cognoscere, quodnam *esse* connotat aliqua essentia: scilicet debet cognoscere essentiam in concreto non autem abstractam, quia res omnes sunt concretae non autem abstractae. Atqui ad hoc requiritur componere conceptum simplicis apprehensionis, qui est semper abstractus, cum alio conceptu. Ergo.

(1) I. *Sent.*, Disp. XXXIII, q. 1, a. 1 ad 1m

108. **Prob. II p.** — Ibi veritas tantum imperfecte et inchoative inveniri potest, ubi cognitio etiam imperfecte ac velut inchoative habetur. Atqui in simplici apprehensione cognoscitur tantum natura quaedam abstracta. Atqui haec est imperfecta et velut inchoat veram cognitionem, quae in actu iudicii componente completur, ut experientia ipsa testatur. Nemo enim sistit in simplici apprehensione, sed semper impellitur ad iudicium efformandum, in quo tantum intellectus quiescit, et perfectam adaequationem cum re nanciscitur. Ergo in simplici apprehensione cognitio, item veritas, inchoative tantum habetur. — Contra vero dici nequit, quod neque inchoative inveniatur; quia tunc sequeretur, in ea nullam adesse cognitionem. Ut enim ad rem Suarez habet 1): « in simplici cognitione rei includitur aliquo modo iudicium, quia cum illa apprehensio sit actus potentiae cognoscitivae, necessario debet per illam aliquid cognosci; quod autem cognoscitur, ea ratione iudicatur, nam quod iudicari non potest, ignoratur ».

Item S. Th. (2) asserit: « in simplicibus esse veritatem per hoc quod cognoscitur res secundum propriam quidditatem » et (3) « licet ipsum intelligibile incomplexum non sit neque verum neque falsum, tamen intellectus, intelligendo ipsum, *verus est inquantum adaequatur rei intellectae* » 4).

109. **Obiicies contra 1am p.** — I. Veritas est adaequatio intellectus et rei. Atqui in enuntiatione est tantum inter duos conceptus. Ergo. — *R. C. M.;* et *D. m.:* inter conceptus formales, *n.;* obiectivos, *subd.:* i. e. in materiali eorum adaequatione, (sicut quando comparantur simul duae res quaecumque), *n.:* in formali adaequatione (inquantum intellectus, illa adaequatione instituta, ponit actum simplicem iudicii, in quo exercite affirmat: se cognoscere et esse adaequatum illi formae, prout est in illo subiecto), *c.* — cfr. n. 104, III.

II. *Instas.* — Si ita esset, intellectus in uno actu iudicii adaequaretur duabus rebus i. e. subiecto et praedicato, et ita haberentur duae veritates. Atqui hoc est falsum. Ergo. — *R. D. 1am p. M.:* i. e. duabus rebus distinctis et separatis, *n.;* unitis et intellectis ad modum unius, vel melius uni rei intellectae per

(1) *Metaph.* D. 8, s. 4.
(2) In I. IX. M. l. 11.
(3) In III, *de Anima*, l. 11.
(4) Cfr. etiam S. *Theol.*, I p., q. 85, a. 1, ad 1m.

duos conceptus, qui simul complentur ut perfectius illa res intelligatur, *c.* — *Contrad.* 2am *p.*, et pariter *min.*

III. *Instas.* — Ut possint haberi duo conceptus, in re esse deberent duae entitates. Atqui est una. Ergo. — *R. D. M.;* deberet haberi fundamentum in re, *c.;* duae entitates distinctae, *n.* — *D. m.:...* quae potest praebere fundamentum illis duobus conceptibus, *c.;* neque hoc potest, *n.*; Scilicet, ut recte ait S. Th. (1), « compositio intellectus est signum identitatis eorum, quae componuntur. Non enim intellectus sic componit ut dicat, quod « homo est albedo »; sed dicit, quod « homo est albus » i. e. *habens albedinem.* Idem autem est subiectum *homo* et quod est *habens albedinem* ». Ergo nullo modo requiruntur duae entitates ad habendos conceptus, ex quibus constat compositio (idem dicendum erit de divisione), sed plane sufficit una res, quae duobus conceptibus percipitur, inter quos ideo invenitur identitas aut discrepantia (v. Dialect. n. 87).

IV. Si intellectus in iudicio exercite semper videret, se esse adaequatum rei, nunquam posset falli. Atqui fallitur. Ergo. — *R. D. M.:* si semper curaret componere formam cum subiecto, in quo revera est, vel dividere..., *c.;* si hoc non curat, *n.* — *Contrad. m.* — Ratio, cur intellectus humanus fallitur, non stat in hoc simpliciter, quod nempe putat in cognoscendo adaequari alicui rei, cui revera non adaequatur. Sed in hoc praecipue, quod, cum ad perfectam cognitionem habendam debeat componere vel dividere, potest falli, inquantum affirmat, se esse adaequatum alicui formae, prout invenitur in aliquo subiecto, in quo tamen non est, vel e converso.

110. **Contra** IIam **p.** — V. Ad habendam veritatem formalem requiritur iudicium Atqui hoc habetur tantum in compositione. Ergo. — *R. C. M.;* — *D. m.;* si sermo est de intellectu divino et angelico, *n.;* pro intellectu humano, *subd.:...* perfectum, *c.;* etiam imperfectum, *n.* Iudicium, quod requiritur ad veritatem formalem, ut saepe diximus cum S. Th., est *actus quo mens iudicat rem ita esse in se, sicut est forma quam de ea apprehendit.* Porro ad hunc actum habendum, simpliciter loquendo, non requiritur compositio, ut diximus.

VI. Ad habendam veritatem requiruntur duo termini, inter quos vigeat adaequatio. Atqui ipsi non habentur in simplici apprehensione. Ergo. — *R.* 1° *C. M.*, et *N. m.* — vel. 2° *D. M.;...* qui debent esse intellectus cognoscens et res cognita, *c.;* duo conceptus mentis, *n.* — *Contrad. m.:...* etc. vide iterum n. 104, III.

VII. In simplici apprehensione habetur adaequatio non cognita. Atqui veritas est adaequatio cognita. Ergo. — *R. D. M.:...* non cognita in actu reflexo, *c.:...* directo, *subd.*, perfecte, *c.*, imperfecte, *n.* — *Contrad. m.:...* etc. Haec videtur praecipua ratio,

(1) *S. Theol.*, I p., q. 85, a. 5, ad 3um.

ut perspicue Suarez advertit, « cur veritas dicatur specialiter esse in intellectu nostro cognoscente media compositione et divisione: nam per simplices conceptus nullo modo cognoscit intellectus conformitatem (1), unde nec proprie affirmat aut sentit veritatem, sicut facit, quando simplices conceptus componit. Unde licet tam compositio quam simplex apprehensio rerum sit absolute cognitio directa, tamen, si compositionem ad simplicem apprehensionem comparamus, quodammodo est quasi reflexiva supra illam veluti in ipso exercitio, quia per compositionem fit collatio inter simplices conceptus, ratione cuius est veritas in illa, praedicto speciali modo » (2). Melius adhuc rem explicat S. Th. (3): « In intellectu est (veritas) sicut consequens actum intellectus (i. e. in actu directo et exercito) et sicut cognita per intellectum (i. e. in actu reflexo et signato); consequitur namque intellectus operationem secundum quod iudicium intellectus est de re, secundum quod est: cognoscitur autem ab intellectu, secundum quod intellectus reflectitur supra actum suum, non solum secundum quod cognoscit actum suum, sed secundum quod cognoscit proportionem eius ad rem ». Videlicet veritas, cognita in actu reflexo et signato, tantum per compositionem haberi potest. In actu directo et exercito, per simplicem apprehensionem per se non videtur haberi nisi imperfecte, uti explicavimus, et in diff. X^a melius patebit: per compositionem vero perfecte habetur, quatenus intellectus reflectit super duos conceptus, eos ... rat et componendo aut dividendo, directe ac exercite asserit, se in illa compositione adaequari rei alicui determinatae. Atque ita proprie ac perfecte adest adaequatio cognita.

VIII. In simplici apprehensione habetur tantum conformitas repraesentationis. Atqui haec est veritas ontologica. Ergo. — *R. D. M.;* quae est etiam cognita, *c.;* quae non est cognita, *n.;* vel *subd.*, si consideratur conceptus ut res quaedam, *c.*; si proprie ut conceptus, *n.* — *Contrad. m.* Sane si intellectus repraesentat aliquid, cognoscit, quia haec est essentia eius, quamvis non cognoscat aliquid determinatum. Et ideo habetur veritas, quae semper quamcumque cognitionem comitari debet, etiam quum ea perfecta non sit.

IX. In simplici apprehensione habetur *cognitio vera*, non autem *cognitio veri*. Atqui hoc requireretur ut in ea adesset veritas. Ergo. — *R. D. M.*:... non est *cognitio veri* in actu reflexo, *c.*; neque in actu directo, *subd.*: non est cognitio sub formali ratione veri, *c.*; nec sub formali ratione rei, quae est materialiter vera, *n.* — *Contrad. m.*:... Porro ut habeatur formalis ratio verita-

(1) Nimirum non cognoscitur conformitas cum aliqua re determinata, sed cognoscitur conformitas cum aliqua re indeterminata, uti patet ex principiis eiusdem eximii Doctoris, et ex iis, quae antea exposuimus.

(2) *Met. D.* VIII, s. 3.

(3) Q. I. *de Ver.* a. 9.

tis cognitionis, sufficit *cognitionem formaliter veram*. Atque ad hoc sufficit, quod *cognitio sit adaequata rei;* haec enim est definitio veritatis cognitionis. Ergo minime requiritur etiam cognitio veritatis sub formali ista ratione.

X. Ex consensu omnium tunc dicitur haberi veritas, quando habetur enuntiatio, in qua est affirmatio vel negatio. Atqui... etc. — *R. D. M.;*... veritas perfecta et completa, *c.;* imperfecta, *n.*: vel *subd.*: i. e. non consideratur, *c.*: advertitur non esse, *n.* — Iam diximus, quod veritas completa invenitur in compositione, et idcirco nos nunquam sistimus in simplici apprehensione; quae est cognitio nimis indeterminata et incompleta. Sed insuper adverte, quod ratio, cur quando e. g. dico: *homo, equus*..., nemo asserat me affirmare veritatem vel falsitatem, in eo stat praecipue, quia ibi non potest haberi falsitas per se. Sicut si quis videt aliquam imaginem, non dicit eam *veram* imaginem ex eo tantum, quod aliquid repraesentat, si enim imago est, aliquid repraesentare debet: sed ex eo praesertim; quia revera aliquid determinatum repraesentat, puta Caesarem. Ita etiam, conceptus aliquis, e. g. hominis, bruti, non dicitur verus ex eo, quod repraesentat aliquid indeterminatum; quia hoc est omnino necessarium et certum, quum haec sit eius natura et ideo neque quaeritur, an sit verus. Sed dicitur verus ex eo, quod repraesentat aliquod ens determinatum, sicut si dicitur, e. g. *Petrus est homo*. Et quia haec est perfecta cognitio et perfecta veritas, ideo tantum hoc in casu dicitur haberi veritas vel falsitas.

XI. Si in simplici apprehensione esset veritas, posset esse etiam falsitas, quia contraria sunt in eodem subiecto. Atqui in simplici apprehensione non datur falsitas. Ergo neque veritas. — *R. D. M.;* falsitas per se, *n.;* per accidens, *c.* — *Contrad. min.* — Si argumentum probaret, tunc posset concludi, etiam in intellectu divino dari posse falsitatem, quod est maximum absurdum. Quod possit enim inveniri falsitas in intellectu, est omnino per accidens, quum essentialiter intellectus ordinetur ad veritatem. Quare illud principium est verum, si subiectum est indifferens ad utrumque contrariorum; si autem ordinatur essentialiter ad unum, non potest alterum suscipere nisi tantum per accidens.

Adverte tamen quod haec responsio generalis est, et respicit omnem cognitionem, in qua *per se* nonnisi veritas adesse debet. Si tamen quaeris, *qua ratione* in ea falsitas *per accidens* inveniri queat, tunc dico, eam tantum in intellectu humano contingere posse, et in simplici quidem apprehensione ratione falsae compositionis, quae antea praecesserat; ideoque *non ratione sui*, sed ratione secundae mentis operationis. In ista vero *ratione sui*, ut inferius explicabitur.

111. **Scholion.** — *De intima ratione, secundum quam in secunda mentis operatione invenitur veritas.* — Et praeprimis ratio recolenda est cum S. Th., cur « intellectus

humanus necesse habeat intelligere componendo et dividendo. Cum enim intellectus humanus exeat de potentia in actum, similitudinem quandam habet cum rebus generabilibus, quae non statim perfectionem suam habent, sed eam successive acquirunt. Et similiter intellectus humanus non statim in prima apprehensione capit perfectam rei cognitionem; sed primo apprehendit aliquid de ipsa, puta quidditatem ipsius rei, quae est primum et proprium obiectum intellectus, et deinde intelligit proprietates et accidentia et habitudines circumstantes rei essentiam. Et secundum hoc necesse habet unum apprehensum alii componere et dividere » (1).

Praeterea in simplici apprehensione intellectus abstrahit etiam a principiis individuantibus, et ideo a subiecto determinato et concreto, in quo illa forma invenitur et habet suum esse naturale, sive sit reale, sive possibile, et ideo, ut recte ait S. Th., « prima operatio respicit *quidditatem rei*: secunda respicit *esse ipsius* » (2) uti iam explicavimus.

Hinc facile colligitur: — 1° Ratio, cur intellectus humanus efformet compositionem vel divisionem, non est in hoc, quod debeat cognoscere adaequationem sui cum re, quam prius ignorabat: — 2° Sed ratio in eo est, quod intellectus curat intelligere etiam alias formas, quae cum ipsa inveniuntur, vel evolvere eas, quae in ipsa continentur, et praecipue subiectum determinatum, in quo ipsa inest. — 3° Ergo prima operatio mentis sese habet ad secundam, ut imperfectum ad perfectum, indistinctum ad distinctum, non autem ut pars ad totum. Quia licet non potest ipsa haberi, nisi praecedant duae simplices apprehensiones, ipsa tamen non est mera compositio ex eis; sed nova operatio, in qua perfecte et complete intelligitur, quod incomplete intelligebatur in prima operatione. — 4° In hac nova operatione intellectus in ipso *actu exercito* cognoscit sui conformitatem cum rebus.

Hoc praeclare explicat Suarez (4). « Quid autem sit, in actu exercito veritatem cognoscere, seu affirmare, ita potest declara-

(1) S. *Theol.*, I. p., q. 85, a. 5.
(2) I. S. D. 19, q. 5, a. I, ad 7.
(3) *Metaphys.*, D. VIII, s. 3.

ri: nam intellectus noster per unum simplicem conceptum non concipit adaequate, neque exhaurit distincte et clare rem concceptam, sicut faciunt Deus vel angeli; et ideo postquam aliquo modo confuse et inadaequate illam concepit, ut illam distincte et adaequate cognoscat, illi attribuit plura praedicata, sive re, sive ratione tantum distincta. Sicut autem de vocibus Aristoteles dixit, quia res non possumus adducere ad scholas, utimur terminis pro rebus, ideoque quando affirmamus unam rem de alia, id exterius non facimus, nisi mediante voce significante, et quatenus significans est: ita quando mente unum de alio affirmamus, quamvis praecipue intendamus, rem de re affirmare, id tamen non facimus, nisi per conceptus, quatenus naturaliter nobis repraesentant res. Atque hinc fit, ut dum componimus unam rem conceptam cum alia, vel cum ipsamet alio modo concepta comparando rem ipsam, simul in actu exercito comparemus conceptum nostrum ut repraesentantem illam rem. Ut v. g. quando intellectus componendo dicit, *hominem esse album*, formaliter et directe cognoscit identitatem vel coniunctionem, quam album habet cum homine, simul tamen in actu exercito ipso cognoscit conceptum albi aliquo modo continere sub se hominem et repraesentare illum, et consequenter esse illi aliquo modo conformem. Atque ita dum mens affirmat, hominem esse album, in actu exercito affirmat veritatem, seu hoc esse verum; quia dum affirmat album inesse homini, affirmat conceptum albi veram aliquam conformitatem habere cum homine ».

Thesis XX.

Etiam in sensibus invenitur veritas cognitionis, ita ut aliqua ratione perfectior sit ac in prima operatione intellectus humani et simpliciter imperfectior ac in secunda operatione.

112. **De Veritate Cognitionis Sensitivae.** — Quum veritas sit proprietas consequens omnem cognitionem, liquido patet, eam in cognitione quoque sensitiva adinveniendam esse. Inquirendum igitur occurrit, qua ratione in ea veritas inveniatur; eo vel magis quia omnis nostra cognitio a sensibus initium ducit. Interim omittimus quaestionem de sensuum veracitate, quippe quae inferius erit explicanda; et supposito quod in sensibus omnia habeantur requisita ad propriam cognitionem assequendam, simpliciter statuimus propriam veritatis rationem, quae in ea reperitur.

113. **Prob. I p.** — In sensu habetur cognitio, in qua ipse assimilatur rebus sensibilibus, et ita « iudicat esse quod

est, et non esse quod non est » (1). Sed in hoc stat veritas cognitionis, uti patet. Ergo. — Hoc idem ait S. Th. (2): « Veritas est in sensu sicut consequens actum eius (i. e. in actu directo vel exercito), dum scilicet iudicium sensus est de re secundum quod est; sed tamen non est in sensu, sicut cognita a sensu (i. e. in actu reflexo vel *signato*): si enim sensus vere iudicat de re, non tamen cognoscit veritatem, qua vere iudicat. » Videlicet sensus cognoscit obiectum, a quo afficitur, modo concreto, seu percipit qualitatem determinatam in subiecto determinato. *Oculus* e. g. *videt hoc album*, i. e. hanc albedinem existentem in hoc corpore, et ita immediate ad *hoc album* sese refert. Atqui actus cognoscitivus, qui se refert ad obiectum, a quo determinatur, est necessario verus. Ergo.

Sed sensus non reflectit super hanc cognitionem, neque componit cognitionem albedinis cum subiecto, in quo inest, et sub hoc respectu dicitur non cognoscere veritatem. Unde propter hanc rationem alibi etiam S. Th. cum Ph. negat, dari veritatem vel melius cognitionem veritatis in sensu, inquantum nempe ipsa non invenitur ut cognita in actu reflexo. Sed veritas invenitur etiam in actu directo, et ideirco cum Suarez concludimus (3): « In simplici apprehensione intellectus esse aliquale iudicium, licet imperfectum, et secundum illud esse in eo actu veritatem cognitionis. Et idem dicendum est, proportione servata, de cognitione sensus. Quando ovis concipit lupum et fugit, quamvis simplicem tantum actum habeat, tamen vere cognoscit illum ut inimicum, et ita iudicat, quamvis imperfecto modo: et visus dum cognoscit hoc album, aliquo modo iudicat, *hoc esse album* ».

Prob. II p. — Sensus, cum cognoscat singulare concretum, non abstrahit a subiecto, seu ab esse, quo sensibile in se actuatur. Atqui ita perfectius adaequatur rei, quam intellectus in simplici apprehensione, et ideo non indiget nova operatione, ut perfectius cognoscat suum obiectum. Ergo in eius cognitione veritas merito adesse dici potest perfectior ac in simplici apprehensione intellectus. Sed quum sensus

(1) S. Th. q. I, *de Ver.* a. 11.
(2) Ib. a. 9.
(3) *Metaphys.*, D. VIII, s. 4, n. 7.

non pertingat usque ad essentiam sui obiecti, sed illud percipiat tantum ut aliquid sibi praesens, eius cognitio est imperfectior ac illa. Et ideo ipsa dicitur reperiri tantum *aliqua ratione*, non autem simpliciter, perfectior in sensu, quam in intellectu simpliciter apprehendente.

Et praeterea in sensu nullo pacto haberi potest veritas, ut cognita in actu reflexo, nec potest ea dirigi ad aliam cognitionem perfectiorem, quae per sensus compleatur. Atqui simplex apprehensio eo semper ordinatur ut efformetur iudicium, in quo est perfecta veritas. Ergo.

Prob. III p. — In secunda mentis operatione intellectus distincte apprehendit conceptibus propriis perfectionem cum subiecto, cui ipsa inhaeret, ac dein relationem inter eos intercedentem. Atqui sensus cognoscit tantum perfectionem aliquam concretam, in qua implicite et confuso modo apprehendit subiectum, in quo ipsa inest. Ergo ipse imperfectiori modo adaequatur rebus, quam intellectus in secunda operatione.

Praeterea intellectus per actum iudicii pertingit ad cognoscendam ipsam rerum essentiam prout in se constituitur et ab aliis distinguitur. Atqui sensus nihil horum cognoscit, sed unice percipit aliquod obiectum ut hoc immutativum sui. Ergo cognitionem habet in imperfectissimo gradu. Atqui veritas sequitur cognitionem. Ergo.

114. **Obiicies.** — I. Veritas est adaequatio intellectus et rei. Sed sensus quam maxime distat ab intellectu. Ergo. — *R. D. M.*; sumpto intellectu antonomastice pro facultate cognoscitiva, *c.*; ita ut excludatur sensus, *n.* — *D. m.* quatenus non habeat eandem immaterialitatem et ideo perfectionem cognitionis, *c.*; quatenus in sensu nulla habeatur cognitio, *n.* Cum cognitio intellectus sit perfecta, cognitio sensus valde imperfecta, ideo in definitione veritatis antonomastice ponitur tantum intellectus. Sed quoniam etiam in sensu adest quaedam cognitio, quam semper veritas consequi debet, ideo etiam in sensu quaedam veritas admittenda est.

II. Sensus percipit tantum phaenomenon rei. Atqui veritas cognitionis est eius adaequatio cum re. Ergo. — *R. D. M.*; ... et hoc phaenomenon est aliquid reale quod sensus afficit, *c.*; est aliquid mere fictitium vel imaginarium, *n.* — *D. m.*; cum re intrinseca ac plene cognita, *n.*, cum re quae non sit aliquid fictitium et imaginarium, *c.* — Cognitio sensitiva haberi non potest.

nisi sensus afficiatur a re quadam, quae proinde nequit esse aliquid mere fictitium. Et eam sensus, quamvis intime non cognoscat, percipit tamen ut *hoc immutativum sui ;* quod plane sufficit ut in tali perceptione veritas adsit.

III. Cognitio sensitiva est in ipso *affici* ab aliquo sensibili. Atqui in hoc affici nulla datur adaequatio inter cognoscens et cognitum. Ergo — *R. D. M.;* ita ut quum sensus ab eo afficiatur, simul actum ponat quo sese referat ad obiectum sensibile, a quo afficitur, *c.;* quin ad ipsum se referat, *n.* — *Contrad. m.;* si non daretur actus quo ad sensibile referretur, *c.;* si datur *n.* — Quare statim ac obiectum aliquod sensus nostros percellit, ipsi actum ponunt, quo se ad illud referunt, ipsumque percipiunt. Atque adeo sensus cognoscunt determinatum quoddam obiectum. Ceterum in capite III directe vindicabitur ratio, qua sensus infallibiles sunt in suo obiecto percipiendo, et ita plenius apparebit solutio harum difficultatum.

115. **Scholion circa Kantii sententiam.** Doctrina veterum circa punctum omnino fundamentale omnium scientiarum vindicata, et forte etiam maiori luce induta quoad eius fieri poterat, praestat Kantii quoque sententiam cognoscere, quam ipse proponit consequenter ad principia a se arbitrarie statuta in introductione ad suam logicam transcendentalem.

Iamvero huius initio ipse disserit de *uso logico intellectus humani* : et hoc statuit principium 1) : « sensationem dumtaxat esse intuitivam, cognitionem vero intellectus, quae fit per conceptus, esse tantum discursivam. Hinc omnes intuitiones, quum nonnisi sensibiles sint, innituntur in affectionibus (auf Affectionen), conceptus innituntur in *functionibus* (auf Functionen). Intelligo vero, ipse addit, per *functionem*, unitatem illius actus, in quo diversae apprehensiones ordinantur sub aliqua universaliori. Conceptus ergo fundantur in spontanea activitate cogitandi ». Quocirca munus logicae iuxta ipsum eo tendit, ut hanc activitatem dirigat. Et veritas logica, ea praesertim quae circa principia universalia versatur, est fructus huius activitatis. Ea proinde per se omni obiectivo valore destituitur.

Hinc vides, conceptus universales iuxta Kant esse fructum illius functionis seu activitatis intellectus, qui in se praescindunt a proprio valore obiectivo, quia nullam dicunt relationem cum intuitione sensitiva. Atqui existentia horum conceptuum non modo non probatur, sed intrinsece repugnat, uti vidimus in th. IV.

(1) « ..... Also ist die Erkenntniss eines jeden, wenigstens des menschlichen Verstandes, eine Erkenntniss durch Begriffe, nicht intuitiv, sondern discursiv. Alle Anschauungen, als sinnlich, beruhen auf Affectionen, die Begriffe also auf Functionen. Ich verstehe aber unter Function, die Einheit der Handlung, verschiedene Vorstellungen unter einer gemeinschaftlichen zu ordnen. Begriffe gründen sich also auf der Spontaneität des Denkens wie sinnliche Anschauung auf der Receptivität der Eindrücke..... », p. 92.

Ergo usus logicus intellectus humani ab eo propositus impossibilis est et intrinsece pugnans. Ac proinde tota eius logica, quae in illo principio tamquam in puncto fundamentali innititur, inutilis quoque evadit. Ac perperam Kant sibi blanditus est, per suam novam logicam melius philosophiae prospexisse, quam per veterem factum sit, ideoque immerito prorsus hanc derelinquendam esse contendit.

ARTICULUS IV.

DE NOTIONE ET ORIGINE FALSITATIS.

Thesis XXI.

In cognitione hominis falsitas non invenitur per se sed tantum per accidens, ratione compositionis. Quae proprie non invenitur nisi in secunda mentis operatione: in prima vero et in sensu nunquam inveniri potest, nisi forte quando admisceatur compositio.

116. **De ratione falsitatis.** — Et primo dicimus, quod in facultate cognoscitiva per se non posset nisi veritas inveniri: ad psychologiam vero relinquitur probare modum, quo singulae facultates perveniant ad veritatem a rebus hauriendam. Ibidem pariter assignantur rationes et modus, quo falsitas accidere potest, prout ex principiis anteiactis eruitur. — Hic simpliciter asseritur factum, quod falsitas nullo modo invenitur *per se* in facultate cognoscitiva; sed tantum per accidens.

Iamvero falsitas habetur, quando cognitio non adaequatur illi rei ad quam refertur. Hoc autem contingit ex eo, quod nostra facultas cognoscitiva prius determinari debeat a re ipsa ad quam refertur, secundum aliquam perfectionem; et tunc accidere potest ut referatur ad aliam, a qua existimet fuisse determinata, ob apparentem similitudinem, quae inter utramque intercedit. Insuper quum intellectus indigeat componere vel dividere, potest ea componere quae componenda non sunt, ut inferius melius explicabitur.

Pro intellectu vero divino et angelico, qui non accipit cognitionem a rebus, hoc nullo modo contingere potest.

In vocibus autem falsitas haberi potest dupliciter; vel quatenus significat seu exprimit id, quod non est in intellectu, et tunc proprie habetur *falsitas signi*, quae dicitur etiam *mendacium*: vel quatenus exprimit id, quod est in intellectu, sed quum in intellectu sit falsitas, ideo exprimit falsitatem, et tunc habetur *signum falsitatis;* et haec omnia patent.

117. **Prob. I p.** — Cognitio exercetur per facultatem, quae secundum suam essentiam tota ordinatur ad percipiendas illas res a quibus determinatur ad cognoscendum. Atqui cum essentia huiusmodi facultatis omnino pugnat quod in cognitione inveniatur falsitas per se. Ergo.

Pr. m. Falsitas in cognitione habetur quando cognoscens affirmat, se percipere aliquam rem, quae vel simpliciter non est, vel saltem non eo modo, quo ab ipso affirmatur. Atqui hoc per se pugnat cum essentia facultatis cognoscitivae. Ipsa enim est facultas necessaria, quae necessario debet referri ad illam rem a qua determinatur, sicut enim reactio debet necessario respondere actioni, a qua determinatur, ita cognitio debet referri ad illam rem a qua determinatur facultas cognoscitiva. Ergo..... Quapropter affirmare, quod in cognitione esset falsitas per se, idem est ac denegare et destruere essentiam facultatis cognoscitivae, vel coniungere simul contradictoria, sicut si quis negaret ignem urere, vel diceret, essentiam eius esse, quod per se possit urere et non urere. Ad rem S. Th. (1): « Sicut res naturalis non deficit ab esse, quod sibi competit secundum suam formam...; ita virtus cognoscitiva non deficit in cognoscendo, respectu illius rei, cuius similitudine informatur ».

Prob. II p. — Ratio, cur in cognitione potest accidere falsitas, ex eo oritur, quod intellectus, quum non possit perfecte concipere res, eisque adaequari, nisi prius cognoscendo separatim formam eiusque subiectum ac dein componendo, contingere potest *aliquando*, ut componat formam cum subiecto non suo, vel eam separet a suo subiecto. Et ita affirmat, se adaequari alicui formae, prout est in aliquo subiecto, in quo revera non est, vel e converso. Atqui haec est compositio quae habetur in secunda mentis operatione. Ergo.

118. **Nota.** — I. Diximus *aliquando*, at non *semper*, quia in aliquibus impossibile est intelligere formam, et non etiam eius proprium subiectum; ut in istis, ut ait S. Th., « non solum necesse est per se vera esse (i. e. ontologice vera), sed etiam necesse est videri, quod sint per se vera »

(1) S. *Theol.*, I p., q. 17, a. 3. Cfr. etiam p. I, q. 85, a. 6.

i. e. habere veritatem cognitionis, quatenus nempe necesse est, intellectus videat formam coniunctam cum suo subiecto, vel non. Et hoc accidit in veritatibus, quae dici solent *immediate evidentes*.

II. Ad hoc ut habeatur falsitas, minime requiritur, ut intellectus videat, se coniungere formam cum subiecto non suo; secus enim intellectus videret veritatem, eamque consequenter intentionaliter affirmaret, sed cedendo imperio voluntantis, enunciaret oppositam falsitatem, et haberetur mendacium.

119. **Prob. III p.** — Si falsitas in simplici apprehensione et in sensu inveniri posset, independenter a qualibet compositione, quae admisceretur, consequens esset, posse in facultate cognoscitiva esse falsitatem per se. Atqui hoc est impossibile, ut probavimus in 1ª p. Ergo (1).

Pr. M. Nam *unica* ratio, cur possit inveniri falsitas in cognitione, est compositio. Et sane: ideo facultas cognoscitiva aliquid cognoscit, quia illud intentionaliter in se repraesentat. Ergo si independenter a compositione falleretur, de se repraesentaret aliquid quod tale non est, ideoque per se falleretur. Merito igitur ait Auctor *summae totius log. Arist.* 2): « Falsum non intelligit intellectus ex prima operatione sua: quia vel attingit naturam rei, et tunc intelligit verum: aut non attingit, et tunc ignorat. Et non est ibi proprie difformitas rei intellectae ad naturam eius, quia nec talis res est intellecta, sed aliqua alia: et ideo non est ibi falsitas, quae proprie importat deceptionem et non ignorantiam solam » (3).

120. **Obiicies.** — I. Intellectus in simplici apprehensione intelligit per abstractionem. Atqui accidere potest ut aliquid abstrahat, quod in re non est. Ergo. — *R. D. M.*; in quantum sumit a quadam re aliquid quod in ea est, *c.*; aliquid quod ipsi placet, *n.* — *Contrad. m...* Adverte, quod intellectus non est facultas libera, sed determinatur ab obiecto: si ergo in ipso non

(1) Cfr. etiam Suarez. *Met. Disp.* IX, sect. 1.

(2) L. VII, *de Enunt.* c. 5.

(3) Quoad modum quo in simplici apprehensione et sensu compositio admisceri potest, et ideo falsitas inveniri, cfr. S. Th. 1, p. q. 17, a. 3; et q. 1 *de Ver.* a. 11, et P. Pesch, *Log. crit.*, n. 816.

datur quaedam perfectio, non potest ea ab intellectu abstrahi. Sed aliquando accidere potest, ut intellectus ad praesentiam alicuius statuae, quae perfecte imitatur aliquod individuum humanum, sumat intentionem praecise illius individui. At hoc in casu non habetur simplex apprehensio, sed iudicium: inquantum intellectus non abstrahit ab illa statua formam individui humani, sed hanc formam, quam iam habebat, tribuit illi individuo. Idem potes dicere in omni casu, in quo affirmatur, obiectum aliter apparere ac in se est, et ideo inducere falsam apprehensionem, ut patet per exempla. Falsitas enim non stat in simplici apprehensione, in qua apprehenditur id quod apparet, sed in iudicio, in quo componitur illa forma cum subiecto, in quo non est, licet illa apparentia occasio fuerit illius falsi iudicii.

II. Aliquando mens concipit impossibilia. Atqui ista non dantur. — *R. D. M.;* ita ut nulla intercedat compositio, *n.;* mediante aliqua compositione, *c.* — *D, m.;* non dantur in re coniuncta, *c.;* separata, *n.* Quando mens concipit impossibilia, apprehendit duas perfectiones simul, quae nunquam in rebus reperiuntur coniunctae, sed tamen existunt separatae, sicut quando concipit *circulum quadratum.* Ergo tunc tantum iste conceptus est falsus, eo quod illas perfectiones *ut coniunctas* concipit. Et ad hoc requiritur semper compositio, quae praecesserit.

III. Intellectus apprehendit essentias rerum deducendo eas ex effectibus. Atqui hoc in casu accidere potest falsitas. — *R. D. M.;*... Ita ut quaedam iudicia praecedere debeant, *c.,* in ipso actu in quo apprehenditur essentia, *n.* — *Contrad.* m.; in iudiciis praecedentibus, *c.;* in ipso actu intellectionis, *subd.;* si intervenit quaedam compositio, *c.;* si nulla, *n.* Quapropter cum ad intelligendas essentias rerum, saepe multa requirantur iudicia et ratiocinia, si in istis falsitas occurrit, falso etiam apprehenditur essentia rei. Ita tamen ut in illa apprehensione non possit esse falsitas, nisi quaedam intercedat compositio, sicut si quis intelligeret *animam humanam materialem, materiam increatam...,* secus impossibilis esset falsitas.

IV. Magis inveniri potet falsitas, ubi imperfecte est veritas, quam ubi veritas est perfecte. Sed in compositione invenitur falsitas... — *R. D. M.* 1° Si ratio, cur in uno actu datur falsitas, posset valere etiam pro altero, *c.;* si non potest, *n.* — Vel melius 2° si ratio, cur datur falsitas, repetenda esset ex ratione facultatis cognoscitivae *ut sic,* quatenus essel indifferens ad veritatem et falsitatem, *c.;* si illa ratio repetenda est tantummodo *ex modo proprio et peculiari illius operationis, n.* — *Contrad. m.;* quia est facultas cognoscitiva *ut sic n.;* propter suum modum peculiarem cognoscendi, qui non adest in simplici apprehensione, *c.* — Et haec patent ex iis, quae in thesi exposuimus.

V. Non potest in iudicio haberi falsitas, nisi praecedat falsa apprehensio comparativa. Atqui haec habetur in simplici ap-

prehensione. — *R. D. M.:* apprehensio comparativa *materialis*, qua conferuntur simul subiectum et praedicatum, quin adhuc cognoscatur eorum convenientia vel disconvenientia, *c.: formalis*, qua hoc etiam cognoscitur, *n.* — *Contrad. m....* Verum est, quod ante iudicium habeatur apprehensio ista comparativa, sed ipsa in eo consistit, quod intellectus *per duos conceptus, separatos, sine ulla compositione*, simul comparet quasdam formas, quin adhuc videat earum convenientiam vel disconvenientiam, secus iam haberetur secunda operatio, uti vidimus (*Dial* n. 87) Ergo ibi nulla falsitas haberi potest. Sed, facta illa comparatione, intellectus potest videre convenientiam inter ea, quae non conveniunt, vel e converso, et consequenter componere, quae sunt dividenda vel e contrario. Ista cognitio autem convenientiae, vel disconvenientiae, quum sit ipsa compositio vel divisio, iam est secunda operatio. Ergo ibi tantum habetur falsitas.

121. **Quaestiunculae**. — I. *Veritas et falsitas adduntne aliquid supra actum cognitionis? — Resp.* — Veritas nihil addit supra eum, sed est ipse actus cognitionis, prout connotat obiectum ut est in se; sicut e contrario falsitas est ipse actus cognitionis, prout connotat obiectum, ut non est in se. Ratio ex dictis est omnino evidens (1). Quemadmodum enim de essentia imaginis est, quod repraesentet aliquid, quae repraesentatio nihil addit supra eius essentiam: ita nec in cognitione ea aliquid addit. Ide que si repraesentat rem uti est, habetur veritas, secus adest falsitas. Ergo veritas et falsitas est ipse actus cognitionis, ut ordinem dicens ad rem, prouti est in se vel non.

II. *Cognitio convenientiae inter subiectum et praedicatum, affirmatio ipsius, et assensus mentis sunt diversi actus, vel unus idemque actus? — Resp.* — Sunt unus idemque actus. Et sane. Cognoscere praedicatum convenire subiecto vel non, idem est ac dicere: praedicatum convenire, vel non, subiecto; sed haec est praecise affirmatio. Ergo. — Pariter assensus vel adhaesio est actus, quo intellectus assentit, praedicatum convenire subiecto; sed haec est praecise illa cognitio convenientiae, uti patet. Ergo.

Thesis XXII.

Quamvis causa proxima erroris quoad exercitium actus sit influxus voluntatis, eius tamen radix et causa ultima reponenda est in eo, quod intellectus cognoscat per abstractionem et compositionem, unde plures enascuntur abusus et causae deceptionis.

122. **De Origine falsitatis.** — Nunc gradiamur oportet ad inquirendum, *unde* huiusmodi error enascitur. Nimirum quum

(1) Cfr. Suarez, *Metaph.* D. 8, s. 2, n. 9.

veritas cognitionis causetur a rebus, unde habent res, quod falsam possint gignere cognitionem? Et dicimus, hoc accidere in intellectu nostro, qui, cum accipiat cognitionem a rebus, nequit pervenire ad cognitionem essentiae rei, nisi per abstractionem et compositionem. Inde contingere potest, ut aliquando componat simul quae abstraxit non ab eadem re sed a diversis rebus, et ea considerat ut pertinentia ad eandem rem. Praeterea cum plurimae essentiae rerum praesertim substantiarum non cognoscantur nisi mediantibus qualitatibus et effectibus earum, accidere potest, ut aliquando quaedam res aliquot (sed non omnes, cum hoc sit impossibile) praeseferat qualitates vel effectus sensibiles, similes qualitatibus alicuius rei, quae habet aliam essentiam. Et tunc intellectus potest duci in errorem, ut existimet in illa re inveniri essentiam, quae est propria alterius.

Suarez (1) rem clare exponit: « Originem huius falsitatis, quae in ipsarum rerum cognitione admiscetur absque auctoritate, *radicaliter* oriri ex eo, quod homo non concipit res per proprias earum species, et prout in se sunt; hoc autem ex eo provenit quod non immediate sed per species ministerio sensuum acceptas res concipit et apprehendit: nam hinc fit ut saepe ex imperfecta apprehensione sensus oriatur imperfecta apprehensio intellectus; et ex imperfecta apprehensione falsum iudicium: hoc enim modo interdum iudicamus aliquid esse animal, quod non est. Aliquando vero existente perfecta apprehensione in sensu et in intellectu, circa obiectum per se sensibile, potest in intellectu accidere falsitas ex inepta compositione conceptuum simplicium... idemque contingit ex mala illatione. Ac denique tota ratio huius defectus est, quia *homo non assequitur evidentem veritatis cognitionem;* nam omnis cognitio, quae huiusmodi non est, et ex rebus ipsis sumitur, de se est exposita falsitati. Quod autem actu sit falsa, quasi *contingenter* et *per accidens* provenit ex eo, quod res aliter se habet, quam iudicatur: per se enim nunquam hoc provenire potest ex intentione assentientis, quia non potest tendere in falsum, qua falsum est ».

123. **De influxu voluntatis ut causa proxima et immediata falsitatis** — Inferius demonstrabitur quinam influxus voluntatis in intellectum haberi queat. Hic tantum quaerimus quomodo ea influere queat ad inducendum intellectum in errorem. Et primo dicimus hunc influxum fuisse impossibilem, si non extaret ratio illa *abstractionis* ac *compositionis*, quam modo exposuimus.

In ea proinde reponenda est radix et ultima causa omnium errorum. Ex hac enim radice plures enascuntur

(1) *Metaph.* D. LX, sec. II, n. 10. Cfr. etiam P. Pesch, *log. crit.* n. 819.

causae, cur intellectus in errorem incidat componendo vel separando, quae componenda vel separanda non sunt; quum potius cum aliis perfectionibus componenda essent. Istae causae constituunt diversos illos *abusus*, unde homines saepe moventur ad iudicia proferenda, quae vera existiment, dum potius decipiuntur ex specie veri. In Scholio sequenti de eis sermo erit, tamquam de veris fontibus errorum. Interim sufficit ostendere has duas causas errorum, et qua ratione ex eis illi oriantur abusus.

124. **Prob. I p.** — Omnis actus rationis potest quoad sui exercitium imperari a voluntate. Atqui voluntas potest imperare intellectui ut assensum ponat alicui iudicio, in quo componat vel separet quae componenda vel separanda non sunt. Ergo. — Maior est certa, ut probabitur in psychologia.

Pr. m. — Quando intellectui proponitur aliquod enunciabile, aut ipse clare et evidenter videt compositionem aut separationem faciendam respondere rei ad quam refertur, aut non videt. Si primum, tunc iudicium erit necessario verum: uti directe probabitur in cap. IV, th. XL; aut non videt et tunc non potest de se iudicium proferre. Atqui tunc praecise intercedit influxus voluntatis moventis intellectum ad illud proferendum, quatenus voluntas appetit uti *bonum* illum actum et movet intellectum ad ipsum ponendum. Atqui rursus hoc in casu saepe nisi semper contingit, ut intellectus componat quae non sunt componenda, vel dividat in iudicio negativo, quae non sunt dividenda. Ergo...

Et hinc iam patet altera pars theseos.

Prob. II p. — Eatenus voluntas, hunc influxum exercendo, potest inducere in errorem, quia intellectus nequit perfectam rerum cognitionem sibi comparare nisi prius abstrahat conceptus universales eosque dein componat vel separet. Atqui hoc clare ostendit, quod ea dicenda est vera *radix* et causa remota omnis erroris ac falsitatis. Sicut enim voluntas non potest influere, ut oculus videat album, quando determinatur ab obiecto rubro, vel quis non sentiat dolorem, quando recipit vulnus, quia haec est natura harum facultatum, ita non posset influere ut intellectus apprehenderet rem

aliter ac in se est, nisi illa adesset ratio *abstractionis* et *compositionis*. Tunc enim accidere potest, ut intellectus, antequam videat, utrum perfectiones componendae in rebus compositae sint vel non, a voluntate moveatur ad iudicium promendum, quo componit vel separat perfectiones quae in rebus compositae vel separatae non sunt. Ideo ait Suarez (1): « quoad *exercitium* vero propria causa est voluntas ipsius hominis iudicantis »; sed *radix* reponenda est in hac ratione cognoscendi, propria intellectus humani.

Prob. III p. — Rationes vero proximae, cur intellectus non clare videt quae componenda vel dividenda sunt, et voluntas adducitur ad appetendum illum assensum, multiplices sunt, at omnes accidentales, sufficit quasdam praecipuas enumerare.

Praecipua ac fundamentalis est *imprudentia* ac nimia facilitas componendi simul perfectiones ob quamdam similitudinem, quam ipsae habent cum iis, quae revera in rebus compositae sunt. Huic altera accedit quae enascitur ex inclinationibus appetitus sensitivi in bonum materiale, qui proinde influit directe in voluntatem, ut moveat intellectum ad iudicium faciendum, quod proponat aliquid ut bonum appetendum, quin multum inquirat in eius veritatem, inde oritur, ut ait St. Mill., *indifferentia* pro veritate rite investiganda et acquirenda (1). Et ideo est quod maxima errorum pars respicit vitam moralem et practicam.

(1) *Metaphys.* D. IX, s. II.

(2) Vide quae in *Logique* L. V., chap. 1, a. 3, inter alia dicit: « Les sources d'erreur morales peuvent être rapporter à deux classes principales; l'*indifférence* pour l'acquisition de la vérité et les *inclinations*, dont la plus commune est celle qui nous fait aborder dans le sens de nos désirs, quoique nous soyons presque autant portés à accueillir indument una conclusion désagreable qu'une conclusion agreable, si elle est de nature à mettre en branle une passion forte. Les personnes d'un caractère craintif et timide sont les plus disposées à croire les choses les plus propres à les alarmer. C'est même une loi psychologique, deduisible des lois les plus générales de la constitution morale de l'homme, qu'une forte passion nous rend crédules à l'égard de l'existence et des objets capables de l'exciter.

Mais les causes morales des opinions, quoique les plus puissantes de toutes, chez la pluspart des hommes, ne sont que des causes *éloignées*: elles n'agissent pas directement, mais par l'*intermédiaire des causes intellectuelles*, avec lesquelles elles sont dans ce même rapport qu'en médicine les *causes dites prédisposantes* avec les *causes excitantes*.

Aliae adsunt rationes secundariae quae istis favent: *a*) Defectus in arte ratiocinandi, vel quia ignorantur regulae, vel quia non bene applicantur; unde faciliter deducuntur conclusiones ex praemissis nondum certo exploratis sed tantum apparenter veris: — *b*) Praeiudicia, quae extant in mente nostra, et assumuntur ut omnino certa, quae tamen essent rite examinanda, intelligenda et forte vel reiicienda vel determinato quodam sensu tantum admittenda: — *c*) Accedit desidies ac negligentia in examinandis rationibus, quae ostendere deberent veritatem alicuius iudicii: — *d*) Quandoque etiam contingit, urgere necessitatem ferendi iudicium, quin habeantur media ac tempus requisitum ad eius veritatem perpendendam; et tunc voluntas movet intellectum ad iudicium faciendum, quod ipsi apparet maius bonum, quin curet de eius veritate.

125. **Dices** I. Si iudicium falsum fit sub imperio voluntatis, habetur semper culpa. Atqui hoc dici nequit. Ergo. — *R. D. M.;* si fit cum plena advertentia, *c.;* si istã desit, *subd.;* habetur in ipso iudicio quando profertur *n.;* habetur magis vel minus in causa a qua movetur voluntas, *c.* Et tunc proinde haec culpa est imputabilis prout causa ipsa est culpabilis.

II. Quandoque iudicium falsum oritur tantum ex inadvertentia motivorum. Atqui tunc non intervenit voluntas. Ergo. — *R. D. M.;* tamquam ex causa remota *c.;* tamquam ex proxima et adaequata, *n.*... Quare in hoc casu sicut, in aliis nuper recensitis, intellectus nunquam proferret iudicium, nisi adesset influxus voluntatis. Ipsa enim tunc appetit ut bonum movere intellectum ad ferendum aliquod iudicium, quamvis illud non sit conforme rei, quia non determinatur ab ipsa re, ut habente in se coniunctas vel divisas perfectiones illas quas intellectus componit vel dividit.

126. **De Fontibus errorum.** — Praeter has causas plus minusve proximas, praestat alias remotas innuere, quae merito fontes errorum vocari possunt, et in tres dividi possunt iuxta tres iudiciorum classes intellectus nostri. Nostra enim iudicia oriuntur, uti videbimus, vel ex *analysi*, et ideo *a priori* efformari dicuntur; vel ex *experientia* aut *inductione* et *a posteriori* efformantur; vel *ex auctoritate* vel *testimonio historico*. Hinc prout quis male utitur istis tribus fontibus iudiciorum: ipsi evadunt fontes errorum seu *falsorum iudi-*

ciorum; et vocari possunt : 1) *abusus apriorismi;* — 2) *abusus imperfectae* seu *insufficientis experientiae phaenomenorum;* — 3) *abusus auctoritatis.*

Profecto postquam explicaverimus, qua ratione iudicia vera ex illis fontibus hauriri queant, simul patebit, quomodo falsa quoque iudicia hauriantur, peccando nempe contra regulas vel conditiones requisitas. Sufficit modo aliquid breviter de eis innuere (1). — 1) *Abusus apriorismi* habetur : *a*) maximus, quum quis omnem reiicit experientiam, et unice ex conceptuum analysi omnes veritates deducere vellet; ita incepit Cartesius, ac dein plures alii, ac idealistae omnes secuti sunt, et tunc omnia iudicia falsa evadunt, quum denegatur obiectivus eorum valor; — *b*) item adest, quamvis minor, quando quis agnoscendo quidem valorem experientiae pro iudiciis contingentibus, conatur omnia iudicia necessaria et universalia unice ex analysi deducere, despiciendo inductionem. In hoc peccant ii praesertim, qui suo ingenio nimis fidentes, faciliter proclamant uti certa multa principia et iudicia, unice innixi in levi quadam conceptuum analysi.

c) Oriri etiam potest ex argumentis innixis in *principio causae finalis*. Nam certum est omne ens agere propter finem, et huic fini aptari tum activitatem tum naturam eiusdem. At quum finis multiplex esse potest *proximus*, *remotus*, *ultimus*, rite attendendum est ad finem illum *proprium* ac *specificum* in quem primo et per se ordinatur aliquod ens, ut eius natura dignoscatur. Adeoque si quis unum finem cum alio confundit, faciliter decipitur et errat.

d) Oritur item ex argumentis, quae haud raro deduci solent ex principio *unitatis* ordinis quae est in mundo, unde quis conatur ad unitatem systematis reducere veritates quas tuetur. Sedulo enim inquirendum est, utrum haec unitas sit necessaria ac realis, vel tantum arbitraria et apparens : quia tunc illa eadem principia, quae ad hanc unitatem tuendam afferuntur, arbitraria dicenda sunt, quae proinde causa multarum controversiarum et errorum evadunt (2).

(1) Confer cl. P. Castelein, *Loquique* chap quatrieme, art. 2, 3, 4.

(2) « Celle tendence — a priori — (ait ad rem P. Castelein l. c. a. 2, p. 172) de vouloir réduire à une *unité absolue* tout l'ordre de nos connaissances

2) *Abusus insufficientis experientiae* : ipse habetur *a)* in *experientia rerum naturalium*, quum non omnia media adhibentur, quae requiruntur ad *elementum materiale* inductionis rite expendendum. Quare quum de inductione sermo erit, curabimus haec media, uti par est, exponere, et tunc facile patebit, quomodo ex defectu unius alteriusve istorum mediorum, potest quis in errores incidere assumendo ut causas phaenomenorum, res quasdam, quae revera tales non sunt : *b)* in experientia *actuum moralium* hominum : in eis enim quamvis certitudo tantum moralis haberi queat, ea tamen difficillima omnino se prodit, ratione libertatis hominum et circumstantiarum, quae in eam influunt. Unde saepissime in iudiciis ferendis circa eosdem vix probabilitas attingi potest. In hoc vitium plurimi incidunt historiae scriptores (2) : *c)* in experientia *factorum internorum*, seu in *testimonio conscientiae*, porro quoad existentiam quorumdam istorum testimonium conscientiae est prorsus certum et irrefragabile: e. g. quoad existentiam operationum distinctarum a subiecto operante: quoad existentiam actuum liberorum, quoad dependentiam cognitionis ab obiectis externis... etc.: quoad alia facta praesertim ordinis moralis, hoc testimonium saepe fallax est et illusionibus obnoxium, praesertim ob phantasiae perturbationem.

et «tout l'ordre des réalités a inspiré tous les systèmes du matérialisme ou du panthéisme idéaliste, que l'ont peut nommer monisme *matérialiste* et *monisme idéaliste*, quelle que soit la diversité de leurs formes. »

Et paulo post. « C'est d'un pareil procédé, qui est bien l'abus de l'« à priori », appliqué aux sciences historiques et sociales, que sont venues tant d'utopies, aussi perilleuses que fausses, telles que la « République » de Platon, où le communisme le plus radical se joint au despotisme d'état le plus étroit; la « Cité du soleil » de Campanella; le « Contrat social » de J.-J. Rousseau; la « Déclaration des droits de l'homme » ou la Constitution issue de la Révolution française, le « Phalanstère » de Fourrier, et cette multitude de programmes démagogiques que l'école communiste et socialiste ne cesse d'engendrer. »

(1) Ita, ut advertit P. Castelein, l. c., a. 3, p. 179, « un grand nombre des faits inexactement observés ont été invoqués pour reporter l'origine de l'homme à une antiquité, qui rompt complétement avec la chronologie traditionelle».

(2) « Est il étonnant que même les historiens sincères, donés de coup d'oeil et de bon sens, analysent mal les actes ou le caractère de personnages avec lesquelles ils n'ont pas vécu! Qu'il est difficile de juger un homme; rien que sur des souvenirs! Qu'il est difficile de le replacer dans la seule lumière de ses actes et de ses paroles en comblant les lacunes des documents au moyen de conjectures qui ressuscitent le passé! ».

Unde enascitur oppositus error multorum praesertim scepticorum et idealistarum, qui etiam de prioribus dubitant.

3) *Abusus auctoritatis* : — habetur quum quis fidit testimonio aliorum, quin perpendatur, utrum adsint in eis conditiones requisitae ad fidem gignendam, uti videbimus, quum sermo erit de testimonio historico. Et ideo nihil peculiare modo addendum manet.

127. **Coroll.** — Ergo ad vitandos errores curandum est praecipue attentionem in eo adhibere, *a*) ut recte inspiciatur subiectum, cum quo forma quaedam coniungenda vel separanda est; *b*) ut sedulo investigentur effectus, ex quibus essentiae deducendae sunt; *c*) ut rite intelligantur principia, ex quibus novae veritates eruuntur, fideliter observando regulas ratiocinandi; *d*) ac praesertim ut vitetur influxus appetitus sensitivi, a quo saepe voluntas movetur ad imperandum intellectui assensum imprudentem.

Quoad hos fontes modo recensitos, sufficit sedulo ad eos attendere, rite animadvertere vitia horum abusuum, eaque accurate arcere praesertim quum disputationes instituuntur. Quando autem controversiae occurrunt, ad eas adaequate solvendas, potissimum curandum est investigare, in quanam sententia unus vel alter horum abusuum irrepserit, ut eius falsitas detegatur.

Et procul dubio si semper huiusmodi vitarentur abusus, multae exularent controversiae inter philosophos, ac multi errores evanescerent.

128. **Doctrina Kantii circa causas errorum et controversiarum in Critica rationis purae.** — Quamvis Kantii doctrina non amplius nostra aetate eodem habeatur in honore ut antea, maxime quia eius discipuli, ulterius progressi, multa nisi omnia eius dogmata respuerunt, nihilominus quaedam saltem principia adhuc reperiuntur in doctrina discipulorum et praesertim idealistarum, qui ipsum, ut eorum parentem, merito praedicant et magna prosequuntur laude.

Iamvero ipse praecise incumbit, ut in originem et causam tot errorum et controversiarum inquirat. Et in Introductione ad alteram editionem sui operis «*Criticae rationis purae*». (a. 1787) quaerit : unde est, quod nulla via reperiri possit ad certitudinem in Metaphysica assequendam? estne forte impossibile? Iam enim prius adverterat (1) metaphysicam usque tunc per-

(1) Accipe quae ipse habet in Introductione ad primam edit. eiusdem. Ait enim «humanam rationem peculiari fato damnatam videri, ut in quodam genere cognitionum versetur, in quo velut obruitur quaestionibus, quas solvere nequit, quia eius superant captum. Tunc sese ad quaedam refugit principia, quae omnem transcendunt experientiam, atque adeo in tenebris et contradictionibus sese involvit. Campus huiusmodi controversiarum indesinenter inter sese pugnantium

mansisse velut campum pugnae, in quo bellantes suas exercerent vires, quin aliquis partem eius diu sibi usurpare valeret, et concluserat: nullum ergo dubium est, eius methodum hucusque prorsus incertam fuisse» (in blosses Herumtappen). Et in [illegible] p. 17, ita prosequitur 2, «hucusque supponebatur omnem nostram cognitionem oportere iuxta ipsa obiecta dirigi (i. e. ab ipsis dependere: at omnes conatus aliquid a priori de ipsis statuendi per conceptus, per quos nostra cognitio augeri potuisset, in illa hypothesi frustranei erant. Experimentum igitur faciamus, utrum forte melius in quaestionibus metaphysicis quis progredi possit, si alia assumatur hypothesis, nimirum quod obiecta dirigi debeant iuxta nostram cognitionem (i. e. ab ipsa dependere), quod melius accommodatur optatae possibilitati alicuius cognitionis eorundem *a priori*, quae nempe aliquid de obiectis determinare debet, antequam ipsa cognoscantur.

Si enim apprehensio (die Anschauung) iuxta qualitatem obiectorum dirigi debet, tunc non video quomodo possit de ipsis aliquid sciri a priori: si vero obiectum debet dirigi iuxta qualitates facultatis apprehensivae, tum possum faciliter hanc possibilitatem intelligere».

Hoc igitur modo, ait p. 19 (1), «methodum cognoscendi im-

Metaphysica audit. Ipsa adeo quamvis olim regina scientiarum, nunc despectui habetur, imo pleno iacet subiecta indifferentismo. Iste vero non est effectus alicuius levitatis sed maturi examinis intellectus nostrae aetatis, quae amplius non patitur diu in larva scientiae (Scheinwissen) retineri, sed potius super ipsam rationem redire conatur, ut ipsum factum propriae cognitionis rimetur, ac tribunal quoddam instituat, in quo eius recta seu certa principia rata atque explorata fiant; illis vero, quae nullo innituntur fundamento, non dogmatice et arbitrarie (nich durch Machtsprüche) sed ob rationes aeternas ac immutabiles, finis omnino imponatur. Hoc autem opus nil aliud est nisi *Crisis ipsius purae rationis*» (p. 5-7).

Et revera, prosequitur paulo post (p. 8) «munus philosophiae in eo est, ut illusionem (Blendwerk) quae ex falsa interpretatione ortum ducit, e medio tollat. Atque adeo praeiudicium, nimirum cognitionem nostram a rebus pendere, in tanto honore ac praedilectione habitum, in nihilum redigat. Et in suo opere conficiendo, ipse sibi blanditur, posse affirmare, nullam amplius futuram esse metaphysicam quaestionem, quae in eo solutionem non inveniat aut saltem non reperiat clavem ad veram solutionem praebendam».

(2) «Bisher nahm man an, alle unsere Erkenntniss müsse sich nach den Gegenständen richten: aber alle Versuche über sie *a priori* etwas durch Begriffe auszumachen, wodurch unsere Erkenntniss erweitert würde gingen unter dieser Voraussetzung zu nichte. Man versuche es daher einmal, ob wir nicht in den Aufgaben der Metaphysik damit besser fortkommen, dass wir annehmen, die Gegenstände müssen sich nach unserem Erkenntniss richten, welches so schon besser mit der verlangten Möglichkeit einer Erkenntniss derselben *a priori* zusammenstimmt, die über Gegenstände, ehe sie uns gegeben werden, etwas fest setzen soll».

(1) «. . . . . *dass wir nämlich von den Dingen nur das* a priori *erkennen, was wir selbst in sie legen*». Et deinde prosequitur: «Iste conatus commune votum complet, et securum verae scientiae progressum Metaphysicae promittit

mutandam censemus, i. e. quod nos de rebus hoc tantum a priori cognoscimus, quod nos ipsi in eisdem ponimus....

Si modo hypothesi statuta, cognitionem experimentalem omnem dirigi a rebus tamquam ab obiectis, prout sunt in se ipsis, inveniamus τὸ absolutum cogitari sine contradictione non posse; et ex adverso nova invecta hypothesi, quod res dirigantur a nostris conceptibus, statim appareat cessare omnis contradictio circa absolutum, consequens immediate fit, ratum esse et certum id, quod ut hypothesim tantum eramus amplexi. Quoad res suprasensibiles, denegato rationi speculativae omni progressu, remanet tamen adhuc videndum, num ratio in sua cognitione practica elementa invenire poterit, quibus notionem illam transcendentalem τοῦ absoluti definire queat, ac supergrediatur cuiuscumque possibilis experientiae limites. Atque adeo in tali modo procedendi, ratio speculativa huic progressui (Erweiterung) saltem locum aperuit, etiamsi ipsum vacuum relinquere debuisset; et ita liberi nos evadimus . imo potius ad hoc excitamur, ut illum, si possumus per eiusdem rationis practicae elementa, impleamus ».

Porro « in conatu mutandi metaphysicae methodum usque adhuc adhibitam, ex quo sequitur, totalem in ea revolutionem

pro prima eius parte, quae circa conceptus *a priori* versatur: quomodo nempe in experientia (i. e. in rebus, quas sensibus experimur) reperiantur obiecta, quae ipsis perfecte respondeant. Peracta enim hac immutatione in modo cogitandi, optime explicari potest possibilitas cognitionis a priori; et insuper leges, quae in ipsa natura a priori supponendae sunt, tamquam in fundamento obiectorum experientiae, argumentis, quae revera satisfaciunt, muniri possunt; quod utrumque impossibile erat in methodo hucusque usurpata. Sed ex hac procedendi ratione, facultatis nempe quae a priori cognoscit, sequitur consectarium, prorsus novum in prima parte Metaph., et *ut videtur* (dem Anscheine nach) valde nocivum integro eius fini, circa quem secunda pars versatur; videlicet cum tali facultate nos nunquam posse transcendere fines experientiae (i. e. cognitionem rerum, quas per sensus experimur), dum istud praecise est totum negotium essentiale huius scientiae. Sed in hoc potius est argumentum veritatis illius consectarii: facultatis nempe cognoscitivae a priori, quae in phaenomenis (Erscheinungen) tantummodo sistat, et res in se existentes et operantes ut nobis ignotas relinquit. Id enim, quod nos necessario impellit, ut fines *experientiae* et omnium phaenomenorum praetergrediamur, est Τὸ absolutum (das Umbedingte) quod ratio in rebus ipsis iure meritoque postulat pro omnibus conditionatis et quod seriem complet conditionum ».

« Dieser Versucht, (en eius verba), gelingt nach Wunsch, und verspricht der Metaphysik in ihrem ersten Theile, da sie sich nämlich mit Begriffen *a priori* beschäftigt, davon die correspondirenden Gegenstände in der Erfahrung jenen angemessen gegeben werden können, den sicheren Gang einer Wissenschaft..... Aber es ergibt sich aus dieser Deduction unseres Vermögens *a priori* zu erkennen im ersten Theile der Metaphysik ein befremdliches und dem ganzen Zwecke derselben, der den zweiten Theil beschaftigt, dem Anscheine nach sehr nachtheiliges Resultat, nämlich dass wir mit ihm nie über die Grenze möglicher Erfahrung hinauskommen können, welches doch gerade die wesentlichste Angelegenheit dieser Wissenschaft ist ».

esse perficiendam, consistit negotium Criticae purae rationis speculativae (1).

Iamvero quantum perniciosa fuerit haec revolutio ab eo peracta, vel ex eo patet quod discipuli ex eadem revolutione conclusiones intulerunt, quae omnem perimerunt Metaphysicam, et ad purum devenerunt idealismum nisi etiam plenum scepticismum, quem utrumque ipse superare blandiebatur, hanc adhibendo revolutionem. Hinc iam eruere liceret hunc conatum fuisse inanem et reiiciendum, ob pravos effectus, oppositos ipsi fini, ob quem adhibitus est. Sed praestat modo directe eius methodum examinare, et eius vitia in luce ponere.

Thesis XXIII.

Critica rationis, ut a Kant instituitur; a) ***errat in suo initio ac fundamento:*** b) ***falsa imo absurda procedit methodo;*** c) ***contradictionem involvit;*** d) ***et in finem prorsus oppositum illi, quem sibi praestituerat, necessario devenit.***

129. **Nota**. — Et primo advertimus, Kant in eo peccasse, quod naturam iudiciorum scrutandam curavit, posthabita quaestione de obiectivo valore simplicium conceptuum. Etenim verum est, Kant plurima dixisse de ipsa idearum natura; sed tam obscure, sicut recte notat P. Pesch (2), ut perpetuae sint de eius mente inter viros doctissimos controversiae; ita de re, quae est in doctrina kantiana caput, magnopere inter se rixati sunt Trendelenburg (3) et Kuno Fischer (4). Quare si Kant totum negotium suae criticae rat. purae, potius quam reponere in asserenda existentia quarundam formarum, quas categorias appellavit, ex quibus fluerent iudicia synthetica a priori, in profunda inquisitione simplicium conceptuum reposuisset, rem probe evincere potuisset et eorundem obiectivum valorem vindicasset, uti

(1) « In jenem Versuche, das bisherige Verfahren der Metaphysik umzuändern, und dadurch, dass wir nach dem Beispiele der Geometer und Naturforscher eine gänzliche Revolution mit derselben vornehmen, besteht nun das Geschäft dieser Kritik der reinen speculativen Vernunft », p. 21.

(2) L. c. n. 679, nota.

(3) *Log. Unters*, I, p. 164 et opusc. hoc loco citato.

(4) *Gesch. der neurn. Philos.* III, Praef. p. IV, et opusc. *Anti-Trendelenburg*. Iena 1870.

in capite sequenti videbimus (1). In hoc igitur videtur adesse primum eius peccatum. Et sane.

130. **Prob. I p.** — Kant tribunal vult instituere ad naturam ipsius cognitionis investigandam, ut perspiciat, quomodo exoriantur principia quaedam, praesertim ea quae ipse *a priori* vocat. Et prorsus negligit inquirere ipsam rationem simplicium conceptuum, quam alto premit silentio. Atqui qui talem instituit criticam, in ipso suo initio ac fundamento errat. Ergo.

Pr. m. — Iudicia enim sunt compositum quoddam, ex simplicibus conceptibus efflorescens. Atqui nemo potest naturam cuiusdam compositi rimari, nisi prius partes, quibus constat, exploratas habeat. Et hoc eo vel magis, si natura totius compositi primo et per se inveniri deberet in partibus, et tota pendet a natura partium. Atqui rursus cognitio et ideo veritas primo et per se est in simplici apprehensione, quamvis potius materialiter et modo imperfectissimo; et veritas iudiciorum tota pendet a veritate simplicium conceptuum. Ergo qui naturam cognitionis ita investigandam curat, ut, posthabita prorsus inquisitione in naturam simplicium conceptuum, rationem ac originem dumtaxat iudiciorum perquirat, in ipso criticae initio ac fundamento errat.

Verum quidem est, nos ut plurimum prius cognoscere totum quoddam compositum, ac deinde eius partes; et ideireo prius apprehendimus existentiam iudiciorum eorumque veritatem, et postea existentiam ac veritatem simplicium conceptuum. Sed si volumus intimam rationem illius compositi investigare, prius oportet naturam componentium et ideo

(1) Accipe ab Ausonio Franchi (ultima critica, v. I, p. 438) claram expositionem doctrinae Kantii circa naturam conceptuum, qui nempe ab eo explicantur uti effectus iudiciorum. « Nei concetti, non altrimenti che nelle intuizioni, si trova l'elemento puro o *a priori*, facendo astrazione dalla loro materia, e considerando solo la sintesi che li forma. Ora questa sintesi è il *giudizio;* onde per conoscere tutte le forme pure dell'intelletto basterà determinare tutte le specie de' giudizi, cioè fermare, astraendo da ogni loro contenuto o materia, i vari modi con cui l'intelletto unisce i concetti, ossia le norme con cui l'intelletto procede nel giudicare. Esse sono le forme radicali *a priori* del giudizio, sotto le quali si riducono tutte le specie di giudizi possibili. E ciascuna specie di giudizio corrisponde ad uno dei concetti supremi e primitivi, che si chiamano *categorie*, dunque tante sono le categorie dell'intelletto, quante le forme pure del giudizio ».

simplicium conceptuum inquirere, et deinde naturam compositi et consequenter iudiciorum aperire.

Quia in ordine ontologico prius sunt partes componentes ac dein totum compositum, et compositum ideo est tale, quia componentia talia sunt, at non vicissim; ac proinde ideo iudicia repraesentant res, quia simplices conceptus eas repraesentant, et non vicissim (1).

Tandem Kant asserit, intellectum vi quarundam formarum simul componere intuitiones sensitivas in unam synthesim, ex qua efflorescunt conceptus; hinc adstruit in nobis existentiam iudiciorum syntheticorum a priori, quorum *mysteriosam* originem inquirere, ait, praecipuum esse munus criticae. Atqui istae formae, quae ab eo gratuite asseruntur, non existunt. Ergo a falso incipit fundamento. — *Prob. m.* Omnia iudicia constituuntur ex simplicibus conceptibus ab ipsis rebus haustis, quae proinde obiectivo gaudent valore. Atqui ad haec iudicia efformanda minime requiruntur illae formae a Kant invectae, ipsae autem si existerent, nunquam valerent ad efformanda iudicia rebus respondentia. Ergo.

Quare hinc iterum colligitur, conceptus ab eo explicari ut effectus horum iudiciorum, quin determinetur, unde illae formae in nobis enascantur, et quomodo inservire valeant ad haec iudicia efficienda.

131. **Dices.** I Qui inquirit naturam iudiciorum, implicite etiam naturam simplicium conceptuum scrutatur. Ergo... – R. D. A.;

(1) Etiam Ausonio Franchi, cum *adhuc Kantii discipulum sese profiteretur*, idem profert iudicium in opere « *La teoria del giudizio* » lettera 2ª, p. 95: « Ed ecco per mio avviso, la ragione e la cagione dell'insufficienza ed inesattezza della teoria di Kant. Egli non risalì all'origine dei concetti, ma li suppose già dati e formati. Il problema ch'egli tolse a risolvere si è: — Dato un subietto A (per es. corpo), in virtù di qual relazione gli si attribuisce il predicato B (esteso) e il predicato C (pesante)? — E rispose che al subietto A gli si attribuisce il predicato B per una relazione analitica, e il predicato C per una relazione sintetica. Ma il problema suppone evidentemente già dati i concetti A, B, C (del subietto corpo, e dei predicati esteso, pesante); giacchè per chi non avesse quei concetti ancora, l'enunciazione stessa del problema sarebbe impossibile. Quindi la teoria di Kant concerne solo e sempre la relazione di concetti già esistenti e non mai la formazione o produzione di concetti nuovi; e però prima e sopra del problema Kantiano: — In che relazione stanno fra di loro i tali e tali altri concetti? v'è il problema nostro: — In che modo ognuno di quei concetti si è formato? — E questo non venne preso da Kant in esame nella sua teoria del giudizio ».

si ita inquirat, ut in eis spectet istos conceptus in se, et eorum naturam ut talium investiget *c.;* si tantum spectat haec iudicia, ut aliquid, quod primo in cognitione habetur, ex quibus conceptus sequerentur, *n.* — Nam conceptus, qui iudicia consequuntur, compositi sunt, ex quibus iterum nova iudicia efformari queunt. Sed primum iudicium, quod a nobis fit, supponit conceptus simplices, qui proinde omne iudicium praecedant oportet. Eorum igitur existentia ac natura explicanda est antecedenter et independenter ab existentia iudiciorum.

II. Nos prius cognoscimus iudicia respondere rebus, et deinde simplices conceptus. Ergo — *R. D. A.;* per ipsum sensum communem seu logicam naturalem, *c.;* per illam inquisitionem, qua conamur intimam rationem istius facti perspicere, *subd.;* in quantum tamen videmus ontologicam rationem in eo esse, quod simplices conceptus obiectivi sunt, *c.;* independenter ab hac ratione, *n.* — Iam diximus veritatem dependentiae cognitionis nostrae a rebus esse tam evidentem, ut demonstratione non indigeat. Cum vero cognitio nostra per iudicia perfecte expleatur, sequitur, nos statim advertere ac certos esse, iudicia nostra a rebus pendere, quin eorum analysim faciamus, ac simplices conceptus singillatim perspiciamus. At si intimam huius veritatis rationem perfectam habere contendimus, tunc dicendum, quod ideo iudicia a rebus pendent, quia simplices conceptus, quibus ipsa constant, a rebus pendent. Quare *in ordine ontologico*, prius sunt conceptus, qui a rebus pendent, ac dein et ratione istorum habentur iudicia obiectiva. Quamvis in *ordine logico* seu nostri modi cognoscendi, nos prius, per ipsum communem sensum, deprehendamus iudicia esse obiectiva, quam simplices conceptus. Et in illa critica inquisitione in logica artificiali peragenda, prius curandum est, ut in tuto ponatur factum obiectivitatis conceptuum ac deinde iudiciorum.

III. Kant instituit examen ipsius cognitionis. Sed cognitio utrumque amplectitur. Ergo... — *R. D. M.:...* pure et simpliciter prout per iudicia absolvitur, *c.;* etiam prout per simplicem apprehensionem inchoatur, *n.* — *C. m.* — et distinctio iam explicata est.

132. **Prob. II p.** — Kant ita procedit: supponamus cognitionem nostram non pendere a rebus, sed potius res ab ipsa pendere, ac videamus, utrum ita contradictiones, quae in Metaphysica extant, vitemus, et aliquid certi in ea tueri possimus. Atqui haec methodus est prorsus falsa, imo absurda. Ergo. — *Pr. m.* — Tum licet hac methodo procedere, quum, quod falsum supponitur, non est tam certum sicut illud, ad quod solvendum assumitur. Si vero illud est iam in se prorsus indubium ac certissimum, ac maiori prorsus certitudine gaudet, ac illud aliud, quod quis ut verum

ac certum contendit demonstrare; tunc nemini integrum est, primum in dubium vocare, ut alterum tamquam certum amplectatur. Atqui veritas ista: cognitio nostra pendet a rebus, a quibus hauritur, non est *illusio* aut *praeiudicium*, ut perperam Kant comminiscitur, sed rata prorsus ac certissima, ut in th. II ostendimus, imo fundamentum totius certitudinis et omnium scientiarum necnon ipsius vitae individualis ac socialis. Problemata vero Metaph. ac veritates in ea defendendae, saltem ut minimum dicam) non eadem certitudine gaudent, ac illa nec eadem necessitate. Ergo eius methodus falsa est; imo absurda; nam quamplurimis scatet erroribus. Hoc enim pacto non incerta ex certis deducimus, sed certa per incerta pessumdamus; non veritates metaphysicae statuuntur, sed omnia in incertum nutant; non finis ponitur *pugnae illi* in campo metaphysicae, cum quodam eiusdem triumpho, ac plena et pacifica eiusdem campi possessione, sed ipse campus ex imo destruitur; non ponitur in suo solio *reginae*, olim forte despotica, et nunc vere scientifica ac rationabili veste ornata, sed ipsum solium in nihilum redigitur. Atque adeo si Kantii tempore metaphysica a quibusdam despecta fuit, post eum eiusque asseclas, imo praecise vi principiorum eius, prorsus oblivioni ac derisui data fuit, ut ipsa experientia, de qua idem Kant doluit, plane docet. Alii errores patebunt in prob. III et IV partis.

133. **Dices:** I. Illa verba, quae Kant in introductione ad alteram edit. posuit, non ostendunt eius methodum, sed potius conclusionem eiusdem. Ergo frustra ex illis ostenditur eius methodum esse falsam. — *R. C. A. et N. C.* Non facienda est vis in verbis, sed res ipsa spectanda est. Sive enim dicatur sententia illa spectare methodum, sive fructum seu terminum eius, res in idem redit. Et hic enim valet: ex fructibus eorum cognoscetis eos. Methodus enim critica, quae ad absurdam ducit conclusionem, et ipsa absurda dicenda est: nam falsum nonnisi ex falso sequi potest.

II. Kantii methodus haec fuit, ut nihil admitteret, quod certum non esset, nec ullum opinionibus locum daret. Atqui haec est vera scientifica methodus. Ergo. — *R. D. M.*:... ita ut opinionem vocaverit id, quod de se certissimum est ante omnem quoque demonstrationem, *c.*: ita ut solas reiecerit opiniones, *n.* — *Contrad. m.* Kant revera si non explicite saltem implicite et velut in actu exercito in illud peccatum incidisse videtur, quod iam antea

explosimus (v. n. 19, III) i. e. nil esse admittendum quod non demonstretur; et ideo ut meram hypothesim retinuit veritatem obiectivae realitatis cognitionis nostrae. Atqui, uti vidimus, haec est certissima veritas. Ergo (1).

134. **Prob III p.** — In contradictionem necessario incidat oportet, qui aliquid certi ac scientifice statuendum conatur, et simul quaedam saltem principia, quae prorsus rata ac certissima sunt, in dubium vertit, praesertim si eadem fundamentalia dicenda sunt. Quia, eodem plane iure de omnibus dubitare deberet, et tunc iam nulla inquisitio esset amplius possibilis. Atqui Kant saltem de una certissima ac fundamentali veritate dubium admisit. Ergo. - Praeterea Kant tribunal erexit, ut ad examen vocaret principia omnia rationis, ac eorundem certitudinem scrutaretur, et ea, quae revera certa sunt, in tuto poneret, sartaque haberet, cetera vero reiiceret. Sed iudex in hoc tribunali est facultas quaedam nempe ratio, quae, ut idem ipse autumat, illusione naturali ac necessaria tot in rebus, et quidem communissimis et maximae necessitatis, nos decipit. Atqui hoc tribunal necessario contradictionem involvit: iste iudex enim etiam quando tunc sententias fert, nos decipere potest; quis igitur ei fidere valet? quis eius sententias tamquam veras amplecti? Tota methodus ergo contradictoria est.

Dices: Si ita est, omnis logica critica contradictionem includit. Atqui falsum consequens. Ergo et anteced. — R. D. M.: Si logica critica eo modo procedit ac crisis Kantii, *c.*; si alio modo procedit, *n.* - *Contrad. m.* Ad rem P. Palmieri (2): « duplici modo potest examen institui. 1° Supposita cognitionis possibilitate, et supposito quod aliquid, dum mens agit, reapse cognoscat, inquirendo principia unde est cognitio, et modum, quo exorditur in nobis, per quandam reflexionem super actus nostros: 2° non facta ea suppositione, sed initio ducto a dubio, inquirendo, quomodo sit possibilis cognitio et quomodo oriatur in nobis, si possibilis

(1) Kant quaedam revera admittit principia: ut e. g. principium contradictionis. At ea sunt, quae sola ipse analytica vocat, quaeque cognitionem nostram non augent, et reduci quodammodo possent ad simplicem apprehensionem paulo perfectiorem.

(2) *Logica critica*, c. I, th. VIII, p. 148.

est »; praesertim si supponitur tamquam illusio, cognitionem nostram res exhibere. Atqui prima methodus bona est, et ea, qua in omni logica critica recte instituta, proceditur; altera vero, quam Kant secutus est, ea est, quae contradictionem involvit. Ergo.

135. **Prob. IV p.** — Scopus, quem Kant sibi proposuit in sua crisi peragenda, est finem facere tot controversiis in metaphysica existentibus, eique facilem ac securum praebere progressum, ut iam aliae scientiae ipsum assecutae fuerant. « Mihi adulor, ipse dixit, viam invenisse ad omnes removendos errores; nulla est quaestio metaphysica, quae ibi solutionem non inveniet, aut clavem saltem ad habendam solutionem ». Atqui hunc finem Kant nullo modo assecutus est, imo potius oppositum. Et revera ipse eo devenit, ut asserat, nullum absolutum seu noumenon (i. e. nullam substantiam) rerum nos cognoscere posse, sed earum tantum phaenomena (i. e. accidentia). Et si sermo sit de rebus transcendentalibus (i. e. supersensibilibus), nihil prorsus asserere valemus, nisi forte ad rationem practicam recurramus, quae velut practice imperet, eorum existentiam esse admittendam. Atqui haec omnia metaphysicam penitus destruunt, quippe quae tota circa absoluta seu noumena ac transcendentalia versetur. Ergo.

136. **Dices:** I. Kant sibi proposuit finem imponere metaphysicae quaestionibus. Atqui hoc ipse revera assecutus est. Ergo. — *R. D. M.;*... ita ut ipsam ad perfectionem ac verum progressum perduceret, *c* ; ita ut ipsam penitus perimeret, *n*. — *Contrad. m.* Verum est Kant finem dedisse metaphysicae controversiis, at eodem modo, ac medicus qui finem imponit morbis aegrotantis, eum interimendo. Nulla amplius quaestio, iuxta Kantii principia, in metaphysica extare potest, quia ipsa existere nequit, nullum amplius habet valorem; atque ita ingens in ea factum est chaos. Atqui certe iste non videtur fuisse finis, quem ipse prosequi contendebat, cum idem Kant iam suo tempore de istis consectariis doluerit. Ergo.

II. Finis criticae est *pax aeterna*, ut ipse ait (p. 500); *est auferre scientiam, ut fidei det locum* (1) (das Wissen aufheben, um

(1) Adverte tamen, fidem a Kant non eodem modo ac a nobis intelligi. Fides eius enim est in voluntate seu in τῷ ego categorico, quod imperat intellectui, ut aliquid admittat, quod ipse non videt. Sed ad rem quod attinet, de

zum Glauben Platz zu bekommen) (p. 25 : est ut ipsae radices abscindantur erroribus materialismi, fatalismi, atheismi, incredulitatis, mysticismi, superstitionis, tandem etiam idealismi et scepticismi (p. 27). Atqui haec omnia Kant assecutus esse videtur, ut ipse idem sibi blanditur. Ergo. — *Resp. ad* 1um. — Pax aeterna ac perfecta in hac vita impossibilis est etiam in scientificis inquisitionibus, ut satis apparet ex iis, quae exposuimus. Quare qui eam obtinendam pertendit, rem impossibilem molitur, ac nimium arrogantiae redolere videtur. Kant vero eam non solum assecutus non est, ut ipsi Kantiani clari sunt testes, qui eius principia sectantes, adhuc inter sese pugnant, et quandoque etiam secumetipsis, ut exemplum habes in Ausonio Franchi; sed eam prorsus inter philosophos eradicavit, quum eius sectatores fere in nullo conveniant, nisi in destruenda veritate, ita ut revera sint *quot capita, tot sententiae*. — ad 2um. — Ipse finis in se absurdus est, uti patet tum ex iis, quae in *Introd.* n. 9 innuimus, tum praesertim ex iis, quae in theol. rev. de Fide traduntur et ex propos. 8 syllabi damnata. Quare fatendum est Kant, qui tam gloriose assecutionem huius finis sibi promittit, revera damnum ingens ipsi fidei fecisse. Quoad suam fidem vero, qua ipse vult in ratione practica elementa invenire; quibus ea admittat, quae ratio pura reiicit, ea nullum habet valorem, quippe quae omni prorsus fundamento destituta est. Et etiamsi quidam ex suis discipulis hoc eius inventum magni faciant, alii vero magis consequenter illud reiiciunt. Ergo ipse non solum scientiam sed ipsam quoque fidem e medio abstulit; quin dicam eius etiam fidem prorsus absurdam esse. — Ad 3um. Nimium esset omnia singillatim persequi. Hoc tantum fidenter asserimus, ipsum e contrario finem prorsus oppositum adeptum fuisse. Et, si in ultima parte tantum sistimus; quis est qui nomen *Kantiani* synonimon idealistae ac sceptici non habeat? Asserit Kant se scepticismum Humii refutandum curavisse; at sua ipsa aetate omnes sentiebant eum multa ab eodem Humio mutuasse, nec ab eius consectariis liberum manere. Ita ut ipse in altera edit., quaedam immutaverit, ut a se hanc calumniam arceret, sed ad hoc necesse fuisset, totam suam crisim a fundamentis instaurare (1).

ipsa valet in praesenti id quod dicitur de nostra, quae est assensus mentis propter auctoritatem loquentis.

(1) Ad rem Ausonio Franchi (*Ult. crit.* vol. I, p. 445): « Così il criticismo Kantiano riesce a un costrutto che è il rovescio del suo primo assunto. Egli doveva essere una teoria trascendentale della cognizione cioè stabilire *a priori* con rigore apodittico le condizioni della possibilità del sapere umano, per dargli una base tanto salda e inconcussa da non avere più a temere nè dogmatismo nè scetticismo. E le ha stabilite in modo, che tutta la cognizione sensitiva consiste in intuizioni soggettive, tutta la intellettuale in concetti non meno soggettivi e tutta la razionale in idee più che mai soggettive, cioè nè senso nè intelletto nè ragione non valgono a farci conoscere *in realtà* nessuna cosa; e perciò la condizione universale e necessaria di tutta quanta la nostra cognizione si è di non potere veramente e propriamente conoscere nulla ».

137. **Praeiudicium quoddam dissolvitur**. — Est praeiudicium contra thesim: si enim ipsa vera esset, explicandum foret, cur doctrina Kantii tanti aestimata fuerit, ita ut magna philosophorum pars eam secuta sit. — *Resp.* — 1° *adducere inconveniens non est solvere argumentum.* Si enim argumenta, ad thesim demonstrandam allata, vera sunt, omnibus etiam extantibus praeiudiciis, ipsa vera manet. Praeiudicia enim veritates firmiter probatas non evertunt.

At dico 2° multas esse rationes, quae hoc factum explicant. Praecipuae istae esse videntur. *a*) Et primo ipsum Kantii ingenium, quod ei denegari nequit, quo ipse faciliter magnam sibi arripuit auctoritatem, cui saepe et philosophi cedunt.

Praecipue *b*) ratio repetenda est ex philosophiae statu Kantii aetate. Hume animadvertens, multas ac iuges extare controversias inter philosophos in quamplurimis veritatibus, eam praesertim, quae inter Leibnitz et Klarck circa naturam spatii ac temporis sua aetate celebris evasit, deduxit nihil certum admitti posse, atque adeo ad scepticismum sese confugit. Locke etiam peculiarem inquisitionem in ipsam cognoscendi facultatem peragendam curavit, et viam sensismo ac materialismo aperuit. Iis omnibus additur despectus, in quo apud fere omnes scholastica habebatur, post impetus in eam factos a Bacone et Cartesio, quibus accedunt falsa principia ab eis inter philosophos disseminata, quae hos tantum producebant fructus, ut ipsi semper magis a veritate recederent, ac nova dubia et controversias in medium proferrent (1).

c) At tertia et non infima ea esse videtur, quia eius doctrina viam aperit plenam omni effrenae libertati, imo in systema erigit tam plenam ac interminatam libertatem, ut nil maius ullo modo cogitari possit. Hoc ipse Kant adverterat et remedium conatus est apponere in Critica rationis practicae, at quam leve et illogicum hoc remedium fuerit, vel ex eo patet, quod ipsi eius asseclae, saltem quamplurimi e. g. Schopenhauer inter principes, eam pro nihilo habuerint. Et ideo rationalistae omnes, *liberi cogitantes, protestantes* et huiusmodi eius principia sectati sunt, ad suos errres tuendos.

138. **Conclusio.** — Ergo necesse non est ad conclusiones a Kant statutas devenire, ut originem errorum dignoscamus, eosque vitemus. Errores et controversiae utique sunt et erunt, et ratio ex eo repetenda est, quod antea retulimus; ad eos vitandos multa adsunt media, ut in decursu tractationis videbimus.

Concludamus igitur oportet, experimentum ab eo pro-

(1) V. P. P. Schaaf, fol. litogr. *Conspectus Sistematis Criticae* Rat. purae.

positum penitus defecisse, et non modo finem cui dirigebatur consequi non valuit, verum potius in oppositum incidit, omnemque scientiam ac certitudinem funditus evertit.

Quare pleno iure contra eum ita ad hominem licet argumentari. « Experimentum faciamus, ipse ait, utrum forte melius in quaestionibus metaphysicis procedi possit, si alia assumatur hypothesis, nimirum, quod obiecta dirigi debeant iuxta nostram cognitionem seu ab ea pendere, ut melius eorum cognitionem *a priori* nobis comparare valeamus ». Atqui nunc addimus, hoc peracto experimento deprehendimus, quod nos nullam obiectorum realium cognitionem per illam hypothesim nobis comparare valemus, imo potius devenimus ad denegationem omnium obiectorum. Ergo hypothesis illa penitus reiicienda est et iterum redeundum ad principium oppositum ab omnibus prorsus certum agnitum, nempe *cognitionem nostram a rebus pendere*.

Si Kant urget, non posse intelligere, quomodo cognitio, quae a rebus pendeat, sibi principia *a priori* efformare queat, responsionem inveniet in capite sequenti. Hic media vera ac certa recensentur, quae ad veritatem acquirendam ac errores vitandos nobis praesto sunt; et modus etiam explicatur, quo principia certa *a priori* statuere valeamus in nostra cognitione a rebus dependente.

CAPUT III.

De Mediis ad assequendam veritatem.

139. **Ordo rerum.** — Certitudo igitur non modo possibilis est, sed procul dubio quoad multas veritates existit apud homines. Existunt quidem etiam errores ac falsitates, at eorundem origine detecta, haud difficile est eos devitare, quin ullo modo recurratur ad Criticam rationis puram a Kant adinventam, dummodo apta adhibeantur media, quae nos ad veritatem sine errore comparandam perducunt. Imo plurimi, quum huiusmodi media vel penitus neglexerint, vel non rite scrutati fuerint, desperarunt posse certitudinem consequi. Clare igitur patet, quanti momenti sit haec media adaequate investigare, ut veritatem cum certitudine assequamur.

Profecto quamplurima media seu fontes veritatis in ipsa hominis natura ac facultatibus sapientissimus rerum auctor constituit, ut sufficientem cognitionum supellectilem homo sibi comparare possit, quae ad sui perfectionem suique finis consecutionem eum ducant. Ipsa tamen iuxta triplicem certitudinem antea expositam ad haec tria revocari possunt: ad *experientiam*, *analysim*, *auctoritatem*. — 1° Si de veritatibus contingentibus agitur, medium ed eas percipiendas est *experientia;* hae pertinent ad certitudinem *physicam*: — 2° si de veritatibus *a priori* ac necessariis, medium est *analysis*, quae certitudinem *metaphysicam* gignit: — 3° si autem de veritatibus item necessariis sed *a posteriori* nobis cognitis, medium est *inductio* quae ex experientia et analysi simul conflatur: — 4° si tandem de veritatibus, quas non ipsi facultatibus nostris usurpavimus, sed ex aliis, qui eas testantur cognitas habemus, medium est *auctoritas*, *quae ad certitudinem moralem reducuntar* (1).

Totum igitur praesens caput in quatuor dispescitur articulos.

(1) Praeter istam alia datur certitudo moralis quae in adimpletione legis moralis consistit, de qua in praesenti non loquimur.

ARTICULUS I.

De Experientia.

140. **Experientiae** nomine ille modus cognoscendi venit, quo rem aliquam seu obiectum nobis praesens ipsi immediate percipimus. Huiusmodi cognitio experimentalis per se sensilis est, saltem quoad elementum materiale, quum per facultates sensitivas comparatur, et ideo materialiter inspecta in brutis etiam animantibus reperitur. Plene tamen et formaliter inspecta includit cognitionem etiam intellectivam, quae sensitivam immediate consequitur, uti semper accidit in homine. Quare modo spectamus primo elementum eius materiale, prout nempe, sive *per sensus externos* sive *per sensum internum*, rerum cognitionem nobis suppeditat. Deinde facile patebit, quomodo intellectus ex ea iudicium aliquod obiectivum eruit.

Quare de istis duobus cognitionis fontibus nobis loquendum erit; sed quum ea, quae de sensu interno seu communi disseruntur, eadem ratione et de conscientia intellectiva dici valent, etiam de ipsa sermo nobis erit.

Thesis XXIV.

Sensus tum singuli in percipiendis obiectis propriis, tum plures simul in percipiendis communibus, si rite sint dispositi, neque sit defectus in medio, et obiectum sit rite applicatum, falli nequeunt.

141. **Declaratur.** — Facultates illae, per quas cognitionem nobis comparamus, quam *experientiam* appellamus, *sensus* nuncupantur.

Iamvero quod experientia sit quidam fons veritatis acquirendae, nemo est qui inficiatur. Omnes enim faciliter agnoscunt, dari in nobis facultates sensitivas, quibus aliquid percipimus. Difficultas pro idealistis in eo tantum versatur, quod non valeant admittere aliquod obiectum extra subiectum sentiens, aut saltem non eo modo, quo sensus referunt. Hoc punctum proinde nunc explanandum erit.

Primo igitur de *sensibus externis* hoc contendimus; ut in aperto ponantur tum eorum veracitas, praesertim circa proprium obiectum, tum conditiones requisitae ad hoc, ut veram rerum cognitionem nobis exhibeant, ita ut clare pateat, quomodo rerum perfectiones extra cognoscens revera existant, et quaenam inter eas relatio habeatur, atque ita, quum intellectus de rebus iudicat componendo et dividendo, possumus certo scire, utrum ipse recte componat, quae in rebus composita et identica sunt, ac seiungat, quae in rebus separata inveniuntur. Sed animadverte, quod ad nostrum scopum obtinendum, nihil prorsus interest ostendere, qua ratione sensuum operationes efficiantur, uti iam saepe notavimus; sed satis est, ut declaretur, quomodo eorundem operationibus expressum seu repraesentatum in nobis exhibeatur id, quod in rerum natura existit.

142. **Obiectum proprium et commune sensuum.** — Iuvat in antecessum de hoc obiecto aliquid delibare. — Omnis sensatio experientia quaedam est obiecti praesentis, vel eius perceptio. Hoc autem obiectum, quod est semper aliquod corporeum, non percipitur a sensibus quoad omnia, sed tantummodo quoad proprietates et vires illas corporum, quae eos afficiunt, eorumque sensationem constituunt, quae ideo sensibiles corporum qualitates recte dicuntur. Imo de iisdem istis qualitatibus sensus nobis non referunt, nisi singularem et concretam earum existentiam, prout est haec qualitas ab alia distincta, quin percipiant earum intimam naturam ac intrinseca constitutiva; quod ad intellectum pertinet, qui *intus legit*. Obiectum igitur proprium cuiusque sensus est *sensibilis qualitas singularis et concreta, quae unumquemque sensum per se primario afficit.*

Sed una cum obiecto proprio, et ratione ipsius, alias quoque corporum qualitates sensus referunt, quae praesertim quantitatem consequuntur. « Sensibilia communia omnia reducuntur ad quantitatem » ait S. Th. (1), uti ex. gr. *figura*, *magnitudo*, *motus*, etc., et ideirco obiectum commune vel sensibile commune appellari solet. Ergo obiectum commune est « qualitas quae a sensibus percipitur secundario et ratione obiecti primarii ». Ideo potest a pluribus sensibus percipi, unde commune appellatur.

Utrumque autem obiectum percipi nequit, ita ut perceptio ei revera respondeat, nisi sensus sint rite dispositi, neque sit defectus in medio quod intercedit inter ipsum et sensus; est enim haec conditio necessario praesupponenda. In thesi sequenti monstrabitur, quomodo nobis certo constare possit hanc conditionem indubie haberi in quavis perceptione. Quare modo unice asserimus, hac conditione praesupposita, sensus nostros esse infallibiles in percipiendis obiectis sive propriis sive communibus.

(1) S. Theol. I p., q. 78, a 3.

143. **Prob. I p.** — Omnibus in comperto est, sensus esse facultates, quae ad hoc ordinatae sunt ex sua natura, ut per eas res corporeas earumque qualitates cognoscamus. Et ideo omnes homines semper ad hunc finem eis utuntur, et ex eorum usu perficiuntur, aluntur, vivunt, imo totam suam tum domesticam tum civilem instituunt vitam. Atqui huiusmodi facultates, cum sunt rite dispositae, nullo modo falli possunt circa proprium obiectum. Ergo. — *Pr. m.* — Si ipsae enim fallerentur, hoc in vitium ipsius naturae vertendum esset; et tota hominum vita per se ac *naturaliter* obnoxia esset erroribus et illusionibus, quin eis praesto esset ullum medium, quo ab eis liberarentur. Atqui haec omnia, utpote prorsus repugnantia, admitti nequeunt. Ergo.

Praeterea omnis facultas cognoscitiva, cum actum ponit, non est libera sed necessaria. Atqui facultas huiusmodi, positis requisitis conditionibus, necessario agit iuxta suam naturam; nequit autem iuxta suam naturam necessario falli. Ergo... (cfr. n. 47).

Prob. II p. — Fere eodem modo, nam id quod valet pro facultate circa proprium obiectum, dicendum est de multis facultatibus circa obiectum commune. Quia tunc unaquaeque facultas ipsum attingit, secundum aliquam rationem coniunctam obiecto proprio, atque ita ex diversis illis rationibus ita perceptis exsurgit cognitio completa propria et certa illius obiecti communis. Atqui ipsa pariter infallibilis dicenda est, sicut perceptio proprii obiecti. Ergo.

144. **Obiiciuntur** multa contra hanc thesim ab idealistis, sufficit quaedam praecipua recensere. — Et I. — Sensus nil aliud percipiunt nisi modificationes sentientis. Atqui ipsae sunt aliquid in ipso sentiente dumtaxat existens. Ergo. — *R. D. M.*:... ut productas ab obiectis et eadem repraesentantes, *c.*; ut puras formas subiectivas, *n.*; imo *n. suppositum.* — *Contrad. m.*:... Sensus certe referunt nobis sensationes i. e. passiones, quas ipsi experiuntur, et iuxta quas modificantur. Atqui passio necessario referat oportet actionem huius obiecti, scilicet, hoc obiectum ut agens secundum illam rationem determinatam, quae vocatur sensibile proprium. Pura vero modificatio seu passio sentientis, quae nempe nullam referat actionem, est impossibilis (et ideo negavimus suppositum). Ergo eam solam sensus nunquam exhibent.

II. Sensus repraesentat qualitates e. g. colores, sapores, so-

nus... etc. Atqui istae sunt modificationes sentientis. Ergo. — *R. D. M.*: concretas ut existentes in aliquo subiecto, *c.*; abstractas, *n.* — et *D. m.*:... subiective inspectae seu ipsae *sensationes*, *c.*, obiectivae inspectae seu ipsae realitates quae afficiunt sensus et determinant istas sensationes, *n.* — Haec difficultas intime connectitur cum quaestione, quae agitatur in psychologia, quomodo nempe qualitates sensibiles existant in rebus (1). At quoniam semper placet secernere certa ab incertis, hac quaestione modo seposita, quacumque ratione ipsa solvatur, haec principia uti certa ab omnibus agnoscenda sunt. Videlicet sensus percipit, aliquam causam concretam ipsum immutasse, eamque vocat e. g. *calorem*, *sonum*, seu percipit obiectum ut immutativum sui. Nam clare advertit S. Th. (2), « ut probat Ph. in 2, de an. c. 5, sentire accidit in ipso moveri a sensibilibus exterioribus; unde non potest homo sentire absque exteriori sensibili, sicut non potest aliquid moveri absque movente ». Et hoc prorsus indubium est nec physici quidquam oppositum evincere unquam poterunt. Insuper si sensus percipiunt diversas immutationes e. g. *coloris albi*, *viridi*, *rubri*, diversae quoque agnoscendae sunt qualitates, quae illas producant. Nunc autem utrum ista causa dicat omnia elementa constitutiva e. g. *caloris*, *soni*, vel aliquid aliud etiam requiratur, nempe ipsum sentiens et ipsa passio in eo producta, hoc nihil refert ad veritatem asserti tuendam. Nam semper verum est quod sensus percipiunt illam perfectionem materialem concretam, quae sensationem determinat, non autem ipsam sensationem.

III. Sensus distinguunt diversas qualitates inter se. Atqui istae non sunt distinctae, quum omnes reducantur ad motum local. Ergo. — *R. D. M.*:... primo et per se, *n.*: secundario *subd.*: ipsi sensus externi soli, *n.*: una cum sensu communi, *c.* — *D.* 1^am^ *p. m.*:... i. e. neque in hoc distinguuntur, ut diversimode immutent facultates, *n.*: ita ut saltem valeant diversimode immutare facultates, *transeat*; — et *neg.*, vel *transeat* 2^a^ *p.* — Sensus enim primo et per se percipiunt qualitates sensibiles, ut immutativum sui, et quidem ut hoc determinatum immutativum: et hoc modo tantum distinguunt hoc obiectum ab illo. Sed dein advenit sensus communis, qui percipit eorum sensationes, et ita eas

(1) Hic dupliciter philosophi reponunt. Quidam dicunt cum P. Palmieri, *Log. crit.* Th. XIII: « Si nomine e. g. coloris intelligatur sensatio ipsa, ea est subiectiva: si vero intelligatur causa excitans in nobis illam sensationem, *ut intelligi debet et omnes intelligunt*, ea est formaliter obiectiva. Si autem intelligatur id, quod formaliter sensus percipit, sive modus, sub quo corpus percipitur, id existit a parte rei *causaliter*, at *formaliter* est in sensu. A parte enim rei e. g. est quidem certus motus aetheris, at lux, et color est in visu: ita a parte rei est quidam motus aëris, sed sonus est in aure ». Alii vero asserunt, illam qualitatem esse in rebus tum *causaliter* tum *formaliter*. Iamvero haec quaestio directe dirimenda erit in psychologia.

(2) *C. Gentes*, l. II, c. 57.

una cum obiectis perceptis inter se distinguit. Quare sufficit ut aliquid diversimode immutet facultates sensitivas, ut ipsi diversas qualitates percipiant, quin dicatur, eos falli circa proprium obiectum. Ergo etiamsi admitteretur, quod prorsus falsum esse videtur, qualitates reduci ad motum localem, quum hoc in casu saltem concedendum esset, motum istum localem diversimode immutare sensus, tunc nunquam sensus, diversas qualitates percipientes ac distinguentes, fallerentur. Diximus tamen *transeat*, quia non pertinet ad hunc locum illam dirimere quaestionem, et illa sententia non videtur vera, ut in psych, probabitur.

IV. Delirantes ac somniantes sensibiles habent repraesentationes, quin obiectis afficiantur. Ergo sensus non necessario referunt obiecta. — *R. D. M.;* habent phantasmata repraesentationum sensibilium, *c.;* ipsas sensibiles repraesentationes, *n.* Sane phantasia ea est, quae illa phantasmata percipit, et in illa perceptione non fallitur. Quod vere ii quandoque putent, ipsa phantasmata esse obiecta realia, hoc non est ex eo repetendum, quod sensus fallantur, sed ex quadam confusione unius facultatis cum alia, quam quis tamen faciliter advertere potest, quando postea reperitur in statu vigiliae, vel in statu normali, aliis adhibitis sensibus, ut experientia patet.

V. Plerumque ii, quibus brachium amputatur, dolorem sentiunt in parte illa, qua carent. Atqui in hoc est manifestus error. Ergo. — *R. D. M.;* i. e. primo et per se sentiunt dolorem in extremitate partis quae mansit, quem referunt ad extremitatem illius, quae non est, ob quandam consuetudinem habitam, *c.;* primo et per se sentiunt illam partem ut affectam huiusmodi dolore, *n.* — *D. m.;* est error quoad existentiam doloris, *n.*, quoad locum, *subd.;* qui error respicit obiectum commune, et corrigi potest, aliis sensibus adhibitis, *c.;* respicit obiectum proprium, *n.* — Sensus enim primo et per se sentit dolorem in extremitate partis, quam adhuc habet. Iamvero cum pars extrema brachii prius non erat eadem ac nunc, sed erant manus, digiti, ideo sentiens ex quadam habita consuetudine, et associatione aliarum sensationum, putat illum sentire in manu vel in digitis, qui amplius non sunt. Sed hoc nil evincit contra th.; nam sensus primo et per se non referunt nisi obiectum proprium, quod hic est dolor, secundario vero locum sensationis. Et ideo quandoque ob anormales conditiones sentientis, potest esse in hoc error, qui tamen faciliter corrigitur, aliis adhibitis sensibus.

VI. Sensus quandoque referunt obiectum, quod non est, ut accidit in occasu solis. Atqui tunc errat circa obiectum proprium. Ergo. — *R. D. M.;* quod non est ut immutativum sui, *n.;* quod in se amplius non est, vel saltem non in eodem loco, ad quem refertur; sed tamen est in illo medio, per quod sensum percellit, *c.* — *Contrad m.;* .... Obiecta non possunt percellere sensus, nisi eos immutando; quare si obiectum distat a sentiente, debet eum immutare per quoddam medium, ac proinde quum iam in illo me-

dio immutationem produxit, si, antequam sensus immutet, ipsum disparet, hoc nihil refert. Nam sensus primo sese referunt ad immediatum immutativum sui, quo mediante, ad illud obiectum, quod est causa illius immutationis in medio. Et ideo diximus, quod ad rectam sensationem requiritur, non sit defectus in medio.

VII. Si ita est, Deus posset producere illas immutationes in medio, quod sensus immutat, quin existerent revera illa obiecta, ad quae sensus sese referunt. Atqui tunc iterum sensus fallerentur. Ergo. — *R. D. M.:* de potentia Dei absoluta in se sola inspecta, *c.:* de potentia Dei ordinata, i. e. simul cum eius sapientia ac sanctitate, *subd.;* semper et ordinarie, *n.:* quandoque tantum et ob peculiarem ac sapientem rationem, *c.* — *Contrad. m.:* si Deus de potentia ordinata et semper hoc faceret, *c.;* si tantum quandoque.... *n.* Qui ita obiicit, vel admittit Deum esse, vel non. Si non, tunc ei sufficit reponere, nego suppositum; iuxta te enim huiusmodi causa non existit. Si vero hoc admittit, tunc consequenter admittere debet, Deum, utpote causam primam et omnipotentem, esse etiam sapientissimum, ac sanctissimum. Atqui ei repugnat has immutationes semper producere in medio e. g. in aëre, quin vera extent obiecta, ad quae sensus, tamquam ad veram causam sese referant; quia tunc nos in errorem induceret (1). Adde quod talis error esset *invincibilis*, quia *a*) nullum adesset medium ad ipsum deponendum, uti patet; *b*) esset quaedam naturae necessitas, quum ex ipsa natura in nobis progigneretur. Quod vero quandoque tantum fiat, ut accidit in miraculis, hoc minime repugnat; quia exceptio confirmat regulam.

VIII. Ergo veracitas sensuum fundatur in sapientia Dei (uti Cartesius inquit). Atqui hoc non videtur admittendum. Ergo. — *R. D. M.:* proxime et unice, *n.:* remote tantum, ut nempe omne prorsus removeatur dubium, quod contra insurgere posset *c.* — *Contrad. m.* Sufficit recolere modum, quo hucusque progressi sumus, ut distinctio pateat.

IX. Inter sensationes et corpora nulla intercedit proportio. Ergo. — *R. D. A.:*... proportio entitatis, *c.:* proportio habitudinis causae ad effectum, *subd.;* si nulla adest facultas sensitiva, quae ab obiecto immutatur, *c.:* si adest, *n.* Quare iam S. Augustinus

(1) Accipe quae clare ostendit P. Tongiorgi, L. c. a. IV, n. 476: « Nam 1° cum corpora menti repraesententur tamquam obiecta, Deus oggereret perpetuo nobis obiectum quod non est obiectum, realitatem fictitiam, res, quae non sunt, tamquam essent; ac proinde pertraheret nos ad iudicandum vere esse ea, quae non sunt. — 2° Insuper exhiberet nobis perpetuo tamquam multarum affectionum nostrarum causas, aut saltem occasiones (uti putat Malebranchius) vanas quasdam imagines, quae nullo modo nos afficiunt. — 3° Crescere videbis errorem, si conclusiones consideres, ad quas corporum apparitiones sponte nos adducunt. Ex his enim inducimur ad iudicandum, res huiusmodi exquirendas esse, vel fugiendas, timendas, custodiendas etc. Haec iudicia totam mortalium afficiunt ac dominantur vitam. Quaenam vero illusio hac crudelior excogitari posset?... ». Cfr. etiam quae habet S. Thomas in Quaest. III, *de Pot.* a. 7.

advertebat (1) : « Gignitur ergo ex re visibili visio, sed non ex sola, nisi adsit et videns ». Atqui ipsa gigni non posset, nisi adesset proportio inter videntem et rem visam. Ergo.

Thesis XXV.

Certo nobis constare potest adesse conditiones praerequisitas, ut sensus actu infallibiles sint in suis perceptionibus.

145. **De Conditionibus praerequisitis.** — Ea, quae explanata sunt, respiciunt infallibilitatem *de iure*, quae sensibus inest. Nunc aliquid breviter attingendum circa ipsas conditiones praerequisitas, ut haec infallibilitas etiam *de facto* haberi *queat*. Huiusmodi conditiones, ut innuimus, ad tres reduci queunt : *a* ut *sensus sint rite dispositi*, nempe nullum insit vitium in organo. Quum enim sensus intrinsece dependeant ab organo, contingere posset, ut ipsum vitio quodam laboret, quod rectum perceptionis usum impediret, et ita sensus fallerentur. Requiritur ergo quod tale vitium nullum adsit. — *b*) Ut *neque sit defectus in medio*, videlicet, quum obiectum nequeat sensum determinare ad sui cognitionem, nisi ipsum tangat agendo, requiritur medium, quo actio ab eo ad sensum perveniat. In eo igitur necesse est nullus adsit defectus, qui hoc impediat. — *c*) Ut obiectum sit rite applicatum, mediante sui actione; et haec conditio sequitur ex priori, dummodo obiectum sit ita constitutum, ut valeat suam actionem in sensum exercere. Iamvero quandoque altera ex his conditionibus deest vel deesse potest, et ita sensus nequeunt referre obiecta realia, ut in se sunt.

Merito ergo quaeritur, utrum nos certi esse possimus, adesse recensitas conditiones in nostra perceptione sensili, ut eam de facto infallibilem fuisse, in repraesentando obiecto reali ut est in se, asserere valeamus. Et affirmamus hoc certo constare posse, saltem quadam adhibita attentione. Unde sequitur falsum fuisse Cartesium cum asseclis suis, qui ex eo quod aliquando sensus quadam laborant indispositione, vel media quosdam praeseferunt defectus, et ideo fallimur, statim et universim deduxit, sensus per se fallibiles esse, ac proinde nullo modo eis fidendum nobis esse.

146. **Prob.** — Et sane, 1° semper supponendum est, sensus nostros esse rite dispositos, nec defectum adesse in medio, donec contrarium probetur, ideoque perceptiones, quas ordinarie per sensus acquirimus, esse obiective veras.

(1) *De Trinitate*, l. II, c. 2, M. L. XVII, 986.

Hoc enim necessario sequitur ex eo quod sensus sunt de se infallibiles. Atqui saepe contrarium nullo modo probari potest. Ergo.

Praeterea 2° post non multam experientiam, quam ab ipsa pueritia adepti sumus, faciliter discernere valemus, utrum sensus recte dispositi sint, vel adsit defectus in medio. Cum enim advertimus, sensus obiecta nobis referre aliter ac ordinarie referre solent, iam dicimus, sensus non esse rite dispositos, vel aliquem adesse defectum in medio. Hoc item valet pro obiectis, quae in somniis percipimus, quaeque plane distinguimus ab obiectis veris ac realibus, quae in vigilia apprehendimus. Ergo.

3° Tandem si cui forte accidit, ut sensus ordinarie non sint rite dispositi ob defectum aliquem a nativitate habitum, ipse quoque facile hoc deprehendit, quum adverterit, suos sensus aliter res percepisse, ac ceteri homines. Quare nunc hoc unum argumentum confici potest.

Tunc nobis certo constat, adesse conditiones praerequisitas, ad hoc ut sensus infallibiliter percipiant obiecta realia, quum certum nobis est; — *a*) nos nullam in organis molestam experiri affectionem; — *b*) praesentes sensationes aliis ordinarie ante habitis esse conformes; — *c*) et iudicia aliorum hominum circa eadem obiecta sensibus percepta a nostris non discrepare. Atqui haec tria nobis certo constare possunt, uti facile cuique patet. Ergo.

147. **Dices:** I Dantur defectus communes omnibus hominibus, qui impediunt rectam sensationem, uti accidit in illusionibus opticis. Atqui tunc nequit nobis constare infallibilitas sensationis. Ergo. — *R. D. M.;* defectus ad percipiendum obiectum proprium, *n.;* commune, *subd.;* qui nequeunt corrigi vel per alios sensus vel per intellectum, *n.;* qui possint per istos corrigi, *c.* — *Contrad. m.* — Et praecise illusiones opticae non respiciunt obiectum proprium oculi, nempe colorem, sed situm vel magnitudinem, vel distantiam. Porro istae facile corrigi possunt adhibito tactu vel aliqua mensura et ope intellectus, quum nempe experimenta multiplicentur. Ex quibus etiam elucet ratio, cur habeantur huiusmodi illusiones, et quomodo eis debeat realitas rerum respondere.

II. Quandoque oculus percipit aliquem colorem in obiecto, in quo ipse non adest, quin possit hunc defectum corrigere. Ergo. — R. D. A.; quin possit corrigere per alios sensus, *transeat*; ne-

que per intellectum, *n.* -- Colores item soni perveniunt ad sensum per motum aëris, hinc ratione diversae distantiae, quae interiacet inter obiectum coloratum vel sonorum et nostros sensus, diversimode sensus ab eis afficiuntur. Ita quandoque colores perveniunt ad nos ab aëre refracti, vel ab eo absorbentur: hinc e. g. montes caerulei apparent, qui non suum sed aëris interiecti colorem praeferunt. Sed tunc iterum error non est quoad colorem, qui, sicut afficit oculum, ita est in se, sed quoad corpus, cui tribuitur. Porro et tunc adhibito intellectu, qui ostendit, quae et quot media requiruntur, ut lux ad oculos perveniat, potest quis facile cognoscere rationem huius illusionis, eamque perficere et expoliare ab errore.

III. Potest quis a nativitate habere defectum in organo, quem non percipit, et putare suas sensationes rite perfici. Atqui is nequit corrigere suum errorem. Ergo. — *R. D. M.;* potest hoc putare, quousque suas sensationes non comparat cum sensationibus ceterorum, *c.;* etiam postquam comparaverit, *n.* — *Contrad. m.* Quare ipse posset ad tempus falli, quin hoc perciperet. At quum comparat iudicia, quae ipse profert circa suas sensationes, cum iis, quae ab aliis circa easdem proferuntur, facile deprehendit, ea inter se non convenire: et ita suum corrigit defectum.

IV. Potest contingere quod omnes homines huiusmodi defectum habeant. Ergo. — *R. N. prorsus Antec.* Nam defectus est aliquid contra naturam alicuius rei: haec autem dignosci debet ex ipsis rebus, quae illam naturam participant, quatenus omnes illam exhibent perfectionem. Atqui si hae omnes res, sicut *omnes* sensus hominum, aliquem defectum contra propriam naturam in se haberent, tunc impossibile foret illam naturam cognoscere ac proinde etiam defectum, qui contra eam adesset. Ergo nulla ratione admitti potest defectus communis omnibus sensibus hominum.

148. **Quid conscientia** — Profecto omnibus perspicuum est, semper ac nos aliquid percipimus, vel appetimus, una simul conscios esse nos aliquid sentire vel appetere, seu experiri istud factum, quod in nobis accidit, uti nostrum. Hanc cognitionem homines generatim *conscientiae* tribuere solent. Quare conscientia generice inspecta dici potest « *facultas, qua animus interna facta seu proprias affectiones praesertim perceptionis et appetitus sibi intime praesentia habet, et experitur uti sua* ». Iamvero hic non consideratur conscientia psychologica stricte dicta, quae proprie est *reflexio*, ut S. Th. ait (1), sed ea quae potius *concomitans*

(1) *S. Theol.*, I, p., q. 79, a. 13.

dici potest, qua homo, quum rem aliquam percipit vel appetit, una simul et in actu exercito percipit experiturque perceptionem vel appetitum suum. Haec conscientia, quam quidam sensum intimum vocant (2), ut eam a conscientia reflexa distinguant, sese extendit etiam ad perceptiones sensitivas, et ideo complectitur sensum internum seu communem. Quare dicimus hanc conscientiam ita descriptam esse aliud medium, quod nostram experientiam perficit et auget, ac viam aperit multis iudiciis efformandis, in quibus veritas certissme adest. Ergo statuitur

Thesis XXVI.

Omnes actus sensitivi ordinis et intellectivi comitatur conscientia, qua homo experitur se operari. Porro haec conscientia circa suum obiectum falli omnino nequit.

149. **Declaratur I p.,** — quae vera demonstratione non indiget. Et primo adverte, conscientiam spectari posse dupliciter: 1° uti *facultatem*, cuius proprium est percipere actus seu operationes ordinis sensitivi et intellectivi, quas nos exercemus, ideoque proprium eius obiectum est existentia harum operationum in nobis; 2° ut *actum*, qui ab hac facultate exercetur, qui est *ipsa cognitio existentiae illarum operationum*. Et quoniam nos cognoscimus facultates per proprios actus, ex hac cognitione, quam in nobis adesse experimur, statim arguimus existentiam illius facultatis. Ergo sufficit ostendere, quod in nobis reapse adest huiusmodi cognitio, quae vocari potest *conscientia actualis*, ut simul pateat existentia *facultatis conscientiae*. Atqui indubium est, dari in nobis conscientiam actualem. — Et sane unus-

(2) In psych. probabitur, hanc conscientiam, prout perceptiones sensitivas refert, esse actum sensus communis, qui est facultas ab aliis distincta; prout vero perceptiones et operationes intellectivas refert, non esse novam facultatem sed ipsum intellectum, qui, quum spiritualis sit, super suos actus reflectit, et eos ut tales cognoscit. Quare non videntur probanda ea quae cl. P. Palmieri de sensu intimo habet, « qui est primitiva quaedam animi dispositio, passive potius se habens, vi cuius omnis actus sensitivae aut intellectivae partis est ei experimentaliter praesens » (Log. crit. XI, p. II).

quisque cum operatur, clare experitur, se operari, et ideo cum cognoscit, sive per sensum sive per intellectum experitur seu sentit se cognoscere. Et ipse Cartesius, qui omnia in dubium vocare conatus est, hoc saltem ut certum admittit: *ego cogito*, scilicet quando ego cogito, certo cognosco me cogitare. Atqui in hoc praecise stat illa conscientia actualis, de qua nunc sermo est. Ergo.

Prob. II p. — Primo ex principio generico: nulla facultas circa proprium obiectum falli potest (v. n. 47). Ergo neque conscientia, quum refert existentiam operationis ordinis sensitivi vel intellectivi, falli potest. — Praeterea ex *communi experientia*. Nam obiectum proprium conscientiae sunt ipsa interna facta, quae in nobis accidunt, quaeque nos ut nostra experimur. Atqui omnibus in confesso est, nos nunquam falli circa existentiam istorum factorum. De nulla enim re tam certi sumus, quam de huiusmodi existentia, quum conscientia eam nobis refert. Ergo.

150. **Obiicies.** — I. Non possumus cognoscere existentiam istorum factorum, nisi eorundem naturam percipiamus. Atqui hanc saepe ignoramus. Ergo. — *R. D. M.:*... nisi intimam eorum naturam dignoscamus, *n.:* nisi saltem ea apprehendamus ut aliquid, quod a nobis fit, vel in nobis accidit, *c.* — *Contrad. m.*

II. Saepe accidit homines dubitare de quibusdam internis animi affectionibus, utrum e. g. in somnio vel in vigilia habitae sint, utrum quis doleat de delicto... et huiusmodi. Atqui hoc arguit fallibilitatem conscientiae. Ergo. — *R. D. M.:* de affectionibus praeteritis, *transeat;* de praesentibus, *subd.:* quatenus dubitet de existentia cuiusdam affectionis, *n.:* de propria natura ipsius, *c.* — *Contrad. m.* Certum est quandoque nos haerere, utrum dolorem verum habeamus de quodam delicto, utrum consensum praebuerimus alicui tentationi, et similia. At dubium est vel de ipsa natura doloris, utrum maior sit ac alius; vel etiam de existentia facti praeteriti. Sed hoc non est obiectum conscientiae, imo potius memoriae, de qua hic non est sermo.

III. Amentibus et somniantibus conscientia plura refert, quae falsa sunt. Ergo. — *R. D. A.:* ipsa conscientia, *n.;* phantasia, *subd.:* refert ea quae *ut realia* falsa sunt, *c.:* *ut phantasmata*, *n.* Quare phantasia efformat illa phantasmata, et conscientia refert eorum praesentiam, et in hoc non est falsitas, quamvis illa phantasmata, si rebus applicentur, falsa sint.

IV. Quandoque conscientia nobis manifestat sensationem, quam non habemus, vel in parte corporis, qua caremus. Ergo. —

R. D. A.; manifestat existentiam sensationis cuiusdam, quae existit utique, sed non est talis, qualem per alias facultates percipimus, vel non est eo in loco, quo existimamus *c.*; quae nullo modo existit *n.*

V. Conscientia nil aliud testatur nisi successionem phaenomenorum, quae in nobis accidunt. Atqui haec successio est tantummodo aliquid apparens, ut ait Kant. Ergo. — *R. D. M.;* ut aliquid reale quod revera in nobis accidit et existit, *c.;* ut aliquid tantummodo apparens, *n.* et *N. m.* — Obiectum enim conscientiae sunt affectiones, prout sunt aliquid reale existens in nobis, et hac ratione dici possunt aliquod noumenon.

VI. Conscientia non est nisi iugis mutatio phaenomenorum, quae in nobis accidunt. Atqui ista, ut ait Spencer (1), nihil certi nobis referre valet. Ergo. — *R. D. M.:* conscientia ut facultas, *n.:* ut actus, *subd.;* est *cognitio* mutationis phaenomenorum, *c.:* est ipsa mutatio, *n.* — *Contrad. m.:* ipsa mutatio phaenomenorum,... *c.;* cognitio ipsius, *n.* — Et ita ruit tota argumentatio Spencerii. Nam 1° obiectum proprium conscientiae est *praesentia* in nobis alicuius phaenomeni ordinis sensitivi vel intellectivi, minime vero mutatio et iugis successio eorundum. Sed 2° quoniam omne phaenomenon quod accidit, necessario dicit mutationem, sive quum advenit, sive quum desinit, consequenter conscientia percipit ac refert secundario etiam mutationem phaenomenorum. Hinc 3° quando cessat aliquod phaenomenon, item cessat *conscientia actualis* ipsius, eadem ratione ac quando cessat actio lucis in oculum, desinit perceptio visiva illius corporis lucidi. Et quum advenit in nobis novum phaenomenon, habetur *alter actus* conscientiae, vel altera conscientia actualis; eodem pacto ac si praesens fit oculo novum corpus lucidum, enascitur altera perceptio visiva. Tandem 4° addendum, quod omnes perceptiones sive conscientiae sive sensuum externorum in nobis servantur per phantasiam ac memoriam, tum sensitivam tum intellectivam, et ita intellectus adiuvatur ad eas simul conferendas et conceptus universales efformandos, ut iam innuimus n. 94.

151. **Corollarium.** — Ergo a veritate prorsus aberrant qui censent, τὸ *Ego* nil aliud esse nisi meram coniunctionem affectionum, quae sibi succedunt (1). Subiectum cogitans neces-

(1) Ipse putat conscientiam nil aliud esse quam indesinentem catenam phaenomenorum sese excipientium, quorum initium « s'évanouit dans une obscurité profonde » P. P. p. 65, s. 19. — F. P. p. 46; hinc concludit, eam nihil certi nobis referre posse. Et paulo post addit: « Présentons la difficulté sous une autre forme. Si un changement incessant d'état est la condition sous laquelle la conscience existe, quand le dernier état supposé est atteint par l'achèvement des états précédents, le changement a cessé, donc la conscience a cessé, donc l'état supposé n'est point un état de conscience, donc il ne peut pas y avoir de dernier état de conscience ».

(1) Cfr. P. Pesch, *Log. crit.* n. 667.

sario debet praesupponi ipsis affectionibus sive cognitionis sive appetitus. Qui dicit: *cogito;* dicit: *ego sum cogitans;* ergo prius *sum*, deinde *cogitans*. Imo illa existentia tam certa est, ut etiam quum quis de ea dubitet, vel eam deneget, necessario ipsam affirmat, ut perbelle S. Aug. (1) arguebat Academicos dicentes; « Quid, si falleris? Si enim fallor, sum. Nam qui non est, utique nec falli potest, ac per hoc sum, si fallor ». Ergo non possum falli, nisi iam ego sim. Et idcirco τὸ *Ego* iam praeexistit omnibus affectionibus, quas ego percipiam.

Iam igitur perspectum habemus, hunc primum fontem veritatis, prout est medium infallibile ad cognoscendas res sensibiles extra existentes. Nunc videndum, quomodo ex hac cognitione valeat intellectus iudicium proferre, quod circa illa eadem obiecta versetur et infallibiliter veritatem contineat. Quare tamquam corollarium utriusque theseos ponitur

Thesis XXVII.

Ergo iudicium intellectus, quod versatur immediate circa obiecta sensuum et conscientiae, est omnino infallibile.

152. **Declaratur.** Cum intellectus apprehendit id, quod sensus et conscientia referunt, concipit perfectionem aliquam concrete, nempe ut existentem in aliqua re determinata. Et ideo duos conceptus inde haurit, *qualitatis* ut sic, et *subiecti* in quo ipsa inest; ita tamen ut simul videat, quod isti conceptus non sint inter se disparati, sed hanc relationem inter se dicant unionis seu compositionis. Et tunc statim profert iudicium, dicens: *hoc est* e. g. *album;* scilicet *hoc*, praecise prout concipitur uti subiectum istius qualitatis, est *album* seu habens albedinem. Atqui manifestum est, intellectum in hoc iudicio ferendo falli non posse. Nam ad illud infallibiliter faciendum sufficit, quod intellectus fideliter cognitionem tum sensus tum conscientiae sequatur. Atqui cum intellectus immediate eorum testificationem sequitur, et iudicium illud promit, certe fideliter hanc infallibilem cognitionem sequitur. Ergo et illud iudicium infallibile erit.

(1) *De Civitate Dei*, l. 11, c. 26. M. L. XLI, 240.

Ad rem S. Th. (1) « Sensum affici est ipsum eius sentire. Unde per hoc quod sensus ita nuntiant sicut afficiuntur, sequitur quod non decipiamur in iudicio, quo iudicamus nos sentire aliquid. Sed ex eo quod sensus aliter afficitur interdum, quam res sit, sequitur quod nuntiet nobis aliquando rem aliter quam sit. Et per hoc fallimur per sensum circa rem, non circa ipsum sentire ». Videlicet sensus nunquam falli potest circa hoc, quod aliquid patitur. Quare cum intellectus iudicium profert circa existentiam istius passionis, et ideo etiam *alicuius* causae, quae illam producat, quum passio haberi nequeat sine actione alicuius causae, iudicium est semper infallibile. Si iudicium vero versatur circa existentiam illius *determinatae* causae sensationis, quam sensus etiam referunt, tunc per se deberet esse infallibile, dummodo impedimentum nullum haberetur in organo aut in medio, ut ipse S. D. in eodem art. explicat.

Neque difficultas ulla est quoad iudicia dividentia. Ad hoc enim sufficit, ut intellectus, sequens testificationem sensus vel conscientiae, percipiat aliquod subiectum, *ut habens aliquam qualitatem, aliam non praeseferre;* et sic dicit e. g. *album non est nigrum*, etc.

153. **De certitudine mundi corporei.** — *Ergo certum est existere corpora.* — Nomine corporis, iuxta communem hominum sensum intelligimus substantiam extensione praeditam, quae sensibus percipitur. Atqui in omni sensatione semper percipimus aliquam qualitatem extensam, vel directe ipsam extensionem, *concretam* seu in aliqua substantia existentem. Ergo in omni sensatione necessario percipimus aliquod corpus existere.

Imo si corpora non existerent, nulla possibilis esset sensatio, quia nulla extare posset sensibilis qualitas, quae a nobis perciperetur. Et sane istae qualitates, quae semper percipiuntur ut extensae, vel haberent esse in se, et tunc ipsae essent corpora qualitatibus affecta, vel habent esse in alio, et hoc erit corpus, quippe quod debeat habere esse in se, secus non posset alias qualitates in se sustentare. Ergo

(1) S. Th. I, p. q. 17, a. 2, ad 2.

si nulla adessent corpora, nulla quoque qualitas sensibilis, nullaque sensatio existere posset. Quocirca tam certum est existere corpora, quam certum cuique est, vel unam existere sensationem alicuius qualitatis.

Praeterea si corporum perceptiones non essent eorundem corporum realium manifestationes, dicendum esset, eas vel immediate produci in sensibus a Deo, vel ab ipso subiecto sentiente. Atqui primum dici nequit, quia pugnat cum Dei sanctitate ac veracitate, uti vidimus in n. 144, VII; alterum est impossibile, quum manifestam involvat contradictionem (1). Ergo.

Idem dicendum quoad mundum corporeum a nobis distinctum. — Iugis experientia testatur nos saepe affici a multis obiectis sensibilibus a nobis distinctis, quae inter se quoque distincta esse debent, quia diversas oppositasque in nobis gignunt sensationes. Atqui ea sunt, quae mundum corporeum a nobis distinctum efformant, qui nequaquam esse potest effectus nostrarum sensationum, sed est earum causa. Quia nos experimur esse *passivos* seu pati ab eis, et quidem etiam nolentes, ac contra nostram voluntatem 2), atque de-

(1) Scite ad rem argumentatur Tongiorgi, L. c. L. II, c. 3, n. 470: « Si apparitiones corporum prodeunt ab activitate subiecti cogitantis, nihil aliud essent in se quam internae simplicis subiecti modificationes, ut sunt actus intelligendi, iudicandi, eligendi etc. Dicant igitur idealistae:

a) Cur corpora appareant, non ut ceterae modificationes internae, intra subiectum et in subiecto, sed tamquam obiecta extra animum constituta, ab eoque plane distincta; cur saltem non appareant tamquam subiecti partes; brevi, explicent, cur sensilis repraesentatio sit essentialiter discretiva subiecti a re repraesentata.

b) Dicant insuper, cur modificationes istae extensum aliquid ac divisibile constanter exhibeant. Si enim subiectum, cui insunt, est undequaque simplex et indivisibile, illius quoque modificationes simplices et indivisibiles sint oportet.

c) Dicant denique, cur subiectum hoc, simplex in seipso, inveniat, imo sentiat extensionem partesque distinguat superiores et inferiores, internas et externas, dextrorsum et sinistrorsum, atque ante retroque positas, ita ut modo in una, modo in altera afficiatur, suamque exerceat activitatem ».

(2) Hoc egregie exponit Ausonio Franchi, *Ultima crit.* V. I, p. 351: « Il mondo è per noi un immenso congegno di forze, le quali sono tanto attive su di noi, quanto noi siamo passivi sotto di esse. La luce, l'aria, l'acqua, la terra, i metalli, le piante, li animali e li uomini, o di continuo o di frequente fanno in noi impressioni, esercitano influenze, eccitano sensazioni, producono moti, mutamenti, alterazioni, a cui dobbiamo buon o mal nostro grado sottostare. Spesso, oh! troppo spesso li effetti dell'azione del mondo su di noi non rispondono punto ai nostri gusti e desideri e bisogni; ci riescono spiacevoli, molesti, dolorosi; non di rado ci arrecano danni, tormenti, affanni, spasimi atroci, mor-

pendere ab eis. Cum vero aliquid percipere volumus, vel debemus ad ipsum pergere, si distat a nobis, vel curare ut illud nobis afferatur, quin valeamus ipsum per nostras sensationes producere. Imo, saepe probe scimus, nos neque posse ea producere, quae percipimus per sensus, sicut quando videmus picturam, sculpturam, vel librum quendam.

154. **Conclusio.** — Ergo omnia iudicia, quae circa veritates contingentes ex *experientia* singulorum obiectorum haustas intellectus profert, sunt infallibiliter vera. Et sic patet, quomodo per primum medium nempe per experientiam nobis *certissime constat veritas quorundam iudiciorum*, nam praeter existentiam mundi corporei a nobis distincti, multae aliae veritates certissime nobis constant: e. g. — *a*) existere subiectum sentiens distinctum ab aliis obiectis, quae ab eo sentiuntur, quum omnis sensatio haec duo distincta inter se necessario supponat. — *b*) Existere qualitates quasdam, quae diversimode sensus nostros percellunt et sunt antecedentes ad ipsas nostras sensationes, sicut causa existit, antequam producat effectum. — *c*) Haec omnia certissime agere in sensus nostros. — *d*) Tandem omnia iudicia, quae circa singularia versantur, si constat sensus fuisse rite dispositos, sunt infallibiliter vera.

Profecto haec omnia iudicia immediate vera dici possunt ac debent. Quamquam enim ipsa proferri nequeunt, nisi sensuum testificatio praecedat, ea tamen habita, statim intellectus erumpit in illa iudicia asserenda cum plena evidentia ac certitudine. Et ideo accidit quandoque risum movere illos, qui ea, vel in dubium vocant, vel serio ac directe demonstrare conantur.

tali: e pure dobbiamo soffrirli, e non c'è sforzo nè riparo che valga contro a quelle arcane, terribili e inesorabili potenze della natura. E questa natura, queste potenze, fra cui ci sentiamo così piccoli, così deboli e nulli; da cui ci sentiamo avvolti, stretti, penetrati, dominati, conquisi: c'è una filosofia, una scienza che le reputa *fenomeni suggestivi!* cioè semplici rappresentazioni della nostra mente o stati della nostra coscienza o produzioni della nostra fantasia! cose insomma che fuori di noi non esistono, che in sè e per sè non sono nulla!... Chi tenesse un simile discorso con le povere vittime delle guerre, degli incendi, dei terremoti, dei naufragi, dei diluvi, ecc., sarebbe mandato al manicomio: e chi lo tiene coi poveri scolari o studiosi di filosofia dovrà essere salutato e celebrato *maestro di color che sanno?* ».

ARTICULUS II.

DE ANALYSI SEU DE IUDICIIS ANALYTICIS.

155. **Analysis valor iuxta antiquorum doctrinam.** — Potior via ad iudicia universalia, praesertim metaphysica, est *analysis* quae *intelligentia* a quibusdam appellatur, quippe quae per vim intellectivam quam maxime peragitur. Priusquam vero explicetur ratio qua ea instituatur, iuvat perpaucis ea videre, quae antiquiores antea et recentiores modo hac de re tradiderunt.

Et primo ut ab Aristotele, S. Thoma et scholasticis omnibus exordiamur, haec erat eorum doctrina. — Praeprimis Arist. plane agnoscebat analysim tamquam viam ad multa iudicia proferenda mediante syllogismo, eiusque usum ac naturam profunde evolvit praesertim in opere Analyt. Posteriorum. Et ostendit non sufficere solam conceptuum divisionem, uti faciebant Platonici, sed requiri etiam eorum compositionem, quae praecipue fit ope ratiocinii, ad cognitionem nostram perficiendam (1). At omnia iudicia, quae fiunt ope syllogismi, si excluditur syllogismus expositorius, sunt certe analytica, seu per conceptuum analysim efformata, uti evidens est ex iis, quae superius exposuimus. Item Aristoteles agnoscebat experientiam, tamquam viam ad multa iudicia singularia et ad inductionem peragenda, uti evidens est ex sexcentis locis, in quibus de ea loquitur, praesertim ex eodem opere *Anal. Poster.* Ergo tota doctrina, quam modo exponimus, quoad rem convenit cum sententiis Arist., quamvis forte apud eum distinctio ac propria natura iudiciorum analyticorum ac syntheticorum non inveniatur directe et expresse declarata (2).

Apud S. Thomam et scholasticos aliquid plus reperitur. Ipsi enim loquebantur de iudiciis *per se notis*, quae eadem sunt ac ea, quae a recentioribus analytica vocantur. « Ex hoc aliqua propositio, ait S. Th. (3) est per se nota, quod praedicatum includitur in ratione subiecti: ut *homo est animal*, nam animal est de ratione hominis ». Et hoc principium commune est omnibus

(1) Cfr. e. g. *Anal. Post.*, L. I, c. 32; l. II, c. 5; *Anal. Prior.*, L. I, c. 31, n. 312 in nota) distinctionem inter has operationes intellectus nostri non esse primo a Kant adinventam, sed iam reperiri apud Arist., saltem implicite. Dummodo non confundatur ratio synthesis et analysis cum operatione componendi et dividendi, de qua saepe loquitur Arist. Istae enim potius respiciunt iudicia positiva et negativa, uti patet e. g. ex *Categ.*, c. 4, *de Interpr.* c. 1-5..., quae proinde omnino differunt a propria ratione synthesis et analysis.

(2) Et hoc sensu recte dici potest cum Rosmini (*Nuovo S.*, t. I, s. 4, c. 3,

(3 S. Th. I, p. q. II, a. 1: cf. etiam I, IIae partis, q. 94, a. 2, ubi idem repetit.

scholasticis. At nunc prosequitur S. D.: « Si igitur notum sit omnibus de praedicato et subiecto quid sit, propositio illa erit omnibus per se nota; sicut patet in primis demonstrationum principiis, quorum termini sunt quaedam communia, quae nullus ignorat; ut ens et non ens, totum et pars et similia. Si autem apud aliquos notum non sit de praedicato et subiecto quid sit; propositio quidem, quantum in se est, erit per se nota; non tamen apud illos, qui praedicatum et subiectum propositionis ignorant ». Hinc ortum habet distinctio inter propositionem *per se notam et quoad nos*, atque *per se notam sed non quoad nos;* prior dicitur etiam *immediate nota*, *de se evidens*, altera autem *mediate nota*, nempe per demonstrationem. Sed uti patet, omnes istae propositiones *per se notae*, dicendae sunt analyticae, quippe quae *omnes per conceptuum analysim* efflorescunt, sicut etiam eae, quae sunt *mediate notae*. Ac proinde merito cum Balmes dici potest, quod notio iudicii analytici communis erat apud scholasticos, ante Kant: at nequit cum eo affirmari, quod propositiones mediate notae sint iudicia synthetica (1), uti vidimus. Sed quoad iudicia synthetica, quamquam scholastici nihil directe de istis asserebant, ea tamen exercite agnoscebant, et idem tuebantur ac nos superius exposuimus.

156. **Doctrina recentiorum**. — Et primo Locke duplicem distinguebat iudiciorum classem, *identitatis* nempe, ut ipse aiebat, et *coexistentiae*. Priora sunt ea, in quibus praedicatum idem omnino est ac subiectum; uti e. g.: *quod est, est*: *homo est homo; quod est album est album...* et huiusmodi, quae proinde sunt mera iudicia tautologica. Posteriora autem habentur, quum intellectus tantum percipit, praedicatum et subiectum perfectiones exhibere, quae simul coexistunt in aliqua re, uti e. g. *aurum est corpus flavum, grave...; nix est frigida...* etc. (2). — Sed uti apparet, haec divisio nullius omnino valoris est; priora enim ad nihil inserviunt: posteriora autem dicuntur exprimere identitatem, quin adnotetur, utrum dicant identitatem tantum *materialem*, vel etiam *formalem*, uti mox explicabimus.

Nihilominus fatendum omnino est, quod saltem ex ea alii occasionem arripuerunt ad rem melius declarandam. Et ita

(1) Hoc asserit in Phil. fund L. I. c. XX n. 192: « Gli analitici (iuxta scholasticos), erano tutti quelli che formavansi per evidenza immediata: i sintetici quelli che risultavano dall'evidenza mediata, sia che questa fosse dell'ordine puramente ideale sia che dipendesse in qualche modo dall'esperienza. Molto ben si sapeva che vi sono idee di soggetto, nelle quali è conosciuto il predicato almeno in confuso e per questo mezzo si spiegava questa unione o identità dicendo che le proposizioni, in cui ciò si enunciava, erano per se note *ex terminis*. Il predicato nei giudizi analitici trovasi già nel soggetto, nulla gli si aggiunge secondo Kant, solamente si spiega. « Chiunque dice uomo, dice ragionevole » così parla San Tommaso. L'idea è la stessa di quella del filosofo alemanno ».

(2) *De l'Entendement Humain*, t. 4, livre IV chap. I par. 4, et par. 6.

Hume etiam duas recenset iudiciorum classes, *rationalia* nempe et *empirica;* priora repraesentant relationes conceptuum, uti sunt omnia iudicia mathematica et quae circa res abstractas versantur, necnon ea, quae pendent ex simplici mentis operatione non autem a rebus existentibus; cetera vero respiciunt *res practicas*, seu experimentales, ut e. g. *sol oritur*, quae proinde unice a rerum existentia dependent. Haec autem videntur ortum habere ex relatione inter causam et effectum, quam relationem, ut ipse asserit, nos in nullo casu cognoscimus *a priori*, sed semper a *posteriori* (1).

In hac iudiciorum distinctione, quae iam ab aliis recenseri solebat, uti a Galilaeo, Bacone, Leibnitio, multa desiderantur, et, prout ea ab Hume explicatur, nonnulla etiam falsa continet. Nam primo videndum erat, quomodo iudicia rationis res repraesentant, ac proinde quomodo relationes illae conceptuum sunt revera obiectivae. Unde hic iam incipit apparere vitium recentiorum, qui, neglecta consideratione de origine simplicium conceptuum, fere unice solliciti sunt inquirere originem ac diversam iudiciorum rationem. Deinde Hume in eo peccat, quod existimet, principium causalitatis nonnisi *a posteriori* cognosci, confundendo ipsum principium, in se inspectum, cum eius applicatione (2). Unde falso etiam concludit, iudicia experimentalia nunquam evadere universaliter vera, et ex nulla inductione inferri posse. Quocirca contra Humii doctrinam sufficit in memoriam revocare ea, quae in art. seq. de inductione explanabimus. Et ita apparebit, quod iudiciorum distinctio ab eo prolata admitti potest, dummodo addatur, quod iudicia rationalia sunt prorsus obiectiva, et iudicia experimentalia possunt evadere universalia ac necessaria per inductionis viam, et innixa praecipue principio causalitatis, quod iterum est universale ac necessarium.

(1) Iuvat hic afferre quaedam eius verba (ex opere « *Quaestiones philos. de humano intellectu* », v. I, q. IV, p. 117, 118) italice translata. « Tutti gli oggetti, *ipse ait*, di cui l'umana ragione si propone la ricerca, si dividono naturalmente in due classi: la prima comprende le relazioni delle idee e la seconda le cose di fatto. Alla prima appartengono tutte le proposizioni di geometria, d'algebra e d'aritmetica, tutte quelle in una parola che sono o intuitivamente o dimostrativamente certe. Le proposizioni di questo genere si scoprono per mezzo di semplici operazioni della mente ed in nulla dipendono dalle cose che esistono nell'universo ». Et deinde quoad alia iudicia prosequitur: « Non è di tale maniera che si stabilisce la certezza delle cose di fatto, le quali compongono la seconda classe degli oggetti, su cui la ragione si esercita: per quanto grande possa essere codesta certezza, essa è d'una natura differente. L'opposto di ciascun fatto rimane sempre possibile, e, non potendo mai implicar contraddizione, lo spirito lo concepisce così distintamente, e così facilmente, come s'egli fosse vero e conforme alla realtà. *Il sole si leverà*, ed *il sole non si leverà*, sono due proposizioni egualmente intelligibili ed assai poco contraddittorie ».

(2) In Metaphysica generali expendemus hoc principium, et tunc clare monstrabitur inepta eius aequivocatio ad ipsum labefactandum.

157. **Doctrina Kantii.** — Ipse, antiquorum doctrina despecta, animum vertit ad principia recentiorum praesertim Lockii et Humii, a quo ingenue fatetur, fuisse a somno dogmatico expergefactus, et novam inquisitionis viam ingressus est, complendo nempe ac perficiendo, quod apud eum deerat (1). Et paulo post ait, in operibus Lockii invenisse indicium distinctionis iudiciorum analyticorum et syntheticorum (3). Et revera ipse maiorem determinationem eis dedit, ac melius eorum distinctionem declaravit. Attamen quamvis ipsi Kant recognosci debeat meritum, quod mentem philosophorum verterit ad naturam horum iudiciorum rite investigandam, de quibus etiam melius quam alii recentiores, locutus est, nihilominus eorum originem nullo modo explicare valuit.

Ipse enim ait : iudicium analyticum est illud, in quo praedicatum invenitur in subiecto, vel in quo coniunctio praedicati cum subiecto concipitur per identitatem : ea vero, in quibus talis coniunctio concipitur sine identitate, sunt synthetica. Hanc autem identitatem ita ipse explicat (4).

« In omnibus iudiciis, in quibus semper relatio quaedam subiecti cum praedicato enunciatur, ista dupliciter haberi potest. Aut praedicatum B pertinet ad subiectum A, ut aliquid, quod in eius conceptu continetur (velut in eo inclusum); aut B est *prorsus extra* conceptum A, quamvis cum eo coniunctum inveniatur. In priori casu illud voco iudicium *analyticum*, in altero *syntheticum*. Ergo iudicium analyticum voco illud, in quo coniunctio praedicati cum subiecto concipitur *per identitatem*, ea vero, in quibus haec coniunctio *sine identitate* concipitur, vocari debent synthetica. Priora vocari possunt *declarativa* (Erläuterungs) alia *extensiva* (Erweiterungsurtheile); quia illa per prae-

(1) Cfr. *Prolog. zu ieder künftigen Metaphysik. Vorrede* s. 8.

(2) « Dagegen treffe ich schon in Locke's Versuchen über den menschlichen Verstand einen Winck zu dieser Eintheilung an » ibid. § 3 s. 18.

(3) *Kritik der reinen Vernunft.* § 4, p. 30, 40. « In allen Urtheilen, worinnen das Verhältniss eines Subjects zum Prädicat gedacht wird..., ist dieses Verhältniss auf zweierlei Art möglich. Entweder das Prädicat *B* gehöret zum Subject *A* als etwas, was in diesem Begriffe *A* (versteckter Weise) enthalten ist; oder *B* liegt ganz ausser dem Begriff *A*, ob es zwar mit demselben in Verknupfung steht. Im ersten Fall nenne ich das Urtheil analytisch, in andern syntetisch. Analytische Urtheile (die bejahenden) sind also diejenigen, in welchen die Verknüpfung des Prädicats mit dem Subject durch Identität, diejenigen aber, in denen diese Verknüpfung ohne Identität gedacht wird, sollen synthetische Urtheile heissen. Die ersteren könnte man auch Erläuterungs —, die anderen Erweiterungs — Urtheile heissen, weil jene durch das Prädicat nichts zum Begriffe des Subjects hinzuthun, sondern diesen nur durch Zergliederung in seine Theilbegriffe zerfällen, die in selbigen schon, (obschon verworren) gedacht waren: dahingegen die letzteren zu dem Begriffe des Subjects ein Prädicat hinzuthun, welches in jenem gar nicht gedacht war, und durch keine Zergleiderung desselben hätte können herausgezogen werden, z. B wenn ich sage: alle Körper sind ausgedehnt, so ist dies ein analytisch Urtheil ».

dicatum nihil addunt conceptui subiecti, sed ipsum tantum ope decompositionis seu analysis in suos conceptus partiales dividunt, qui in eo iam concipiebantur (quamvis confuse). Posteriora autem conceptui subiecti praedicatum addunt, quod nullo modo in eo continebatur et per nullam resolutionem eiusdem hauriri poterat, e. g. cum ego dico: « *omnia corpora sunt extensa* », iudicium habetur analyticum ».

Qui rem perpendit, faciliter percipit conclusionem, in qua Kant iudicia analytica definit, nullo modo sequi ex praemissa, quam ipse idem Kant posuit, nisi forte iuxta mentem Kantii intelligatur. Et ideo est quod omnes philosophi in priori parte unanimiter conveniant, et tantum Kant, Humii vestigia premens, alteram affirmat.

Et sane ipse asserit: quum fit iudicium, in quo praedicatum B est *omnino extra* (ganz ausser) conceptum A, ipsum vocatur *syntheticum;* si e contrario B est *inclusum* (versteckterweise) in conceptu A, tunc iudicium vocatur analyticum. Atqui ex hoc nullo pacto sequitur, iudicium analyticum concipi per identitatem, eo modo quo Kant intelligit, ac syntheticum sine identitate; quatenus prius est tantum *declarativum* nec auget cognitionem: alterum vero *extensivum.* Et sicut apparet ex exemplis, quae ipse affert, ea sola identitas iudicium analyticum constituit, qua unus conceptus formaliter in altero continetur: e. g. *corpus est extensum.* Continentia virtualis iuxta eum nulla est, aut identitatem non constituit; unde ipse eo devenit, ut asserat, omnia iudicia mathematica esse synthetica.

At quis statim non deprehendit manifestam eius contradictionem? Iuvat tamen rem uberius explanare, ut quaestionem intime solvamus.

158. **Identitas propria iudiciorum analyticorum.** — Et *primo* dicimus: duplex distinguenda est identitas, *materialis* nempe ac *formalis;* prior ea est, quae in omni iudicio invenitur, quum asseritur, duas perfectiones inveniri seu esse coniunctas in eodem subiecto; quia uti scite ait S. Th. (1); « compositio intellectus est signum *identitatis* eorum, quae componuntur ». Ideoque perfectiones illae dicuntur materialiter inter se coniunctae. *Formalis* vero in eo est, quod conceptus quidam, praecise qua repraesentans aliquam perfectionem, identificat sibi alium, qui perfectionem refert, vel necessario in priori contentam, vel cum ea connexam. Nempe quatenus praedicatum dicit perfectionem, quae — *a*) vel per-

(1) S. *Theol.* I p., q. 85, a. 5 ad 3.

tinet ed essentiam subiecti; — *b*) vel est proprietas necessario cum ea connexa (1).

Secundo. Hoc autem iterum dupliciter contingere potest; aut enim statim ac unum concipio, simul video ipsum et alterum sibi identificare; aut solum post longam ac profundam investigationem hoc menti affulget. Et idcirco iudicia analytica bifariam dividuntur: *a*) in *immediate* seu *per se nota* quoad nos, quae proinde non indigent demonstratione, ut admittantur tamquam vera (2); et *b*) in *mediate* seu *non per se nota* quoad nos, quae mediante demonstratione fiunt nobis nota, sive nempe per ratiocinium sive per inductionem. Ea proinde vocari etiam possent *per se nota quoad se, sed non quoad nos.*

Tertio. Praedicatum dicitur *formaliter* seu explicite contineri in subiecto, quando nullo modo intelligi potest subiectum, nisi intelligatur et praedicatum, seu quando praedicatum exhibet conceptum, quo primo a nobis cognoscitur subiectum. *Virtualiter* seu *implicite*, quando virtute alterius praedicati, seu mediante hoc altero ipsum reperitur esse in subiecto. Quare in omnibus iudiciis quae sunt mediate nota quoad nos, praedicatum est tantum virtualiter in subiecto; in immediate notis praedicatum est formaliter in subiecto, et hoc vel *explicite*, ut quidam aiunt, vel saltem *implicite*.

Istis praestitutis contendimus, omnia iudicia analytica uti certa, necessaria et universalia admittenda esse, sive praedicatum *formaliter*, sive tantum *virtualiter* in subiecto contineatur. Et addimus, omnia, etiam immediate nota, de quibus maior difficultas esse potest, talem praeseferre iden-

(1) Et hoc est quod scholastici aiebant: *per se dici de subiecto.* Ad rem Caietanus (in *Post Anal.* c. IV). « Ut propositio dicatur per se, sufficit in subiecto includi id quod ponitur in definitione praedicati vel sufficit subiectum inesse definitioni praedicati per se vel per aliquid sibi intrinsecum » i. e. per proprietatem necessario connexam cum essentia.

(2) Existentiam istorum principiorum firmiter tuitus est Aristoteles (cfr. Top. L. VIII, c. 3, *Post Anal.* L. I, c. 3). « Si quaeratur: quomodo immediatorum scientia habeatur; respondendum, quod non solum immediatorum est scientia; imo cognitio eorum est principium totius scientiae. Nam ex cognitione principiorum demonstratur cognitio conclusionum, quarum proprie est scientia. Ipsa autem principia immediata non per aliquod medium extrinsecum cognoscuntur, sed per cognitionem propriorum terminorum. Scito enim quid totum et quid pars, cognoscitur quod omne totum est maius sua parte, quia in talibus propositionibus praedicatum est de ratione subiecti ». S. Th. ibid. I. 7.

titatem, ut revera cognitionem augeant, quatenus praedicatum, quod vel formaliter vel saepius virtualiter dumtaxat in subiecto reperitur, in analysi, quae per illud iudicium fit, directe et explicite formaliter etiam cognoscitur. Quapropter primo contra Kant dicimus:

Thesis XXVIII.

Agnoscenda sunt ut analytica etiam ea iudicia, in quibus praedicatum virtualiter in subiecto continetur: ea vero, in se inspecta, semper infallibili ac metaphysica gaudent certitudine; sed quoad nos, solum quando nobis evidentia sunt.

159. **Quomodo dignoscatur conceptum inveniri formaliter vel virtualiter in altero.** — 1° Prae oculis habenda est extensio et comprehensio terminorum. Iamvero quando alicuius rei conceptum intellectus gerit non totam eius comprehensionem et extensionem primo et per se percipit, sed unam tantum eius perfectionem: i. e. vel eam, quae ultimo rem constituit, vel aliam universaliorem. Et ipsa ea est, quae formaliter in conceptu reperitur, seu qua res per illum conceptum apprehenditur. Ceteras vero, quae totam illius rei comprehensionem constituunt, sicut et subiecta, quibus ea tribuitur, nonnisi virtualiter seu implicite concipit. Ac proinde si ipse super illum reflectit, eumque sedulo rimatur, et illas perfectiones directe ac formaliter concipit, novos efformat conceptus, quos priori addit atque adeo suam perficit cognitionem.

2° Praeterea advertendum est, quod omnia vocabula primo et per se i. e. formaliter significant res, prout per *ultimam* perfectionem seu *differentiam specificam* in se constituuntur, et secundario i. e. virtualiter exprimunt perfectiones alias communiores. Nam ideo tot vocabula instituta sunt, ut res diversas inter se distinguere valeamus, cum vocabula adhibeantur loco rerum. Res autem inter se distinguuntur per ultimas illas perfectiones, quibus in se constituuntur, ut ab aliis differentes. Quapropter quum quis aliquod vocabulum audit et intelligit, directe et explicite illam ultimam

perfectionem concipit, implicite vero alias, quae cum ipsa in eadem re coniuncta reperiuntur.

3° Hinc si intellectus conceptum gignit, qui exclusive ac tantum perfectionem illam determinatam exhibet, hunc cum priori coniungit et iudicium efformat; quo dicit, e. g.: *homo est rationalis*. Et hoc iudicium est necessario verum, quum tandem aliquando fundetur immediate in obiectivo valore conceptuum nostrorum. In ipso enim affirmo, me revera per conceptum hominis intelligere hanc perfectionem, quae proprie intelligenda est, si hominem concipio. Si e contrario intelligo *irrationalem*, tunc revera non hominem concipio, sed aliquid aliud. In hoc iudicio ergo clare patet praedicatum formaliter inveniri in subiecto.

4° Deinceps vero vel ex analysi istius perfectionis *rationalis*, vel ex facili quadam inductione, colligere possum, perfectionem e. g. *animalis* cum ea coniunctam inveniri, et tunc ratiocinando deduco, ipsam ideo esse coniunctam, quia necessario ab ea praerequiritur, et tunc alia duo efformo iudicia, primum: *rationale est animal*, et consequenter alterum: *homo est animal rationale*. Ita iudicium habetur in quo praedicatum virtualiter tantum reperitur in subiecto, atque adeo augetur cognitio intellectus nostri, qui hoc pacto nova semper iudicia profert universalia ac necessaria.

160. **Iudicia analytica haberi possunt tantum in materia necessaria.** — Si quis quaerit, quomodo intellectus has perfectiones in illo conceptu adinvenire valeat, praeprimis dicimus, neminem posse hunc modum statuere, nisi ratum habeat conceptus repraesentare res. Nam eatenus possum ego inquirere: quomodo unus conceptus in altero virtualiter continetur, quatenus respiciendum curo, quomodo unus conceptus, ut repraesentans aliquam rem, alterum contineat, ut repraesentantem perfectionem, in eadem re *necessario cum priori connexam*.

Hinc secundo asserimus, quod inquirere: utrum iudicia quaedam sint analytica vel non, perinde est ac perspicere: utrum ipsa versentur in materia necessaria vel non. Et sane; in hac materia praedicatum exhibet perfectionem, quae necessario convenit, vel repugnat perfectioni contentae in

subiecto. Atqui hoc in casu ex sola conceptuum analysi apparet, praedicatum necessario convenire subiecto, vel ei repugnare. Ergo omne iudicium in materia necessaria est analyticum.

Unde ad inquirenda ac efformanda iudicia analytica, inquirenda ac determinanda occurrit diversa materia necessaria, circa quam ea versari possunt.

161. **Materia necessaria quadruplex esse potest.** — Profecto huiusmodi materia adest, quum habetur praedicatum quod, vel *a*) est de essentia subiecti; vel *b*) est necessario cum eo connexum.

Primum a) dupliciter contingere potest, vel α) quatenus praedicatum respicit extensionem subiecti, et ideo est eius inferius; ut e. g. *aliquod animal est homo;* vel β) saepius, quatenus praedicatum exhibet comprehensionem subiecti, i. e. partem comprehensionis ipsius: e. g. *homo est animal* (1). *Alterum b*) iterum dupliciter haberi potest, vel γ) quia praedicatum necessario connectitur cum essentia subiecti, ut eius proprium: e. g. *homo est risibilis;* vel δ) quia necessario requiritur a subiecto, tamquam eius causa efficiens vel finalis, e. g. *creatura est effectus Dei, bonum est obiectum voluntatis.*

Unde *quatuor casus* contingunt in materia necessaria, quorum α) primus respicit potius causam materialem; β) alter causam formalem essentialem; γ) tertius causam formalem necessario cum essentia connexam; δ) quartus causam efficientem ac finalem. — Et huc revocantur *quatuor modi dicendi per se*, quos scholastici recensent (2). Quapropter si

(1) Cfr. S. Th. qui cum Arist. hoc idem aliis verbis exponit: *Per se dupliciter dicitur...; de Anima* l. 14.

(2) Eos iam statuit Aristoteles in L. I. *Post Anal.* c. 4; quos clarius explanavit S. Th. lect. X, ibid. «*Primus* ergo modus dicendi *per se* est, quando id, quod attribuitur alicui, pertinet ad formam eius. Et quia definitio significat formam et essentiam rei, primus modus eius, quod est per se, est, quando praedicatur definitio de aliquo definito, vel aliquid in definitione positum... — *Secundus* modus dicendi *per se* est, quando haec praepositio: *per*, designat habitudinem causae materialis, prout scilicet id, cui aliquid attribuitur, est propria materia, et proprium subiectum ipsius... — *Tertio* ponit alium modum eius quod est *per se*, prout *per se* significat aliquid solitarium, sicut dicitur, quod per se est aliquod particulare, quod est in genere substantiae, quod non praedicatur de aliquo subiecto...; sciendum est autem quod iste modus non est modus praedicandi, sed modus existendi. Unde etiam in principio dixit, *per se*

statim in quodam iudicio apparet aliquis ex istis nexibus, iudicium illud erit immediate nobis notum, si vero hoc statim non patet, recursus habetur ad ratiocinium, uti fit in mathematicis, in quibus, eius ope evidens ostenditur necessarius ille nexus, uti deinceps melius explicabitur.

162. **Prob. I p. - Ex ipsis Kantii principiis.** — Ipse asserit, iudicia synthetica haberi, quando praedicatum non est *inclusum* (versteckterweise) in subiecto, sed est *omnino extra* (ganz ausser) ipsum. Atqui quum praedicatum virtualiter tantum in subiecto invenitur, tum revera est in eo *inclusum*, et nullo pacto dici potest esse *omnino* extra ipsum. Ergo.

Praeterea quisque evidenter experitur, quum ipse prima vice conceptum quendam efformat (vel audiendo, vel legendo, vel meditando), unam tantum intelligere perfectionem simplicem, et si paulo ad eum animum vertit, faciliter alias in eo percipere perfectiones, quas cum priori coniungit, ope iudicii analytici, uti patet. Atqui nemo diceret, se ante illud iudicium, iam in illo conceptu apprehendisse illas perfectiones. Ergo revera illae virtualiter tantum in eo continebantur, ac proinde per illud iudicium analyticum cognitio aucta est.

Ad pleniorem vero huius confirmationem perutile erit, quasdam proponere difficultates, quarum tamen solutio facile desumitur ex praenotionibus iam explanatis, et melius etiam nostram thesim ac principia in quibus innititur, confirmat.

Dices — I. Tunc habeo iudicium analyticum, quum concipiendo subiectum in eo invenio praedicatum. Atqui hoc contingit tantummodo quum praedicatum formaliter continetur in subiecto. Ergo. — *R. D. M.;* invenio vel immediate seu explicite, vel mediate, seu implicite, *c.;* tantum immediate, *n.* — *Contrad. m.*

II. Subiectum exhibet unum simplicem conceptum. Atqui in eo nullo modo invenitur alius conceptus. Ergo. — *R. D. M.*:... qui repraesentat perfectionem in rebus necessario connexam cum altera, cum qua identitatem formalem praesefert, *c.;* perfectionem non ita connexam cum alia, *subd.:* in iudicio synthetico, *c.;* in analytico, *n.* — *Contrad. m.;* in ipso conceptu formaliter inspecto,

sunt, et non *per se dicuntur*. — Ponit *quartum* modum, secundum quem haec praepositio: *per*, designat habitudinem causae efficientis, vel cuiuscumque alterius... ». Nos posuimus *tertio* loco alium modum, quippe qui sufficiens prorsus est ad iudicium quoddam analyticum efformandum iuxta ea quae exposita sunt.

c.; obiective inspecto, *subd.;* non invenitur, si non inspicitur res ipsa in qua utraque perfectio est intîme coniuncta, *c.;* si res quoque inspicitur, *n.*

III. Unus conceptus repraesentat unam simplicem perfectionem. Atqui in una perfectione non invenitur alia. Ergo. - *R. D. M.;* quae in rebus est necessario coniuncta cum alia *c.;* quae non est coniuncta cum alia, *n.* — *Contrad. m.;* in una perfectione in se sola inspecta..., *c.;* inspecta in rebus in quibus invenitur necessario coniuncta cum alia, *n.*

IV. Conceptus non cognoscitur repraesentare res, nisi per iudicium. Atqui analysis debet praecedere iudicium. Ergo haberi nequeunt iudicia analytica, quae iam supponant conceptus repraesentare res — *R. D. M.;*... non cognoscitur reprasentare res *determinatas*, nisi per iudicium, *c.;* repraesentare aliquam rem indeterminatam... *n.* — *D. m.;*... sed debet supponere ipsos conceptus repraesenetare res, *c.;* hoc non supponit, *n.*

163. **Prob. II p.** - Illud iudicium in se inspectum metaphysica gaudet certitudine, cuius oppositum intrinsece repugnat, ac proinde nullo modo contingere potest. Atqui iudicia analytica huiusmodi sunt. In ipsis enim exhibetur identitas vel repugnantia inter subiectum et praedicatum, quae ad ipsam rerum essentiam pertinet. Atqui essentiae rerum eaedem manent, nec unquam possunt in aliquod oppositum mutari. Ergo illa quoque iudicia nunquam possunt in opposita mutari.

Prob. III p. — Ad hoc ut intellectus noster certitudine gaudeat metaphysica in efformandis iudiciis analyticis, necesse est ut ipse videat, revera praedicatum contineri in subiecto per formalem identitatem, ita ut oppositum omnino repugnet. Atqui hoc perinde est ac dicere, quod illa iudicia debent esse nobis evidentia. Ergo.

Tunc haec iudicia non sunt nobis evidentia, cum intellectus nescit, utrum praedicatum pertineat ad essentiam subiecti, ac proinde utrum in eo contineatur necne. Atqui hoc in casu intellectus nequit cum certitudine eis adhaerere, sed vel se abstinet ab eis pronuntiandis, vel eis adhaeret cum formidine de opposito, quae formido maior vel minor esse potest, prout intellectus minus vel magis videt praedicatum contineri in subiecto. Ergo iudicia analytica non semper quoad nos certitudine metaphysica guadent, sed tantum quum nobis evidentia sint.

164. **Corollarium. — Ergo in quaestionibus metaphysicis solvendis non semper haberi potest certitudo metaphysica.**

Siquidem ad solvendas quaestiones metaphysicas saepe necesse est devenire ad conceptus abstractos, et in Metaphysica generali deveniendum ad conceptus abstractissimos, qui sunt etiam valde indeterminati. Atqui in istis conceptibus non semper facile est perspicere, utrum et quanam ratione unus conceptus in altero reperiatur; ac proinde non semper apparet utrum aliquod praedicatum pertineat necne ad essentiam alterius.

Inde elucet quanti momenti sit praesertim in Metaphysica cavere ab illa prima causa erroris, a nimia nempe facilitate asserendi aliquod iudicium uti certum. Dum quam maxime hic curandum est, ut rite expendantur et applicentur regulae ad rectam analysim peragendam, praesertim si multa occurrunt ratiocinia. Et hac ratione, si non omnes vitantur controversiae, multum saltem imminuentur, quin recurratur ad principia criticae Kantianae.

Dices I. Si intellectus non videt praedicatum contineri in subiecto, nequit iudicium vocari analyticum. — *R. D.;* si nullo modo videt, *c.;* si non videt plene et clare, *subd.;* nequit vocari analyticum cum *certitudine*, *c.;* neque cum probabilitate maiori vel minori, *n.*

II. In iudiciis analyticis ac metaphysicis non datur probabilitas, sed plena certitudo. — *R. D.;* in istis iudiciis in se inspectis, *c.;* etiam quoad nos, *n.* Quare certitudo istorum iudiciorum quoad nos tota pendet ab evidentia, qua ipsa affulgent nostro intellectui.

165. **Oriunturne omnia iudicia analytica per analysim, ac synthetica per experientiam?** — *Resp.: affirmative ad secundum, sed negative ad primum.* Omnia enim iudicia synthetica certe nonnisi per experientiam oriri possunt, uti patet terminos intelligenti. Iudicia autem analytica, quamvis de se absolute loquendo oriri possent per analysim, supposita semper simplicium conceptuum origine per

abstractionem a rebus (1), ea tamen non omnia per analysim efficiuntur. Et hoc punctum videtur magni omnino momenti. Nam certe omnia iudicia universalia et necessaria sunt analytica, uti ostendimus. Sed per experientiam plane omnino comparari possunt iudicia universalia ac necessaria, ut inferius directe probabitur, quando in Th. XXXIII monstrabimus, quomodo ea exoriri queant per inductionem incompletam. Imo prima et communiora iudicia universalia nonnisi ex experientia hauriri queunt. Unde hic aliud vitium in doctrina Kantii apparet, quod putaverit nullum iudicium universale ac necessarium per experientiam comparari posse.

Quapropter concludimus: 1° omnia iudicia dispesci possunt in *analytica* et *synthetica*, ob diversum *motivum*, quo cognoscimus praedicatum convenire subiecto, uti explicavimus; 2° hoc autem motivum determinari nequit, nisi prius agnoscatur, simplices conceptus repraesentare res; 3° si vero eorum originem investigamus, dicendum, quod omnia iudicia synthetica sunt ab experientia vel ab inductione; analytica autem quaedam ex sola analysi, praesupposita abstractione simplicium conceptuum a rebus, et hoc sensu dici possunt *a priori*, quaedam autem ab inductione, adiecto aliquo principio analytico. Ideoque, 4° iudicia *pura* sensu kantiano nullo modo existunt, ac proinde funditus eversa manet tota eius doctrina de *iudiciis syntheticis a priori*.

166. **Coroll.** — *Ergo omnia iudicia mathematica sunt analytica*. Et revera ut in iis tantum sistamus, quae sunt nobis immediate nota, ut ipse Kant fecit, res in confesso est.

(1) Ex necessitate huius abstractionis apparet, quod etiam iudicia, quae ex pura analysi oriuntur, nequeunt dici *iudicia pura a priori*, uti vult Kant. Ipse enim ait: « Von den Erkenntnissen *a priori* heissen aber diejenigen *rein*, denen gar nichts Empirisches beigemischt ist. So ist z. B. der Satz, eine jede Veränderung hat ihre Ursache, ein Satz *a priori*, aber nicht rein, weil Veränderung ein Begriff ist, der nur aus der Erfahrung gezogen werden kann » Kritik... p. 31. Atqui, nos addimus, omnia omnino iudicia analytica requirunt, sicut principium causalitatis, experientiam, ex qua hauriantur conceptus, quibus ipsa constant, neque principio contradictionis excepto, in quo etiam conceptus entis debet per abstractionem a rebus efformari. Item iudicia mathematica, quae ipse dicit in pag. seq. esse pura, eadem abstractione indigent. Ergo distinctio a Kant adinventa inter iudicia a priori *pura* et *non pura*, reiicienda est, quum iudicia a priori *pura*, ut ab eo explicantur, nullo modo existant.

E. g. hoc iudicium: $7+5=12$ est certe analyticum. Kant dicit esse syntheticum, quia ut ipse advertit (p. 43) in subiecto invenitur conceptus summae: $7+5$, sed non quod ipsa aequat numerum 12, seu non invenitur conceptus *aequalitatis* inter hanc summam et numerum 12. Equidem nimis subtilem hic se prodit philosophus könisbergensis. Ludit enim in ambiguis, ita ut non omnes statim fallaciam deprehendere valeant.

Quare reponimus, hac adhibita distinctione inter conceptum *aequalitatis*, et conceptum *ipsius numeri 12*. Et tunc dico; in conceptu summae: $7+5$ certissime invenitur conceptus numeri 12, et hoc nemo negare potest, neque ipse Kant, ut videtur; quia 12 non virtualiter tantum, sed formaliter in conceptu: $7+5$ invenitur. Atqui nunc subsumo, praedicatum, in hoc iudicio: $7+5=12$, est praecise ipse numerus 12, uti patet, quia hoc iudicium: $7+5=12$, perinde valet ac: $7+5$ est 12. Et sane in ipso actu directo mentis nos hoc concipimus: summam $7+5$ continere in se numerum 12 per identitatem, seu esse ipsi identicam. Consequenter vero reflectendo, dicimus inter eos adesse aequalitatem identitatis; quare conceptus aequalitatis est velut secunda intentio, quam intellectus efformat considerando identitatem illorum conceptuum. Ergo recte dici potest cum Kant, conceptum aequalitatis non inveniri in conceptu summae: $7+5$ nisi virtualiter, sed ipse numerus 12 in eo formaliter omnino invenitur, et ideo iudicium est vere analyticum. Hinc etiam tamquam coroll. sequitur

Thesis XXIX.

Ergo non sunt admittenda iudicia synthetica a priori a Kant adinventa; imo ipsa prorsus repugnant.

167. **Nota**. — Mirum est quanti aestimaverint huiusmodi iudicia tum ipse Kant, tum eius discipuli. Hegel e. g. ait: «conceptus iudiciorum syntheticorum a priori Kantii philosophiam reddit immortalem» et recentius Vaihinger: «sub hoc aspectu apparet Kantii eminens ingenium». Riehl inquit, in hoc quam maxime Kant super Locke excellere. Sed non omnes tamen idem sentiunt etiam ex suis asseclis. Ita Herder e. g. dicit: synthesim

a priori esse O + O i. e. nihil. Et Ausonio Franchi kantianis principiis adhuc addictus eadem reiicit (1).

Prob. I. p. — Unica ratio cur Kant haec iudicia admisit ea est, quia noluit agnoscere ut analytica *a*) iudicia in quibus praedicatum virtualiter tantum in subiecto reperitur, *b*) alia (ut iudicia mathematica), quia non bene advertit quodnam revera in eis est praedicatum, *c*) neque tandem ea, quae per inductionem comparantur, ut infra videbimus. Atqui haec omnia admittenda sunt tamquam analytica, uti vidimus in thesi superiori, et inferius monstrabimus etiam quoad inductionem. Ergo.

Prob. II p. — Iudicia caeca certo repugnant. Atqui haec iudicia revera caeca dicenda essent. Ergo.

Pr. M. — Omne iudicium est actus, quo intellectus prius simul comparat, ac dein ideo coniungit aut separat duos conceptus, quia *videt*, subiectum repraesentare rem, in qua adest, vel non, perfectio praedicati, uti saepe diximus: atque adeo si revera huic rei adaequatur, iudicium erit verum, secus est falsum. Atqui iudicium caecum est illud, in quo intellectus hoc *nullo modo videt*, et praecise dicitur caecum, quia prorsus ignoratur, utrum respondeat rei, vel non. Ergo.

Prob m. In iudiciis syntheticis *a priori* nullum adest aliud motivum, cur intellectus ea profert, nisi forma quaedam, quam Kant comminiscitur existere in eo, et per quam nihil videmus, quod obiective repraesentetur. Imo si quis audet per haec iudicia aliquid videre, seu ipsa applicare ad obiecta, quae per ea repraesentari possent, tunc nescio quo fato damnatur, ut semper in contradictiones incidat. Atqui haec iudicia dicenda sunt caeca. Ergo.

168. Quare quum Kant (2) quaerit: « Quid peius his inquisitionibus accidere potest, quam si quis inopinato delegeret, quod nullibi iudicia a priori (etiam synthetica) existere possunt? » — *Respondemus*: **Nihil;** si quis nempe

(1) L. c. p. 39. « Questo principio (i. e. *de iudiciis syntheticis*) è quello che a me, seguace di Kant e propugnatore del criticismo, non sembra nè certo nè vero; e per cui m'è forza dissentire dal maestro e combattere il suo sistema »

(2) *In intr. ad Crit. rat. practicae.*

iam denegaverit iudicia analytica. Nam revera ad quid inserviunt illa iudicia synthetica, nisi ad purum exercitium mentis? Et ratio practica posset adhuc sua iudicia imperare, si illa deessent. Imo forte melius esset, quia tunc homo non incideret in tentationem ea ad res applicanda, et in tot contradictiones offendendi, uti Kant effutiit.

Sed quoniam haec iudicia synthetica a priori ea sunt, in quibus peracta analysi subiecti et praedicati, non statim apparet unum in altero inveniri, iuvat statim explanare praecipua media quibus adiuvamur ad hoc adinveniendum. Et dicimus, duo suppetere media certa et infallibilia de se: *ratiocinium* et *inductionem*, et utriusque medii valorem ac momentum modo in luce ponamus oportet, ut clare patescat quae et quot sint iudicia analytica. *Et primo* quoad ratiocinium, iis suppositis, quae in dialectica iam explanata sunt, haec statuitur

Thesis XXX.

Ut analytica agnoscenda sunt iudicia, quae ope ratiocinii nobis innotescunt; quae infallibilia sunt, si regulae ratiocinandi accurate servantur, et principia, quibus innituntur, certa sunt.

169. **Prob. I p.** — Natura ratiocinii in eo est, ut ope alicuius termini medii, appareat praedicatum convenire, aut non convenire subiecto. Videlicet prius instituo analysim subiecti et illius termini medii, et video istum in altero inveniri, deinde analysim termini medii et praedicati, et iterum deprehendo praedicatum in ipso reperiri, vel repugnare. Et tunc dico: subiectum continet medium terminum, sed medius terminus continet praedicatum, vel ei repugnat, ergo illud subiectum etiam continet praedicatum vel ei repugnat. Et ita efformo in conclusione iudicium in quo affirmo praedicatum convenire, vel non convenire subiecto, uti exposuimus in dialectica (v. n. 123). Atqui evidenter liquet, huiusmodi iudicia prorsus analytica dicenda esse. Ergo.

Prob. II p. — Ratio repetenda est ex iis, quae in dialectica exposuimus praesertim in nn. 130, 131. — Et sane

non potest aliquod totum esse verum, nisi omnes eius partes verae sint, vi principii contradictionis, ut ibid. innuimus. Atqui in ratiocinio conclusio est veluti pars, quae in praemissis continetur. Ergo si praemissae verae ac certae sunt, et regulae, quibus ostenditur, revera conclusionem inveniri in praemissis, rite servantur, etiam conclusio eadem gaudet certitudine.

170. **Corollarium**. — *Ergo apparet huiusmodi iudicia ea esse, in quibus praedicatum virtualiter tantum et saepe etiam remote in subiecto invenitur.* — Si enim praedicatum non statim appareret subiecto convenire vel repugnare, impossibile est, ipsum formaliter in eo reperiri vel eidem repugnare. Quare hic alterum assumi potest argumentum, ad refellendam definitionem iudicii analytici a Kant allatam. — Omnes homines agnoscunt ratiocinium, uti medium ad nova iudicia certa efformanda, et eo saepissime utuntur. Semper enim ac nos loquimur, si recte loquimur, eo tendimus, ut quibusdam ratiociniis quaedam iudicia certa proferamus; ideo habentur orationes, conciones, concertationes et huiusmodi. Quinimmo etiam pueri statim ac usum rationis consecuti sunt, natura ipsa eos docente, hoc medio in rebus facilioribus haud difficulter utuntur. Atqui iudicia quae ex ratiocinio fluunt, certe non sunt experimentalia, ut ipse Kant ultro concedit, neque dici possunt synthetica etiam a priori, ut ipse vellet. Omnes enim clare advertunt, se in ratiocinando non intendere simplicem quandam conceptuum compositionem, sed revera conceptus plures analysi subiicere, vi cuius novum efformatur iudicium, uti nuper in probatione ostendimus. Ergo analytica dicenda sunt. Atqui rursus non ea sunt, in quibus praedicatum formaliter in subiecto inest. Ergo ea etiam iudicia ut analytica admittenda sunt, quorum praedicatum virtualiter tantum in subiecto reperitur.

171. **Dices**. — Multa dantur iudicia falsa, quae ope ratiocinii deducuntur. Atqui non darentur, si essent infallibilia. Ergo. — *R. D. M.*: quae ope veri ratiocinii deducuntur, *n.*: ratiocinii falsi, quod nempe peccat vel in materia vel in forma, *c.* — *Contrad. m.* — Et revera ultro fatemur, dari iudicia falsa, quae quis profert ope ratiocinii falsi. Siquidem haud raro accidit, quod principia quaedam, ea praesertim quae maxime abstracta sunt, ut in Metaphysica usuvenit, si in sua communitate inspiciuntur, vera esse videntur. At si quis ea intime rimari conatur, eorumque diversas acceptiones seu diversa eius inferiora contemplatur, facile deprehendit nonnulla esse in eis rite intelligenda, ac determinatum sensum eis praestandum, ne falso applicentur. Quandoque etiam aliquod principium est verum quodam in casu, sed non in om-

nibus, quibus applicari posset; et ideo curandum est, ne universaliter simpliciter enuncietur, quum forte sit potius particulare, vel secundum quid universale. Sed profecto quum haec omnia perdifficilia sint, facile colligitur, quantum periculi sit in deducendis ex illis alias veritates, quum praesertim non immediate deduci possint: et ideo saepe ratiocinium peccat in materia.

Quandoque autem in argumentis non omnes regulae servantur, ut ex iis apparet, quae in *Dial.* n. 162... vix innuimus, et non semper faciliter fallaciae detegi possunt, et tunc ratiocinium peccat in forma (1). Haec igitur est vera ratio cur in Metaphysica tot extent controversiae, ac tot habeantur iudicia falsa.

Ad aequivocationes autem et fallacias praecavendas aut solvendas tantum abest, ut usus ratiocinii despiciendus sit, ut potius in eo rite adhibito unicum contra illas reperiatur medium. At semper curandum est, ut principia certa assumantur ac regulae syllogismi rite serventur. Quoniam vero recentiores multa congesserunt sophismata ad eius valorem spernendum ipsumque tamquam inane renuntiandum, praestat modo praeter ea, quae in dialectica innuimus (n. 126), ipsum contra eorum impetus iterum vindicare.

Thesis XXXI.

Ratiocinium deductivum efficax ac nobilissimum medium est ad novas veritates cum certitudine detegendas.

172. **Valor ratiocinii deductivi.** — De eo tantum loquimur, quia in ipsum praecipue recentiores impetum faciunt, de inductione autem inferius sermo erit. Quare primo directe eius valorem evincimus, desumptum ex propria eius natura et usu; deinde indirecte, argumenta adversariorum disiicere curabimus. Ut hunc valorem melius perpendas, adverte primum ratiocinii munus esse *adinvenire* veritatem. Ipsum enim est *processus a noto ad ignotum*, adeoque inservit ad multas inveniendas veritates, quae prius nobis ignotae erant, et ipsius ope noscuntur et nobis clare patent. — *Secundum est demonstrare* aliquam veritatem; quum nempe ea iam nobis nota sit, sed ignoratur intrinseca ratio, cur ea admittenda sit, et per ratiocinium nobis aperitur, atque adeo per scientiam stricte dictam eadem cognoscatur. — *Tertium est refutare* ac dissolvere oppositas difficultates, vel etiam errores ac fallacias, quae insurgere possunt. Atque hinc non modo ani-

(1) Hinc liquet, perperam argumentari Felic. De la Mennais in opere, cui titulum fecit « Essai sur l'indifference en matière de Religion » V. II ch. XIII. Ipse enim ex defectibus quorundam, qui male abutuntur ratiocinio ad errores defendendos, eius valorem infringere conatur. Dum potius colligendum esset, magni momenti esse dialecticam probe callere, omnesque eius regulas semper mente versare ad hos praecavendos defectus.

mus melius quiescit in possessione alicuius veritatis, sed plane se munit contra adversariorum impetus, ac falsas et captiosas ipsius interpretationes (1).

Profecto primum munus est praecipuum ac fundamentale, in quo alia duo continentur, et inserviunt ad ipsum adiuvandum et communiendum.

173. **Probatur I.** — Et sane illud est medium efficax et nobilissimum ad novas detegendas veritates, quod in nostra mente nova gignit iudicia universalia, quae obiectivo pollent valore et veram scientiam augent. Atqui huiusmodi est ratiocinium deductivum. Ergo. — *Pr. m.* — Ipsum infert ex principio aliquo universali obiectivo iam cognito aliud iudicium minus universale, quod in eo virtualiter continetur. Atqui istud est etiam obiectivum, uti patet; scientiam nostram auget, quia prius tantum virtualiter et in potentia cognoscebatur, nunc etiam formaliter et actu: ac proinde reapse iudicium novum a priori distinctum exoritur. Ergo.

II. Praeterea omnis progressus in scientia habetur per hoc, quod intellectus noster procedat a iudiciis magis indeterminatis ad minus indeterminata, et eo iugiter tendit, ut haec eadem magis magisque determinet ac distinguat. Atqui talis progressus nonnisi per ratiocinium deductivum haberi potest. Quia de eius ratione est ex principiis universalioribus, quae sunt magis indeterminata, alia deducere minus universalia, quae minus quoque indeterminata sunt, et haec eadem accurate inter se distinguere ac intime rimari. Ergo.

III. Insuper ex usu hominum res aperte confirmatur. Non modo in mathematicis et in aliis scientiis rationalibus, verum etiam in iugi usu vitae homines eo utuntur ad propriam cognitionem augendam ac perficiendam, novaque iudicia efformanda. Ipsum in promptu habent, cum aliis ostendere satagunt veritatem iudiciorum, quae ipsi confecerunt, vel eos adhortari ad iudicium aliquod practicum amplectendum. Atqui ridiculum est, ineptum dicere tale medium, quod tanto usui est, sive in scientiis sublimioribus excolendis, sive in bono vitae quotidianae omnium hominum exquirendo. Quinimmo quam maxime efficax ac nobilissimum habendum est ad veritates cum certitudine detegendas. Ergo.

(1) Cfr. quae late exponit P. Castelein, l. c. chap. III, a. 6.

IV. Tandem addimus cum P. Tongiorgi (l. c. n. 569), « ut miram ratiocinii foecunditatem uno veluti obtutu comprehendamus, haec duo animadvertere sufficiet.

1° Si veritates per ratiocinium deductas paulisper seponas, tota cognitionum nostrarum supellex hisce ad summum capitibus contineretur; nimirum iudiciis illis singularibus, quae in obviis sensuum relationibus immediate fundantur: iudiciis conscientiae immediatis; immediatis principiis a priori. Iamvero quis est inter homines tam rudis atque hebes, cui tam curta sit cognitionum supellex? Atqui quidquid praeter illa novimus, id omne ratiocinio debemus.

2° Recole cognitionum divitias, quae scientiis omnibus continentur. Thesaurus iste propemodum infinitus, quique in dies adeo excrescit, ratiocinii fructus est. Non enim immediato intuitu scientiae comparantur, sed deductione ex veritatibus primitivis, quae quasi in semine omnia continent, quaecumque naturaliter cognoscere possumus ».

174. **Dices:** I. Cum St. Mill (1). Per ratiocinium nihil novi addiscitur, quia conclusio iam continetur in praemissis. Atqui praemissae debent esse praecognitae. Ergo et conclusio. — *Resp. D. Ass.* — Nihil novi addiscitur, quod antea *totaliter* ignorabatur, *c.*, nihil novi *distincte* et *actu* addiscitur, quod antea indistincte et *potentia tantum* noscebatur *n.* — Ad rat. add. *D. M.* continetur *virtute*, *c.*, *actu* et *formaliter*, *n.* — *D. m.*, debent esse praecognitae secundum rationem universalem, *c.*; secundum *totam comprehensionem et extensionem*, *n.* — N. C. Videlicet intellectus noster sicut et omnis natura non procedit per saltus, ut aiunt. Ergo minime requiritur, quum novum proferat iudicium, quod ipsum antea *totaliter* nesciret. Sed ipse semper progreditur ex imperfecto ad perfectum, ex indeterminato ad magis determinatum, et hic est unicus progressus nobis possibilis. Hunc autem, uti vidimus, homo nonnisi per ratiocinium assequitur. Ergo penitus ruit assertum adversariorum. — Insuper praemissae praenosci debent secundum aliquam rationem universalem, ita ut earum *extensio* indeterminate tantum cognoscatur; *et comprehensio*, solum quoad partem. Quare conclusio, si pertinet ad extensionem, prius indeterminate et post ratiocinium determinate ac distincte noscitur, si vero spectat eius comprehensionem, aut tantum partialiter praenoscebatur, aut penitus ignorabatur. Ergo per eam aliquid novi addiscitur (2).

(1) *Sistème de Logique*, L. II ch. III.

(2) Scite ad rem S. Thomas cum Arist. « Antequam inducatur inductio vel syllogismus ad faciendam cognitionem de aliqua conclusione, conclusio illa

II. *Instas* (cum eodem). Tunc ratiocinium haberet tantum finem *explicativum*. Atqui ita non habetur verus in scientia progressus. Ergo. — *Resp. D. M.;...* quatenus clarius explicaret illud quod *actu* ac *formaliter* antea praenoscebatur, *n.;* quatenus facit *actu* ac *formaliter* cognoscere quod antea virtute *tantum* et *in potentia* noscebatur *c.* — *Contrad. m....* Imo dicimus, quod iste unicus est progressus possibilis intellectui nostro, uti liquet ex demonstratione superiori.

III. *Urges* (cum eodem). In ratiocinio deductivo adest petitio principii. Nam in eo petitur, utrum conclusio sit vera, et ponitur in maiori uti verum ac notum principium aliquod universale, in quo conclusio virtualiter contineatur. Atqui eatenus illud principium est verum ac notum, quatenus vera ac nota est conclusio in eo contenta. Ergo conclusio supponitur vera antequam demonstretur, ideoque adest petitio principio (1). — *Resp. N. Ass.* — *ad rat. add., D. M. quoad* 1^am^ *p.;...* utrum sit vera tantum quoad se, *n.;* utrum vera sit etiam quoad nos, i. e. quomodo nos possumus cognoscere eius veritatem, *c.* — *D.* 2^am^ *p.;* i. e. illud principium in se est verum quoad omnes partes quas continet, *c.;* a nobis etiam cognoscitur uti verum *subd.;* quoad aliquam rationem universalem, *c.;* quoad omnes partes quas continet ratione suae comprehensionis et extensionis, *iter. dist.:* actu et formaliter, *n.:* in potentia solum, *c.* — *Contrad. m.:* si illud principium in se spectatur, *c.;* si etiam relate ad nostram cognitionem, *n.* — *D.* 1um *C.:* nempe debet esse vera in se, *c.;* debet a nobis iam cognosci uti vera *n. N.* 2um *C.* — Paucis: quum ponitur in maiori principium

quodammodo scitur et quodammodo non, simpliciter enim nescitur, sed solum secundum quid scitur... Cuius quidem ratio est, quia oportet principia conclusionis praecognoscere. Principia autem se habent ad conclusiones in demonstrativis, sicut causae activae in naturalibus ad suos effectus: unde in secundo Physicorum propositiones syllogismi ponuntur in genere causae efficientis. Effectus autem antequam producatur in actu, praeexistit quidem in causis activis virtute, non autem actu, quod est simpliciter esse. Et similiter antequam ex principiis demonstrativis deducatur conclusio, in ipsis quidem praecognitis, praecognoscitur conclusio virtute, non tamen actu. Sic enim in eis praeexistit. Et sic patet quod non praecognoscitur simpliciter, sed secundum quid. » Et paulo post « Illud quod quis addiscit, nihil prohibet primo quodammodo scire et quodammodo ignorare. Non enim est inconveniens, si quis quodammodo praesciat id, quod addiscit; sed esset inconveniens, si hoc modo praecognosceret, secundum quod addiscit. Addiscere enim proprie est, scientiam in aliquo generari. Quod autem generatur, ante generationem non fuit omnino ens, sed quodammodo ens et quodammodo non ens: ens quidem in potentia, non ens vero actu, et hoc est generari, reduci de potentia in actum. Unde nec id quod quis addiscit, erat omnino prius notum, ut Plato posuit, nec omnino ignotum... sed erat notum potentia sive virtute in principiis praecognitis universalibus, ignotum autem actu secundum propriam cognitionem. Et hoc est addiscere, *reduci de cognitione potentiali seu virtuali aut universali in cognitionem propriam et actualem* ». In *Post Anal.* L. I, l. 3.

(1) Idem etiam ait Dugald-Stewart, in opere: « *Elements of te philosophy of the human mind* » T. III, ch. 2, s. 1 in fine.

quoddam universale, ipsum in se verum esse debet secundum totam suam comprehensionem et extensionem, at minime requiritur ut etiam a nobis hoc modo perfecte cognoscatur. Sed sufficit quod apprehendatur secundum aliquam rationem universalem, in qua virtualiter omnes illae partes continentur. Et idcirco conclusio, quae respicit unam ex illis partibus, nequaquam praenoscenda est. Et ratiocinium instituitur praecise ad eam actu cognoscendam. Nulla igitur datur petitio principii.

IV. *Instas* adhuc cum eodem. Nequit cognosci principium universale, nisi actu cognoscantur omnia eius inferiora. Atqui hunc actu cognoscenda est conclusio. Ergo. — *R. D. M.*; si illud iudicium sit mere *empiricum* seu *syntheticum*, *c.*; si sit necessarium seu analyticum i. e. si refert nexum, qui necessario intercedat inter subiectum et praedicatum, *n.* — *Contrad. m.*; et *N. C.* Hinc liquet praecipuum adversariorum peccatum. Ipsi negligunt valorem iudiciorum analyticorum. Sed prorsus immerito, uti colligitur ex iis, quae iam disseruimus, et magis adhuc confirmabitur, cum naturam inductionis expendemus, ex qua evidens fiet, quod iudicia universalia a nobis certo cognosci possunt, quin actu precipiantur omnia eorum inferiora.

V. Cum Tracy (1) veritas iudiciorum universalium a singularium veritate pendet. Ergo. — *R. D. A.*; veritas quorundam iudiciorum quae hauriuntur per inductionem, *c.*; quae hauriuntur per analysim, *n.* — Haec enim, quum innitantur in necessitate essentiali rerum, pendent ab ipsa essentia specifica, quae in singularibus invenitur. Quare potius veritas singularium pendet a veritate universalium.

VI. Qui cognoscit subiectum et praedicatum conclusionis eam simpliciter cognoscit. Atqui passim ante ratiocinium ea cognoscimus. Ergo. — *R. D. M.*; si cognoscitur etiam nexus inter utrumque, *c.*; si ipse ignoratur, *n.* — *Contrad. m.*; quin illum nexum cognoscamus, *c.*; illum cognoscimus, *n.* — Quare ante ratiocinium nos saepe subiectum et praedicatum conclusionis cognoscimus: at ignoramus, utrum simul conveniant vel non. Unde mens ex iis iudicium efformat tantum *problematice*, non *assertive*, seu habet in se *problema solvendum*. Hinc ratiocinum instituit, ad illud solvendum seu ad perspiciendum nexum inter ea intercedentem, ut valeat iudicium enunciare sive negativum sive affirmativum (v. n. 129).

VII. Conclusio est finis praemissarum. Atqui finis debet prius cognosci. Ergo. — *R. D. M.* Conclusio ut problema solvendum... *c.*; ut problema solutum seu ut iudicium simpliciter assertivum, *subd.*; est finis consequendus in ipso ordine cognitionis post media iam adhibita, quae sunt praecise praemissae, *c.*; consequendus antequam adhibeantur media, *n.* — *Contrad. m.*; finis debet praecognosci saltem ut problema solvendum, *c.*; uti veritas in se certa,

(1) *Ideologie*, V, III ch. 1.

subd.; si respicit aliquam rem realem producendam vel acquirendam, *c.;* si respicit cognitionem acquirendam, *n.* — Videlicet quum finis aliquis intenditur, seu quum *res aliqua appetitur*, ea certe praecognosci debet, antequam media adhibeantur ad eam acquirendam. At si haec res est aliquod reale, tunc debet praecognosci per iudicium certum et assertivum, quo indubie innotescat eius existentia ac bonitas; sin vero finis obtinendus est veritas aliqua in ordine cognitionis acquirenda, tunc ipsa debet praecognosci uti *problema solvendum*, et ita voluntas appetit eius *solutionem*, quam consequitur post praemissas cognitas. Nam secus si ipsa cognosceretur uti problema iam solutum, non esset finis *obtinendus*, sed iam *obtentus;* ideoque non *appeteretur*, sed *possideretur.*

ARTICULUS IV.

DE IUDICIIS PER INDUCTIONEM COMPARATIS.

175. **Inductionis valor.** — Nunc tandem aliud medium recenseamus oportet, quod magis adhuc in usu est, et *inductio* nuncupatur.

Primo quidem recolendum est, quod omnes experiuntur: cognitionem nostram prius a sensibus oriri, ut ipse Kant profitetur initio introd. (p. 33). « Quod omnis nostra cognitio ex experientia ortum habeat, nullum prorsus dubium est » (1).

(1) Ipse tamen alia addit aequivocatione plena; nam paulo post prosequitur: « Etiamsi omnis nostra cognitio ex experientia pendeat, non omnia (iudicia) tamen ex experientia oriuntur. Contingere enim potest, quod nostra cognitio etiam experimentalis coalescat ex eo, quod per sensilem perceptionem apprehendimus, et ex eo, quod facultas cognoscitiva ex se ponit, occasione tantum sumpta ab illa perceptione ».

Haec omnia probari possunt, dummodo rite distinguatur inter simplices conceptus et iudicia. Quoad illos enim dicendum est, vel immediate a sensili perceptione hauriri, vel saltem mediate, per quandam nempe analogiam. Quoad iudicia vero, vel immediate ab ipsa profluunt experientia, uti iam declaravimus in art. I et II, vel independenter ab ipsa, per solam nempe conceptuum analysim efflorescunt. At etiam hoc in casu prius habendi sunt conceptus, eo modo nempe uti nuper dicebamus. Et ideo est etiam verum quod ait Kant: « qui fundamentum alicui domui subducit, potest *a priori* asserere ipsam in profundum ruere, quin scilicet actu experiatur, ipsam revera in ruinam cadere. Sed omnino a priori hoc cognosci nequit. Nam quod corpora sint gravia, et ideo, si sustentacula eis subtrahuntur, cadunt, debet iam prius per experientiam cognitum esse ». Quare de istis principiis nunc quaerimus: quomodo ipsa comparari queant: seu quaenam sit illa experientia, quae praecedere debeat, ut quis ea postea possit statim pronunciare, independenter ab alia actuali experientia.

Sed in hac quoque re Kant a veritate aberravit. Asserit enim (1): « Experientia nos docet quidem, aliquid esse hoc vel illo modo constitutum, sed non docet, quod nequeat aliter constitui..... Secundo experientia nunquam dat suis iudiciis per inductionem comparatis veram ac strictam universalitatem, sed tantum secundum quid seu *comparativam*, ut ait, ita ut ipsa hoc dicere valeat; inquantum nos hucusque experti sumus, nulla habetur exceptio contra hanc vel illam regulam. Igitur omne iudicium stricte universale nunquam ex experientia oritur, sed est pure et simpliciter a priori ». Profecto ex iis, quae in dialectica asseruimus, iam potest patere falsitas huius assertionis. Sed ob rei gravitatem praestat eadem fusius explanare et confirmare.

176. **Diversae inductiones recensentur.** — Porro ut ordinate procedamus, iuvat huiusmodi principia in tres categorias tribuere.

1° In priori recenseri possunt ea, quae rerum naturas seu existentiam naturarum universalium nobis inadaequate per unum saltem conceptum patefaciunt.

2° In altera vera ea, quae easdem magis adaequate per duos vel plures conceptus manifestant.

3° In tertia tandem ea, quae earum ostendunt proprietates, quum plures naturas seu perfectiones una simul componunt.

Quamobrem prius inquirendum erit, quomodo per inductionem confici queant iudicia stricte universalia, quae ad primam vel alteram classem reduci queant, ac deinde de aliis, quae maiorem praebent difficultatem, investigabimus.

(1) « Erfahrung lehrt uns zwar dass etwas so oder so beschaffen sei, aber nicht, dass es nicht anders sein könne. Findet sich also erstlich ein Satz, der zugleich mit seiner Nothwendigkeit gedacht wird, so ist er ein Urtheil *a priori*. . Zweitens: Erfahrung gibt niemals ihren Urtheilen wahre oder strenge, sondern nur angenommene und comparative Allgemeinheit (durch Induction), so dass es eigentlich heissen muss: so viel wir bisher wahrgenommen haben, findet sich von dieser oder jener Regel keine Ausname.» p. 34, 35.

Thesis XXXII.

Per inductionem etiam incompletam certo comparari possunt iudicia stricte universalia, quae naturarum universalium existentiam sive per unum sive per plures conceptus nobis innotescere faciunt.

177. **Status quaestionis.** — Recolendum est cum S. Thoma: (1) « Si universalia, ex quibus procedit demonstratio, cognosci possent absque inductione, sequeretur quod homo posset accipere scientiam eorum, quorum non habet sensum. *Sed impossibile est universalia speculari absque inductione* » (2).

Siquidem, quum omnes conceptus nostri aliquo modo a sensibus dependeant, omnia etiam iudicia ab experientia pendent. At sistendo in iis, quae universalia sunt, quaedam 1) statim ac simplices conceptus habiti sunt, ab intellectu sine difficultate statuuntur; uti e. g. *totum est maius sua parte*: $2+3=5$ et huiusmodi, quae vocari solent axiomata vel prima principia. — Alia 2) ex sola argumentatione deductiva inferri possunt, mediante compositione cum aliis conceptibus; et ea sunt quae simpliciter analytica appellantur, et usui sunt in omnibus scientiis mathematicis et Metaphysica praesertim generali. — Quoad cetera vero, 3) in quibus

(1) *Post. Anal.* L. I, l. 30.

(2) Item Aristoteles adverterat: « Non contingit scire aliquid per demonstrationem, nisi quis perspecta habeat prima immediata principia... Si vero accipimus horum cognitionem, quum antea non habeamus, quomodo cognoscere possimus et discere non praecedente cognitione? Nam impossibile hoc est, quemadmodum et de demonstratione dicebamus. Manifestum est igitur, quod neque habere eam possimus, nec possit illa nobis antea ignorantibus, nullumque eorum habitum habentibus, innasci. Necesse ergo est, nos habere aliquam facultatem, at non esse eam talem, quae sit praestantior illis ratione certitudinis. Apparet autem hanc inesse omnibus animalibus... In quibus autem, dum sentiunt, *fit quaedam mansio sensu percepti*, illa possunt retinere *percepta* in anima. Si vero multa talia fiunt, iam existit aequa differentia, ut his quidem *animalibus* ratio nascatur ex talium *in anima reservatorum* memoria; aliis vero non. Ex sensu ergo fit memoria, ut dicimus. Ex memoria autem eiusdem saepius repetita fit experientia. Memoria enim multiplex numero una experientia est ». *Post. Anal.* II, c. ult.

Quae verba commentans S. Th. ibid. l. 20 ait: « Ex memoria multoties facta circa eandem rem in diversis tamen singularibus, fit experimentum; quia expe-

aliae scientiae versantur perfectior requiritur inductio. Ex ipsa enim quamplurima profluunt iudicia universalia, quae ceteras scientias dirigunt, vel earum conclusiones constituunt, imo ipsa eadem philosophia, quamvis nonnulla iudicia ex solo ratiocinio deductivo inferat, plura per inductionem sibi comparat.

Nimirum munus inductionis in eo est, quod principia universalia ac necessaria nobis praebeat, ostendendo *existentiam naturarum universalium* secundum diversas perfectiones quibus in se constituuntur.

Siquidem per simplicem abstractionem intellectus efformat conceptus universales, ut explicavimus in cap. II, a. I, qui quamvis obiectivi sint, praescindunt tamen a reali existentia naturarum universalium et unice exhibent diversas unitates formales earum. Tunc accedat oportet inductio, quae incipiendo ab experientia, primo ostendit existentiam harum naturarum sub aliquo conceptu simplicissimo, sub eo nempe quo primo a nobis cognoscuntur. Ita enascuntur prima iudicia, quae nos recensemus in 1ª classe, et quae primo perficiunt cognitionem nostram.

Haec iudicia non solent ordinarie a philosophis dici *per inductionem* comparata, sed *potius per analysim*. At analysis solum ostendit nexum inter praedicatum et subiectum; ad hoc autem ut ostendatur *existentia* illius naturae, in qua ille nexus reperitur, necesse est cognoscere per experientiam *realem existentiam* saltem subiecti, et si existentiam quoque praedicati cum subiecto per experientiam cognoscimus, clarius adhuc nobis patefit existentia illius naturae. Et haec experientia ea est, quam nos inductionem latiori sensu appellamus, et qua dicimus cognosci *existentiam* naturarum universalium.

rimentum nil aliud videtur quam accipere aliquid ex multis in memoria retentis. Sed tamen experimentum indiget aliqua ratiocinatione circa particularia, per quam confertur unum ad aliud, quod est proprium rationis... Ratio enim ex multis particularibus, in quibus (sensus) expertus est, accipit unum commune, quod firmatur in anima, et considerat illud, absque consideratione alicuius singularium, et hoc accipit *ut principium artis et scientiae* » et inferius « Quia igitur universalium cognitionem accipimus ex singularibus, concludit manifestum esse, quod necesse est prima universalia principia cognoscere per inductionem. Sic enim, scilicet per viam inductionis, sensus facit universale intus in anima, inquantum considerantur omnia singularia ».

Deinceps per nova experimenta ulterior perficitur inductio, qua alia efformantur iudicia universalia quae has naturas universales, iam cognitas uti reales, intime patefaciunt, ac per plures conceptus exhibentes plures earundem perfectiones plenius ac perfectius has naturas nobis aperiunt; et ea sunt quae in 2ª vel 3ª classe recenseri possunt.

178. **Prob. I p.** — Dantur quaedam iudicia per inductionem comparata, quae unum tantum exhibent conceptum per praedicatum importatum, eum nempe qui determinat naturam subiecti, prout ea primo per experientiam nobis innotescit; e. g. *ignis urit*, *quantitas est extensa...*, et huiusmodi. Atqui haec iudicia tamquam necessaria et stricte universalia habenda sunt, etiamsi imperfectissima praecesserit experientia, et ea sunt quae naturarum universalium existentiam nobis manifestant. Ergo. — *Pr. m.* In istis iudiciis praedicatum exhibet naturam subiecti, prout ea primo nobis innotescit per unam perfectionem, quae ex experientia patet in eo adesse. Atqui tunc semper ac adest illud subiectum, idem etiam praedicatum adesse debet. Ergo illa iudicia sunt universalia ac necessaria.

Et sane quidem sufficit exemplum afferre, ut assertio perspicua fiat. Sumantur e. g. *20 corpora*, ex quibus, peracta experientia, apparet *15 urere*, et cetera non; tunc ipsa omnia apprehenduntur sub conceptu *corporis urentis*, atque adeo ut a ceteris secernantur, quae non urunt, nomine *ignis* nuncupantur: et deinde hoc statuitur principium: *omnis ignis urit*, i. e. *omne corpus, quod urit, nomen ignis sibi facit*, vel etiam *conceptus corporis urentis primo exhibet conceptum ignis*. Atqui hoc iudicium est vi principii identitatis evidentissime verum. Ergo illa inductio imperfecta, imo imperfectissima, recte omnino concludit.

Egregie omnino hanc rem exponit S. Thomas evolvendo mentem Arist. (1): « Si accipiantur multa singularia, quae sunt indifferentia quantum ad aliquid unum in eis existens, illud unum secundum quod non differunt, in anima receptum, est primum universale, quicquid sit illud, sive scilicet pertineat ad essentiam

(1) *Poster. Analyt.* L. III, l. 20.

singulorum, sive non. Quia enim invenimus Socratem et Platonem et alios esse indifferentes quantum ad albedinem, accipimus hoc unum, scilicet album, quasi universale quod est accidens. Et similiter, quia invenimus Socratem et Platonem et alios esse indifferentes quantum ad rationabilitatem, (i. e. non differre) hoc unum, in quo non differunt, scilicet rationabile, accipimus quasi universale, quod est differentia.

Qualiter autem hoc unum accipi possit, manifestat consequenter (Aristoteles . Manifestum est enim quod singulare sentitur proprie et per se; sed tamen sensus est *quodammodo* et ipsius universalis. Cognoscit enim Calliam, non solum in quantum est Callias, sed etiam in quantum est *hic homo*, et similiter Socratem, in quantum est *hic homo*. Et inde est, quod tali acceptione in sensu praeexistente, *anima intellĕctiva* potest considerare hominem in utroque. Si autem ita esset, quod sensus apprehenderet solum id quod est particularitatis, et nullo modo cum hoc apprehenderet universale in particulari, non esset possibile quod ex apprehensione sensus causaretur in nobis cognitio universalis.

Et hoc idem manifestat consequenter in processu, qui est a speciebus ad genus, et subdit, quod iterum in his, scilicet in homine et equo, anima stat per considerationem,... quousque perveniatur ad commune animal, quod est genus superius ».

179. **Dices.** I. In hoc indicio praedicatum formaliter invenitur in subiecto. Atqui hoc est iudicium analyticum non autem per indúctionem comparatum. Ergo. — *R. C. M.;* et *d. m.*;... si abstracte tantum consideratur *c.;* si consideratur ut exhibens aliquam naturam realiter existentem *n.* — Inductio igitur ad hoc requiritur, ut haec iudicia exhibeant *existentiam* naturarum universalium. Huiusmodi enim iudicia semper circa aliquam rem in natura existentem versantur, et eo spectant ut nobis ostendant, revera existere in pluribus individuis aliquam eandem perfectionem ita constitutam, et tunc ipsi aliquod nomen tribuitur e. g. *ignis*, et additur; illa perfectio, per istud nomen importata, revera est haec, e. g. *urit*. Et in hoc differunt haec iudicia, experimentalia, ab illis, quae sunt pure mathematica, ac per solam analysim comparantur, ista enim versantur tantum circa rerum essentias in seipsis et abstracte spectatas. Contra vero in scientiis physicis necnon in pluribus philosophiae praesertim metaphysicae specialis quaestionibus, prae oculis semper habentur determinatae quaedam naturae.

II. Haec iudicia nequeunt evadere universalia, nisi ostendatur, praedicatum exhibere naturam subiecti. Atqui hoc nequit ostendi. Ergo. — *R. D. M.;* naturam, prout ea primo a nobis cognoscitur, ut distincta a natura aliarum rerum, *c.;* prout primo constituitur in se seu in ordine ontologico *n.* — *Contrad. m.*

III. Haec iudicia exhibent aliquod accidens subiecti. Atqui accidens nullo modo constituit naturam illius subiecti. Ergo. —

R. D. M.; accidens proprium, *c.;* accidens non proprium quod fundat quintum praedicabile, *n.* — *Contrad m.;* accidens non proprium, *c.;* proprium, *subd.;* ipsa perfectio seu realitas huius accidentis, *c.;* exigentia huius perfectionis, *n.*

IV. Haec iudicia fieri nequeunt, nisi distinguantur accidentia propria a communibus. Atqui haec distinctio fieri nequit nisi post longam experientiam. Ergo. — *R. D. M.;* i. e. nisi saltem cognoscatur aliquod accidens proprium, *c.;* omnia, *n.* — *Contrad. m.;*... distinguere omnia accidentia propria a communibus requirit longam experientiam, *c.;* cognoscere saltem unum, *subd.;* semper, *n.;* quandoque tantum, *c.*

180. **Corollaria**. — Hinc colligis: 1° Ita apparet quomodo in istis iudiciis subiectum tenet locum rei et praedicatum locum intellectus cognoscentis, et ideo quum intellectus ea affirmet, revera adaequationem sui cum re affirmat.

II. Quamvis haec iudicia cum Kant dici possint *declarativa*, non extensiva cognitionis, quum in eis revera praedicatum formaliter in subiecto reperiatur, ipsa tamen revera cognitionem nostram perficiunt, quia per eadem existentia ac ratio naturarum in rebus existentium nobis patefit.

III. Sed attendendum est, haec omnia, quae diximus, per se non valere nisi de illis iudiciis, in quibus una perfectio in praedicato enunciatur, uti patet in exemplis allatis, et idcirco ea sunt, quae ut plurimum inadaequate rerum naturas patefaciunt. Quoad illa vero, quae duas exhibent perfectiones, res non eodem modo se habet, et ea attendenda sunt, quae in altera parte mox explicanda erunt.

IV. Ergo omnia iudicia, per hanc inductionem comparata, necessaria sunt et universalia; imo vocanda sunt iudicia analytica immediate nota etiam quoad nos, in quibus praedicatum formaliter inest subiecto, ut explicavimus in n. 158.

181. **Prob. II p. — Praenota.** — Quoad iudicia vero in quibus plures perfectiones alicuius naturae simul componuntur, haec advertenda sunt.

Habito primo iudicio, uti nuper explicavimus, possum vel *a*) praedicare aliam perfectionem de eodem subiecto, cum quo constanter est coniuncta, hinc novum efformo iudicium, in quo idem subiectum cognoscitur per duas perfectiones; vel *b*) invenire in priori praedicato aliam perfectionem, quae cum eo, aut unam constituat naturam, aut necessario est coniuncta ut eius proprietas, ita ut non possit prior adesse perfectio, nisi et haec altera habeatur, et tunc iterum novum efformo iudicium, in quo de eodem subiecto duas praedico perfectiones.

Iamvero prior casus maiorem exposcit experientiam, et de eo sermo erit in thesi sequenti. Pro altero casu autem sufficit minima experientia, et potius insistendum est in analysi, ope ratiocinii, quo ille nexus necessarius ostendatur, et simul demonstretur utrum duae illae perfectiones unam constituant naturam, vel se habeant ut natura et proprietas necessario cum ea connexa.

Argumentum. — Haec inductio tunc locum obtinet, quum in omnibus casibus, quos experimur, perfectionem aliquam invenimus, e. g. *rationalis*, semper coniunctam cum *animali*, et tunc analysi subiicimus hos conceptus, ac facile deprehendimus priorem necessario alterum praerequirere, ergo in omnibus, etiam in illis, quos adhuc experti non sumus, istae perfectiones simul coniunctae sunt; ideoque *omne rationale est animal*. Atqui iam protulimus hoc iudicium: *omnis homo est rationalis*, ergo merito hoc alterum proferre possumus: *omnis homo est animal rationale;* quod eadem necessitate et universalitate gaudet ac prius. Ergo iterum haec iudicia, quamvis per imperfectam inductionem comparata, tamquam stricte universalia habenda sunt.

Item tunc possunt fieri iudicia universalia, quae exhibent naturas rerum per plures conceptus seu perfectiones, quum demonstretur eas necessario esse coniunctas, vel prout unam constituant naturam, vel prout altera sit proprietas alterius. Atqui hoc clare potest constare facili adhibita inductione, in qua deprehenditur una perfectio semper cum altera coniuncta, et tunc ope ratiocinii deductivi elucet, quod ratio, cur una perfectio cum altera coniuncta reperiatur, in eo est, vel quod una sit de ratione alterius, cum qua unam efformat naturam, vel quod necessario eam consequitur. Ergo hoc iudicium debet esse necessarium et universale, sicut primum.

182. **Conclusio.** — Inductio igitur ad id inservit: — 1° ut iudicia simplicia proferamus, quae naturas rerum primo nobis exhibent, inquantum *existentiam ipsarum* extra mentem nobis ostendunt. Et haec omnia sunt infallibiliter vera, universalia ac necessaria. — 2° Ut alia efformemus

iudicia, quae ipsas rerum naturas perfectius nobis aperiant, et huiusmodi iudicia non ex sola inductione efflorescunt, sed quam maxime ope ratiocinii exoriuntur. Et eadem universalitate ac necessitate gaudent, uti priora. Iamvero ista de se omnia analytica essent, sed inductio requiritur, per quam deprehendimus illam perfectionem cum altera semper inveniri, ac dein sedulo examine intellectus percipimus ab ea praerequiri, seu esse de ratione ipsius et consequenter virtualiter in ea inveniri. Hinc eruitur in eis inductionem et analysim invicem iuvari ac perfici; sed per inductionem ostenditur, *quia sunt*, per analysim vero, *propter quid sunt*. Iamvero ex hoc nexu, qui inter analysim et inductionem intercedit, melius patent ea omnia quae in thesi XXVIII explanavimus praesertim in n. 158, 159. Ac proinde elucet quomodo ex utraque clare aperteque efflorescere possunt iudicia universalia et necessaria valore obiectivo praedita, quae a rebus ipsis hauriuntur.

3° Tandem per inductionem alia iudicia adhuc efformanda occurrunt, in quibus non apparet una perfectio esse de ratione alterius, quamvis forte ita sit. Huiusmodi iudicia ea sunt, quae in tertia recensentur classe, quaeque unice a nonnullis dicuntur per inductionem comparari: de iis igitur fusius modo loquendum erit.

Thesis XXXIII.

Per inductionem incompletam, vi principii causalitatis multa efflorescere possunt iudicia stricte universalia, quibus rerum proprietates nobis innoscunt.

183. **Duplex inductionis elementum.** — In hac inductione quam maxime secernendum est elementum *materiale*, quod per meram experientiam comparatur, ab *elemento* formali, quod in principio quodam analytico innititur.

Et quoad primum recolendum est, quandoque per experientiam perfectiones quasdam deprehendi inter se coniunctas, ita tamen ut statim non appareat, unam necessario alteram praerequirere. Tunc res difficilior evadit, et ideo adhuc magis in inductione adlaborandum est, plura subiecta experimento subiicienda sunt, in diversis circumstantiis, cum variis accidentibus et ita porro.

Haec omnia ea sunt, quae *elementum materiale* inductionis constituunt, et ad ipsum spectant leges ac regulae a recentioribus traditae necnon conditiones ab eis praerequisitae ad huiusmodi experimenta rite peragenda. Sed, quamvis ea omnia spernenda non sint, minime tamen putandum est, in eis praesertim niti totum inductionis valorem ad rite concludendum. Sed de istis inferius loquendum erit.

Nunc interim dicimus, quod hoc elementum huc spectat ut huiusmodi experimentis, iuxta illas leges ac regulas a recentioribus traditas, rite peractis, eo deveniatur ut revera dici possit, *unam perfectionem necessario esse cum altera connexam.* Ac proinde accedente ei *elemento formali*, conflatur perfecta illa inductio, seu argumentatio inductiva, quae ex illis individuis, experimento subactis, iudicium universale ac necessarium inferre valet.

Hoc elementum est ratiocinium, quod remote nititur in principio causalitatis: i. e. *idem effectus eandem exposcit causam* et proxime in aliis principiis, quae in dialectica innuimus (n. 150). Quapropter hoc unum in praesenti contendimus videlicet, semel ac plene adest elementum illud materiale inductionis, mens potest tale argumentum instituere, ex quo iudicium aliquod universale ac necessarium eruat, quod obiectivo valore evidentissime gaudet.

184. **Probatur.** — Et sane in hac inductione post quaedam experimenta percipitur quaedam perfectio alteram comitari: e. g. quod *nix est alba*, *ignis corpora dilatat*, ita ut in omnibus casibus, quos homines hucusque experti sint, albedo semper nivem sequatur et corporum dilatatio ignem. Atqui nulla alia sufficiens ratio huius facti haberi potest, nisi haec; quia albedo est proprietas nivis, seu albedo competit ei qua est nix, dilatatio corporis est operatio propria ignis, quae ipsi convenit qua est ignis. Ergo istae perfectiones dicendae sunt proprietates illarum naturarum. Atqui rursus « idem effectus eandem exposcit causam », seu « ubi eadem natura est, eadem quoque proprietas et operatio haberi debet ». Ergo merito infertur illa perfectio in omni nive et calore inveniri, seu omnia subiecta, quae nivis aut caloris naturam habent, sunt etiam alba aut corpora dilatant. Ac proinde haec iudicia universalia: *omnis nix est alba*, *omnis ignis corpora dilatat*, sunt certa ac necessaria.

Sed hinc faciliter liquet in hoc tertio casu, tunc per inductionem posse iudicium illud universale ac necessarium proferri, quando per eam eo devenitur, ut clare pateat ali-

quam perfectionem esse *proprietatem alterius*, quam ideo necessario consequitur. Quapropter si hoc evidenter ex inductione elucet; tunc iudicium illud universale est prorsus indubium: secus erit iudicium tantum particulare seu *comparativum*, ut ait Kant, aut forte plus minusve probabile.

Medium vero omnino necessarium, quo pateat huiusmodi nexus, reperitur in elemento materiali. Inde est, cur recentiores fere unice de hoc elemento solliciti sunt. Nos inferius conabimur de eo multa disserere; at semper advertimus ipsum idem elementum, etsi optime excultum, nullum habere valorem, nisi communiatur ab elemento formali, de quo adhuc alia addenda sunt, ut pateat adversariorum error, qui ipsum vel neglexerint, vel male proposuerint, et propterea verum inductionis valorem labefactarunt.

Difficultates, quae fieri possent, vel iam praeoccupatae sunt, vel plenius ex iis quae sequuntur, solvi possunt (1).

185. **Corollarium.** — I. *Ergo falsa est opinio Wolfii*, qui asserit per inductionem nil aliud haberi nisi solam probabilitatem. Hanc ipse statuit thesim (2). « Si quid in pluribus subiectis eiusdem generis vel speciei constanter observatur, nec unquam, etsi eadem subiecta frequentis sint observationis, contrarium deprehensum, id inter attributa vel essentialia referri debere *probabile est* ». Sed revera hic evidenter apparet: — *a*) ipsum inductionem restringere ad illa tantum iudicia, quae in tertia classe recensuimus; quoad alia enim sua thesis esset nimis absurda. — *b*) Praeterea ipse aliud in inductione elementum non agnoscit nisi experimentale seu materiale, et negligit principium illud analyticum, quod inservit ad universalem certitudinem praebendam iudicio experimentali. — Hinc *c*) infert, iudicium tantum particulare esse certum, et universale vix probabile. Sed tandem — *d*) si ipse, ut videtur, tueri vellet, etiam illud principium analyticum, vi cuius inductio ad iudicia universalia proferenda deducitur, esse tantum probabile, tunc ipsum a veritate prorsus aberrare asserimus. Illud immediate eruitur ex principio rationis sufficientis, ac proinde ut ratum ac indubium haberi debet. Sed ipse potius videtur aliud principium inductionis agnoscere, quod nempe Hume recensuit, ac revera, uti videbimus, si solum et unice consideratur, non gignit nisi probabilitatem. At nostra sententia statuta, necessario opinio Wolfii ruat oportet.

II. Ergo patet, in quo potissimum Kant deceptus sit. Neque ipse enim curavit naturam iudiciorum 1ae et 2ae classis ad truti-

(1) Videsis P. Pesch, l. c. n. 748.
(2) Cfr. *Log.* pars 2a, § 674.

nam revocare, ut inspiceret, quomodo per inductionem late dictam comparari queant, et a rebus hauriri. Ea autem ut analytica iuxta sua principia agnoscere non poterat. Insuper non spectavit principium illud, in quo inductio sumpta strictiori sensu pro iudiciis 3ae classis fundatur, ut iudicia, quae in ea proferuntur, universalia ac necessaria evadant. Imo neque poterat ipsum ut analyticum admittere eandem ob rationem. Contra ea in mente tantummodo versavit principium, quod Hume protulit et, ut inferius videbimus, merito advertit ipsum non sufficere. Atque adeo omnem sibi praeclusit viam, ad inveniendum modum, quo obiectivum valorem horum iudiciorum vindicaret. Necessario igitur etiam pro istis iudiciis adstruere conatus est formas quasdam, quibus ea tamquam iudicia synthetica a priori efformantur.

III. Ergo vera inductio perfici nequit, nullo adhibito principio analytico et argumento deductivo. In hoc maxime offendit Baco a Verulamio, qui, ut recte ait P. Pesch (1), « quum primus inter recentiores maiore cum diligentia de inductione diceret, ipse naturam et vim logicam vix tetigit, sed totus erat in constituendis praeceptis, quae in usu inductionis utilia esse possunt ». Quem adhuc peius secuti sunt Empiristae omnes. Sed, ut addit idem P. Pesch, « non animadvertit vir doctissimus, scite quidem a se praecipi, quae ad rem, quae agatur, nullo modo pertineant. *Vis* enim *logica* inductionis in quaestione versatur; non vero, quae sit in inductione servanda methodus, quaeritur. Videndum igitur, quam ob causam positis praemissis inductivis de veritate conclusionis nobis certo persuasum esse possit ».

Et ideo recte inductio vocatur ratiocinium mixtum; quod nempe ex experientia et iudiciis analyticis exurgit.

At nunc necesse est ad examen revocare aliud principium, quod recentiores tamquam fundamentum inductionis statuunt, nempe *praeterito futurum simile fore*.

Thesis XXXIV.

Principium istud: " futurum est simile praeterito ,, nullo modo est agnoscendum ut fundamentum inductionis, sed potius ut eius effectus seu conclusio; ac proinde vana sunt ea omnia, quae ad ipsum adstruendum congeruntur.

186. **Principium recentiorum.** — Ipsi neglectis scholasticorum principiis, hoc aliud protulerunt.

David Hume, qui huius sententiae si non auctor certe propugnator fuit, concludit tamen, illud principium non esse

(1) *Loco cit.* n. 743, et 748.

verum, ac proinde iuxta ipsum inductionem falso inniti fundamento et in incertum semper nutare. Quum vero adverterit quamplurima iudicia ex inductione et omnia ex experientia ortum habere, intulit in scepticismum esse concedendum. Thomas Reid ad hunc vitandum errorem ad caecum naturae instinctum recurrit; Kant, uti vidimus, ad iudicia synthetica a priori se confugit, valorem inductionis denegando; Galluppi conatus est ostendere, principium illud esse veritatem empiricam. Sed omnes in ea fuerunt sententia, quod principium illud sit fundamentum inductionis. Contra hos omnes statuitur nostra doctrina in thesi enunciata.

187. **Prob. I p.** — Quae ex th. antec. facile eruitur. Et sane ut in iudiciis tertiae classis sistamus, de quibus tantum quaestio esse potest, ipsa fundantur in hoc principio, quod antea retulimus ; « ubi eadem natura est, eadem quoque proprietas esse debet ». Atqui ex hoc uno principio inductio incompleta plene ac perfecte sufficiens evadit, ut iudicium universale ac necessarium enuncietur, quin ullo pacto altero indigeat, uti modo satis probavimus. Ergo.

Prob. II p. — Peracta inductione incompleta sed vere sufficienti, vi illius principii analytici, enunciatur iudicium quoddam universale, quod ideo valet de omnibus individuis, sive quae sunt aut fuerunt, sive quae erunt. Atqui ex hoc rite infertur illud principium : futurum est simile praeterito : scilicet non omne futurum est simile praeterito, sed illud individuum futurum huius naturae habebit etiam hanc proprietatem, sicut individuum praeteritum. Et hoc semper vi illius principii : « ubi eadem natura est, eadem quoque proprietas esse debet ». Ergo.

Prob. III p. — Quae facile patet. Intantum hoc principium ut certum ac ratum admitti potest, inquantum est effectus seu conclusio inductionis. Vel clarius : veritas huius principii demonstrari nequit, nisi inferatur tamquam conclusio alicuius inductionis, uti nuper diximus. Atqui ii, qui hoc principium tamquam fundamentum inductionis statuunt, nequeunt ullo modo huiusmodi demonstrationem conficere. Ergo vana sunt, quae ad ipsum tuendum proferunt.

Nihilominus praestat magis directe inanitatem eorum demostrationis ostendere. Et praeprimis contra omnes dicimus, eorum argumenta peccare falso supposito. Ipsi enim ut ratum habent, hoc principium esse fundamentum inductionis: et ita quaerunt, quomodo eius veritas demonstrari possit, ut vis inductionis firmetur. Atqui illud suppositum est falsum. Ergo argumenta, quae ipsi quaerunt et in medium proferre conantur, sunt saltem inutilia. Imo ut falsa etiam reiicienda sunt.

188. **Explicationes recentiorum reiiciuntur.** — Primo contra *Hume* advertimus, verum esse hoc principium non posse tamquam certum admitti, si ipsum supponatur esse inductionis fundamentum. At hoc ipsum suppositum falsum est. Ac proinde reiicienda quoque est eius conclusio: in scepticismum esse concedendum.

Contra ***Reid*** autem asserimus, illud principium nullo prorsus modo probari posse ex caeco naturae instinctu. Nam ipse ita argumentatur (1). Principium inductionis est hoc principium analogiae: i. e. similes effectus similes habent causas. Ipsum autem fundatur in stabilitate legum naturae, quam nobis revelat internum quoddam lumen, vi cuius inspicimus futurum in praeterito, et fidenter asserimus de futuro quod in praeterito experti sumus. Nos contra ita respondemus. — *D. M.;* est simplex illud principium analogiae, *n.;* est illud principium, prout includitur in altero universaliori, i. e. similis proprietas requirit similem naturam, ex qua necessario fluit, *c.* — *D.* 1^am^ *p. m.;* proxime et inadaequate, *c.;* remote et adaequate, *n.;* et *d.* 2^am^ *p.;* quam revelat lumen quoddam instinctivum ac veluti mysteriosum, *n.;* lumen quod habetur ex ipso principio rationis sufficientis, *c.* Scilicet principium inductionis non est simplex quaedam analogia inter quosdam effectus, ex qua assurgitur ad easdem causas, sed est intima connexio alicuius perfectionis cum altera, quae a priori necessario exigitur. Ita ut, ubi haec eadem perfectio habetur, et altera adsit oporteat; hinc enascitur stabilitas legum naturae. Et praeterea hoc principium non efflorescit ex quodam mysterioso lumine, vel ex quodam caeco naturae instinctu, sed immediate ex ipso principio rationis sufficientis. Ac tandem ex illo priori sequitur hoc alterum: *futurum est simile praeterito* tamquam conclusio. Falsum igitur est, quod ipse idem concludit; universalitatem nempe iudicii, ex inductione incompleta prolati, procedere ex quodam naturali instinctu, qui neque in experientia, neque in ratiocinio fundatur.

Galluppi vero conatur sententiam Reidii aliquo modo per-

(1) Cfr. v. I, *fragm. V*, et idem alibi repetit.

ficere (1), aiendo, hoc principium admittendum esse uti *experimentale*.

Sed eius sententia non videtur sustineri posse. Et primo quidem, ut recte aiebat Hume, experientia nullo modo de futuro esse potest; atqui principium illud ad id inservit ut aliquid de futuro enuncietur. Ergo nequit esse experimentale. Praeterea ipse male confundit hoc principium cum altero: i. e. similes effectus similes habent causas. Illud enim est tantum conclusio istius, et istud iterum in alio fundatur: nempe, *eadem natura eandem requirit proprietatem*, quod tandem in principio rationis sufficienis immediate innititur. Hinc ergo colligitur; si illud principium abstracte in se spectatur, est analyticum, non immediate notum sed mediantibus illis, quae exposuimus, et in quibus revera inductio fundatur. Si vero concrete inspicitur, prout nempe huic vel illi veritati applicatur, tunc est revera effectus inductionis, et ideo fundatur etiam in experientia. Non possum enim illud principium huic veritati, e. g.: *omnia corpora sunt gravia*, applicare, nisi iam quadam facta inductione, ex qua una simul cum illo principio, de quo saepe locuti sumus, illud iudicium infertur, et consequenter dicitur: omne corpus futurum erit grave sicut praeteritum (2).

Quapropter est prorsus verum quod ipse asserit contra Dugald-Stewart, qui ut ipse ait (ib.) « confonde l'analogia produttiva di conoscenze certe con quella che produce congetture ». Sed si ipse in sua manet sententia, ad hanc etiam conclusionem logice devenire deberet.

Quoad Kant vero sufficit advertere, ipsum ideo dumtaxat suam protulisse sententiam, quia cum Hume putavit, inductionem nullum habere ratum fundamentum, quo universalia ac necessaria iudicia enunciare queat. Atqui demonstravimus adesse hoc fundamentum, quod non est illud quod Hume adstruxit. Ergo ipsa reiicienda est.

Evidens igitur est, omnia argumenta et explicationes, quae a recentioribus afferuntur ad illud principium statuendum, tamquam inductionis fundamentum nullo gaudere valore.

(1) Asserit enim in *Lez. di log.* v. 1, lez. XXXI: « Due sono i fondamenti della scienza di cui parliamo: uno si è la facoltà di cui è dotato lo spirito umano di comparare i fatti particolari, e di ottenere in seguito di questa comparazione per mezzo dell'astrazione una conoscenza universale: l'altro si è la stabilità del corso della natura, cioè la *similitudine del futuro col passato* ». Et paulo post ait: « Il dire che soggetti simili son dotati di qualità simili e che effetti simili derivano da cause simili, è un dire ancora che il futuro sarà simile al passato ». Hinc ipse infert hoc esse principium, in quo inductio fundatur, et ideo curat eius veritatem demonstrare asserendo, (in lect. 32) « l'esperienza ci manifesta i principii dell'analogia che abbiamo enunciati, e che in conseguenza la costanza dell'ordine della natura, e perciò la similitudine del futuro col presente è una verità sperimentale ».

(2) Clare hanc quaestionem solvit P. Liberatore in *Log., pars alt.* n. 145: vide etiam quae in hoc toto art. ipse habet.

189. **Quaestiunculae.** - **I. Quaenam est certitudo istorum iudiciorum? — Resp.** Quoad iudicia 1ae et 2ae classis, certitudo est metaphysica. Ipsa enim versantur circa essentias rerum. Atqui huiusmodi iudicia sunt certa certitudine metaphysica. Ergo. Quoad iudicia tertiae classis oportet distinguere inter exigentiam alicuius proprietatis et ipsam proprietatem. Videlicet quod aliqua perfectio seu natura exigat aliquam proprietatem, hoc est certum certitudine metaphysica, et ideo nunquam oppositum accidere potest. Quod actu illam habeat, est certum certitudine physica, quia fundatur in stabilitate legum naturae.

II. **Quid dicendum de inductione circa mores seu actiones hominum? — Resp.** Ipsa innititur tantum in observantia legum moralium. Quare non potest nisi certitudinem moralem gignere; sed ut plurimum nonnisi solam gignit probabilitatem. Hoc apparet praesertim in iudiciis, quae in philosophia historiae fundantur, quum nempe quis ex studio ac profunda inquisitione factorum, quae in historia exhibentur, corollaria infert, seu iudicia profert, quae saepe magnae utilitatis sunt in hominum vita.

III. **Quid dicendum de inductione imperfecta, quam analogiam vocant? — Resp.** Haec argumentandi ratio est saepe in usu non solum in hominum vita ac disciplina, sed etiam in ipsis scientiis, cum nempe alia non suppetunt argumenta ad quosdam effectus explicandos. Sed ipsa revera nunquam probabilitatis limites excedit. Analogia enim est similitudo imperfecta, et ex illa argumentatur, quum quis aliquot effectus deprehendit, qui ab aliqua profluunt causa, quamvis non necessario, et possint etiam ab alia produci; et ita intellectus inducitur, semper ac similes effectus advertit, ad iudicandum, quod illa eadem habeatur causa. Et vicissim quum aliqua causa perspicitur quosdam producere effectus, quamvis non necessario, iterum iudicatur, eosdem effectus haberi, quum similis adsit causa (1).

Et haec videntur sufficere ad *formale inductionis ele-*

(1) Cfr. P. Pesch, *loco cit.*, n. 751, 752: vide etiam quae explicavimus in *Dialectica*, n. 159.

mentum quod attinet. Nunc quaedam summis labiis attingenda sunt circa elementum materiale, determinando ea, quae necessaria sunt ad ipsum nobis comparandum.

Thesis XXXV.

Elementum materiale inductionis conflatur quum: a) ***primo peragitur experientia alicuius phaenomeni in diversis rerum adiunctis;*** b) ***independenter ab omni praeiudicio;*** c) ***dein statuitur hypothesis quaedam, in se non repugnans et apta ad rem explicandam;*** d) ***ac tandem nova experimenta provocantur quae hanc hypothesim confirmare valeant.***

190. **Status quaestionis.** — Valor inductionis stricte dictae praecipue pendet ab eius elemento materiali. Ut enim innuimus in n. 172, quousque clare non apparet unam perfectionem esse revera semper cum alia coniunctam, praecise ratione istius et non ratione alterius, nequit efformari iudicium universale certum. E re igitur est perpendere ea omnia saltem praecipua, quae requiruntur ad hoc elementum comparandum, et in hoc quam maxime utimur legibus ac praeceptis a recentioribus traditis.

Et primo dicimus hoc elementum comparari per experientiam, peragendam iuxta ea quae explicavimus n. 130... et seq. Ac proinde requiritur: *a*) ut sensus sint bene dispositi ac rite applicati circa proprium obiectum. *b*) Unde quo magis perficiuntur sensus, eo melius ac facilius inserviunt ad eam peragendam. *c*) Hinc sequitur magnam esse utilitatem instrumentorum physicorum, quae nostra aetate ad hunc finem adinveniuntur; quibus proinde debetur maximus in scientiis experimentalibus progressus.

Haec autem experientia adhibenda est *in diversis circumstantiis*, ita ut appareat illud phaenomenon enasci ex aliqua natura fixa ac determinata, non autem ex fortuita coniunctione illarum circumstantiarum: *et independenter a praeconcepto*, seu *praeiudicio*, quia primo et per se incipiendum est a factis experimentalibus, quae nos movent.

191. **De Methodo ad rectam experientiam peragendam.** — Ad investigandum aliquod phaenomenon, ut eius propria natura appareat constans ac realis, non omnia facta promiscue exa-

minanda sunt, sed ea seligenda, quae clarius rem ostendunt, et magis inserviunt ad eius constantiam statuendam. Haec facta Baco vocat *privilegiata* seu praerogativas : et ad 27 species reducit. Praecipua huiusmodi esse videntur.

a) *Instantiae solitariae* « quae exhibent naturam, de qua fit inquisitio, in talibus subiectis quae nil habent commune cum aliis subiectis, praeter illam ipsam naturam; aut rursus quae non exhibent naturam, de qua fit inquisitio, in talibus subiectis, quae sunt similia per omnia cum aliis subiectis praeter quam in illa ipsa natura » (22).

b) *Instantiae migrantes* « eae sunt, in quibus natura inquisita migrat ad generationem, cum prius non existeret; aut contra migrat ad corruptionem, cum prius existeret » (23).

c) *Instantiae ostensivae* seu liberatae aut praedominantes « eae sunt, quae ostendunt naturam nudam et substantivam, aut etiam in exaltatione sua aut summo gradu potentiae suae, liberatam ab impedimentis.... » (24).

d. *Instantiae clandestinae* « sunt veluti oppositae ostensivis. Exhibent enim naturam inquisitam in infima virtute, et tamquam in incunabulis et rudimentis suis tentantem et tamquam primo experientem, sed sub contraria natura latentem et subactam » (25).

e *Instantiae conformes* « sunt tamquam primi et infimi gradus ad unionem naturae » (27).

f *Instantiae irregulares* et *instantiae deviantes* « eae sunt, quae ostendunt corpora in concreto, quae videntur esse extravagantia, et quasi abrupta in natura, et minime convenire cum aliis rebus eiusdem generis » (28).

g *Instantiae comitatus* atque *hostiles* seu instantiae *propositionum fixarum* « eae sunt, quae exhibent aliquod corpus, in quo natura inquisita perpetuo sequatur, tamquam comes quidam individuus; aut contra in quo natura inquisita perpetuo fugiat, atque ex comitatu excludatur, ut hostis et inimicus ».

h *Instantiae crucis* « translato vocabulo a crucibus, quae erectae in Biviis indicant viarum separationes. Earum ratio talis est. Cum in inquisitione naturae alicuius intellectus ponitur tamquam in aequilibrio, ut incertus sit utri naturarum e duabus vel quandoque pluribus causa naturae inquisitae attribui debeat... Instantiae crucis ostendunt consortium unius ex naturis (quoad naturam inquisitam) fixum et indissolubile, alterius autem varium et separabile... » (36).

Huiusmodi experientia peracta, labor intellectualis accedat oportet ad investigandam causam immediatam et sufficientem illius phaenomeni. Ad hoc iuvat unam vel alteram statuere *hypothesim*, et deinde nova provocare experimenta, quae aut eius veritatem confirment, aut viam aperiant ad aliam meliorem adinveniendam.

192. **Quid Hypothesis**. — Ea est *enunciatio aliqua, quae assumitur uti vera ad explicandum aliquod factum*, seu ad assignandum eiusdem causam, vel propriam rationem. Ipsa recte vocatur a Bacone *processus anticipationis* (1); quia nondum cognoscitur, utrum vera sit, supponitur tamen vera, ut adhiberi valeat ad explicandum phaenomenon illud constans ex priori experientia detectum.

Ea vero praeter proprietates expositas in *Dialect*, n. 160 praesertim requirit, ut nexum quendam habeat cum phaenomeno explicando, et prout iste maior vel minor adest, magis quoque vel minus ipsa probanda erit (2). Semel autem praesupposita, efficiendum est ut demonstretur vera. Et hoc evincitur, aut ostendendo, per ratiocinium deductivum, necessitatem illius nexus cum phaenomeno, aut alias conclusiones ex ea inferendo, quae cum illo phaenomeno iterum connectuntur (3).

Quomodo confirmetur hypothesis. — Ad hoc altera adhibenda est experientia, quae a Bacone dicitur (4) *experientia litterata vel venatio Panis*, et ut idem addit, *sagacitas potius est et odoratio quaedam venatica quam scientia.* Haec autem a priore in eo differt, quod illa veluti naturaliter sese offert, ista vero directe ponitur seu *provocatur*, ut aiunt, in illa hypothesi, ut pateat, utrum adsit quaesitus nexus necne (5). Quare prior simpliciter appellatur *observatio*, altera potius *experimentum*, quod expostulat etiam quasdam regulas, a quibus dirigatur, ut valeat illam hypothesim comprobare. Baco (6) octo recenset regulas seu modos huiusmodi experimenta peragendi, quae huiusmodi sunt:

(1) Cfr. *De Dignitate scientiar.* L. V., cap. III.

(2) Ad rem advertit Cl. Bernard « *Introduction...* », P. I., ch. II, s. 2, p. 59. « Il n'y a pas des règles à donner pour faire naître à propos d'une observation, un'idée juste et feconde... Son apparition est toute spontanée... C'est un sentiment particulier, un *quid proprium* qui constitue l'originalité, l'invention ou le génie de chacun ».

(3) Unde bene ait St. Mill, *Système de Logique*, L. III, ch. XIV, s. 4, T. II, p. 9, 10, quod aliqua hypothesis tunc uti vera in se certo demonstratur, quando eius necessitas ostenditur. « Si la loi hypothetiquement établie conduit à des résultats vrais, ce sera la preuve qu'elle est elle-même vraie, pourvu que le cas soit tel qu'une loi fausse ne puisse pas conduire aussi à un résultat vrai, et qu'aucune loi, autre que la loi supposée, ne conduise aux mêmes conclusions. Et c'est ce que réalise souvent ».

(4) L. citato L. V, c. II.

(5) « Quemadmodum enim, ait Baco (*De Dignitate...* L. II, c. II), ingenium alicuius haud bene noris aut probaris, nisi eum irritaveris; neque Proteus se in varias rerum facies vertere solitus est nisi manicis arcte comprehensus, similiter etiam natura arte irritata et vexata, se clarius prodit, quam sibi libere permittitur ». — « L'observateur écoute la nature, écrit Cuvier, l'expérimentateur l'interroge et la force à se dévoiler ». Cfr. etiam Cl. Bernard « *Introduction...* » l. c. p. 35, 36.

(6) L. citato *De Dignitate.*

1° **Variatio experimenti,** quod nempe in diversis circumstantiis loci, temporis, durationis, coloris subiectorum... efficiendum est.

2° **Productio,** idest repetendum in proportionibus semper maioribus, ut facilius per sensus percipiatur.

3° **Translatio,** transferendo processum, adhibitum in experimento alicuius generis phaenomenorum, ad alind genus, e. g. sicut adinventum est remedium ad iuvandum debilem oculorum visum, inveniri potest aliud ad iuvandum debilem aurium auditum.

4° **Inversio,** conficiendo experimentum oppositum priori, e. g. peracta analysi aquae in sua elementa, fiat compositio ex eis.

5° **Compulsio,** augendo vim experimenti usque ad destructionem proprietatis, quae experientiae subiicitur, e. g. liquefaciendo aliquod gaz ad investigandam eius compressibilitatem.

6° **Applicatio,** applicando experimentum ad alios casus, ad novam utilitatem ex eo capessendam.

7° **Copulatio,** coniungendo simul plura experimenta ob eundem finem ac antea.

8° **Sortes** sunt nempe quaedam tentamina, quae circa aliquod corpus exercentur, ad experiendum, utrum gignat quoddam phaenomenon.

Profecto hinc facile colligitur, non semper necesse esse omnes istas experimentorum formas adhibere, ad veritatem alicuius hypothesis suadendam. Nihilominus omnes utiles sunt ad nova phaenomena experienda, ac nexum inter ea adinveniendum, ex quo illa hypothesis confirmatur, vel nova comprobatur. Istis praestitutis probatio facilis est.

193. **Prob. I p.** — Fundamentum materiale inductionis illud est, quod ostendit factum quoddam reale, constans, a nobis certo et infallibiliter cognitum, ex quo possit deinceps intellectus, vi principii causalitatis, iudicium quoddam universale ac necessarium inferre. Atqui hoc factum habetur, quum adest experientia alicuius phaenomeni constanter producti ab aliqua causa determinata in diversis circumstantiis temporis, loci ac subiectorum. Ergo.

Prob. m. — Phaenomenon, ita productum, est factum reale sensibile, obiectum proprium alicuius sensus, qui proinde infallibilis est in attingendo illud. Ergo cognitio intellectiva, quae immediate huius sensus testimonium consequitur, certo et infallibiliter refert obiectum aliquod reale. Insuper quum

hoc idem deprehenditur in diversis circumstantiis temporis, loci, subiectorum, manifesto se prodit ut aliquid constans, non autem casuale vel fortuitum. Ergo ipsum tum *reale* tum *constans* a nobis certo cognoscitur.

194. **Prob. II p.** — Et sane, materia inductionis debet unice et exclusive desumi ex factis obiectivis ac realibus. Atqui hoc tunc solum habetur, quum experientia peragitur *independenter a quocumque praeconceptu*. Ita enim intellectus unice innititur testimonio sensuum, qui proprium obiectum infallibiliter percipiunt. Ergo.

Praeterea si quis a quodam praeconceptu dependens est in experientia peragenda, reapse non sese accomodat phaenomeno reali, ex quo tantum iudicium obiectivum promere cupit. Sed potius illud per arbitrarias interpretationes fingit iuxta suum praeconceptum (1). Atqui tunc iudicium, quod intellectus inde colligit, nullo pacto obiectivum dici potest. Et experientia illa solum inservit ad decipiendos alios, ut ii facilius amplectantur illud iudicium, quod forte omni obiectivo valore in se destitutum est. Ergo merito concludimus cum Bacone (2): « Sapiens debet naturam investigare cum candore pueri, sine quo nemo intrat in regnum veritatis plus quam in regnum caelorum ».

Corollarium. — Ergo haec experientia peragenda est antecedenter ad omne systema praeformatum. Istud enim, ut recte advertit Cl. Bernard (3), est *velamen quod oculis mentis obducitur*, ne veritas in sua reali luce plene introspiciatur. Attamen nihil impedit, quominus recta methodus instituatur ad experientiam rite peragendam iuxta ea omnia, quae disserit Baco (4) et superius breviter innuimus.

(1) Unde recte advertit St. Mill, *Système de logique* Traduit par Louis Peisse, Paris 1866, T. II, L. IV, ch. I, s. 2, p. 183: « La seule condition est que le fait, qu'on suppose observé, l'ait été réellement, qu'il y ait une observation et non une inférence. En effet dans presque tous les actes de nos facultés perceptives, l'inférence se trouve intimement mêlée à l'observation ».

(2) *Nov. Arg.* L. 1, aphor 68. Cfr. etiam *De Dignit. et augm. scientiarum* L. I, s. 31.

(3) Cfr. « *Introduction à l'étude à la médicine expérimentale* » P. I, ch II, s. 3.

(4) *In Novo Org.* L. II, aphor. 22 52.

195. **Prob. III p.** — Omne phaenomenon est effectus aliquis, qui causam sui immediatam ac proportionatam necessario expostulat. Ergo peracta experientia, quae ostendit existentiam alicuius phaenomeni constantis, certo concludi potest existere causam eius naturalem immediatam et constantem, ac proinde gradiendum erit ad inquirendum, quaenam ipsa sit. Atqui medium ad hoc necessarium et efficax in eo est, ut hypothesis aliqua statuatur, in se non repugnans et apta ad phaenomenon illud explicandum. Ergo.

Prob. m — Causa illius phaenomeni est nobis ignota, seu est problema cuius solutio a nobis quaeritur. Atqui medium efficax ad hanc solutionem consequendam in rebus experimentalibus adest, quum aliqua hypothesis statuitur, quae magis videtur ad illam solutionem accedere. Per eam enim mens dirigitur ad nova quoque experimenta efficienda, eaque ad unitatem quandam redigit, et facile adiuvatur ad intimam causam eorundem phaenomenorum detegendam. Quod mirifice confirmatur ex historia scientiarum naturalium, quae tot hypotheses in dies cumulant ad rerum causas inquirendas (1). Ergo.

Prob. IV p.— Quae cum priori intime connectitur. Statuta hypothesis nequit uti vera omnibus amplectenda proponi, nisi rite demonstretur. Atqui haec demonstratio fieri potest, aut per analysim, ostendendo intrinsecum nexum, qui necessario ex rei natura adesse debet inter illam hypothesim et phaenomenon; aut per experientiam, novis additis diversis experimentis, quae hunc manifestant nexum eumque magis magisque confirmant. Atqui rursus analysis saepe fieri nequit, quia necessitas nexus ex rei natura non facile patet, et etiamsi pateat, multum confert eam comprobare per nova experimenta, ut evidentius omnibus innotescat. Ergo ad nova experimenta recurrendum est, quae illam hypothesim confirment.

(1) Merito advertit etiam Milne-Edwards, *Rapport sur les progrès des sciences zool.*, p. 418: « Les hypothèses donnent à la science le *mouvement* et la *forme;* d'une parte elles *guident* et *excitent* les explorateurs dans la voie des découvertes; d'autre part elles servent de *lien* entre les faits, dont la réunion en un faisceau est une des conditions de leur emploi utile ».

196. **Dices:** Experimenta, quae fiunt ad aliquam hypothesim comprobandam, videntur procedere ex aliquo praeconceptu. Atqui hoc superius reprobatum est. Ergo. — *R. D. M.* i. e. primo et per se procedunt ex aliquo praeconceptu, *n.;* praesupponunt uti certam aliquam experientiam cuiusdam phaenomeni constantis, et deinde tantum *hypothetice* aliquam eius explicationem *c.* — *Contrad. m.* — Et sane hic iam praesupponitur prima experientia independenter ab omni praeconceptu peracta, quae uti certa habenda erit. Hypothesis, quae additur, praesupponitur non uti certa, sed uti probanda. Experimenta autem, quae sequuntur, vel sunt repetitiones et compositiones priorum, ut inserviant ad hanc hypothesim confirmandam, vel alia cum prioribus connexa. Porro ista minime dici possunt prodire primo et per se ex aliquo praeconceptu; praesertim si fiant, uti par est, sine animo alios decipiendi.

197. **Complementum inductionis.** — Nunc tandem deveniendum est ad explanandum ultimum inductionis terminum, seu *modum*, quo ipsa suum finem assequi valeat. Iamvero iste terminus in eo est, quod aliis experimentis expletis, quae aliquam praestitutam hypothesim confirment, certo demonstretur, *quaenam sit causa naturalis proxima phaenomeni antea cogniti.*

Causa esse debet aliquod *antecedens*, quod ita constanter praecedit quoddam phaenomenon, ut reipsa *influat in ipsum*, et sit ratio proxima atque adaequata, cur illud adsit. Ast quoniam saepe multa sunt, quae aliquod phaenomenon praecedunt, ex quo etiam multae hypotheses enascuntur, ideo adlaborandum est, ut rite determinetur illud antecedens, quod sit vera causa phaenomeni consequentis (1). Ad hoc obtinendum procedamus oportet per viam *reiectionis*, reiiciendo scilicet illa antecedentia, quae *non constanter* praecedunt phaenomenon, cuius causa quaeritur, quousque deveniatur ad illud *unum*, quod *constanter* istud semper omnino praecedit, et proinde dici debet *causa naturalis proxima istius.* Huiusmodi processus duplici ratione institui potest; per methodum *connexionis seu*, ut aiunt, *coincidentiae constantis*, vel per methodum *connexionis unicae* et *exclusivae*. Quoad priorem methodum, Baco praecepta tradidit, quibus gradatim per vias *negationis*, *reiectionis*, *exclusionis* a singularibus

(1) Sub hoc respectu probari potest quod ait St. Mill l. c. L. III, ch. VII, s. 1, T. I, p. 415: « Le cours de la nature, à chaque instant n'offre au premier coup d'oeil qu'un chaos suivi d'un autre chaos. Il nous faut décomposer chacun de ces chaos en faits isolés. Il faut que nous apprenions à voir dans l'antécédent chaotique une multitude d'antécédents distincts. Ceci, supposé fait, ne nous apprend pas encore auquel des antécédents chaque conséquent est invariablement attaché. Pour déterminer ce point, il faut entreprendre de séparer les uns des autres les faits, non point dans notre esprit seulement, mais dans la nature. L'analyse mentale doit cependant venir la première, et chacun sait que, dans ce travail, une intelligence diffère immensément d'une autre ».

ad universale quis progredi posset, quin saltus fierent (quod ipse scholasticis exprobrat, sed prorsus immerito). Et ita triplicem experimentorum ordinem recenset, quem in *tabulam praesentiae*, *tabulam absentiae*, *tabulam comparationis distribuit* (1).

Ipsa ad haec tria principia reduci possunt : — *Posita causa, ponitur effectus* : — *Sublata causa, tollitur effectus;* — *Variata causa, variatur effectus.*

Videlicet facta aliqua hypothesi : *quoddam antecedens, quod constanter reperitur praecedere aliquod phaenomenon, esse causam illius*, haec tria experimenta constare debent : 1° constanter posito illo antecedente, consequitur tale phaenomenon : — 2° Illo sublato, et istud constanter aufertur : — 3° Illo aliqua ratione variato, et istud variatur. — Et tunc illud antecedens certo dici potest causa illius consequentis.

Porro quisque facile perspiciet, hanc methodum non semper praebere plenam certitudinem. Contingere enim potest, aliquod antecedens, quod ita constanter demonstratur praecedere quoddam phaenomenon, reapse non esse causam illius; sed forte esse *conditionem sine qua non*, dum potius aliud antecedens cum illo connexum possit esse causa illius phaenomeni.

Et hanc ob rationem praecellit methodus *connexionis unicae* et *exclusivae*. Huius proprium est excludere omnia prorsus alia antecedentia, *et unum tantum* praestituere, ex quo consequitur phaenomenon, et tunc si constant tria illa experimenta modo recensita, certo concludendum erit, illud antecedens esse causam phaenomeni sequentis.

198. Stuart Mill (2) quatuor statuit principia seu media ad hoc obtinendum :

1° *Methodum concordantiae* : — ipsa completur, quando diversa peraguntur experimenta, in quibus una circumstantia, quae in aliquod phaenomenon influere potest, eadem semper manet, aliae vero mutantur, et tamen idem semper contingit phaenomenon. Tunc inferendum est, illam esse veram causam huius phaenomeni. Quare designando per litteras *A. B. C. D...*, circumstantias, quae in diversis experimentis influunt in phaenomenon *a*, potest haec methodus sequenti schemate exhiberi :

1um experimentum :	A, B, C, D.	producunt	a.
2um »	A, E, F, G,	»	a.
3um »	A, H, J, K.	»	a.

Ex eo concluditur, tantum *A* producere *a*, seu esse eius causam *proximam naturalem* (3).

(1) V. N. O. l. 1. aphor. 105 cfr. etiam aphor. 11.

(2) L. III, ch. VIII, IX.

(3) Unde ipse statuit in l. c., s. 2, T. I, p. 229 hunc primum canonem : « Si deux cas ou plus du phénomène, objet de la recherche, ont seulement une circonstance en commun, la circonstance dans laquelle seule tous les cas concordent est la cause (ou l'effet) du phénomène ».

2° *Methodum differentiae*, quae in eo est, quod duo fiant experimenta, in quibus omnes circumstantiae communes sunt *una tantum excepta*. Et tunc si phaenomenon a in eo *tantum* producitur, in quo circumstantia illa non communis reperitur, ista eius causa *proxima* dicenda erit. Unde hoc schema proponi potest :

1um experimentum : A, B, C, D, E. producunt a.
2um » B, C, D, E.

Ergo circumstantia *A* est causa phaenomeni *a*, vel saltem *conditio sine qua non*. Haec methodus, uti patet, est inversio prioris, et praesertim inservit ad illam confirmandam (1).

3u *Methodum variationum*, *quae constanter comitantur*; ea est complementum priorum, et inservit maxime quum circumstantiae, quae in phaenomenon influunt, nequeunt ad invicem separari; tunc variantur eorum qualitates, e. g. intensitas, affinitas, magnitudo... etc. Ita tamen ut *una tantum eadem proportione variet*, *aliae vero diversimode*. Unde si phaenomenon eadem proportione constanter variat, illa circumstantia eius causa erit dicenda (2) e. g. :

1um experimentum : A_2, B_3, C_5, D_7. producunt a_2
2um » A_3, B_2, C_6, D_4. » a_3
3um » A_4, B_5, C_3, D_2. » 3_4 (3)

4° *Methodum residui;* quum ex aliquo phaenomeno complexo (a, b, c) auferuntur partes illae (a, b) quae tribuendae sunt causis (A, B) iam cognitis per methodos superiores, et tunc quod remanet (a) erit effectus circumstantiae praecedentis (C, D) : e. g. :

1um experimentum : A, B, C, D. producunt a, b, c.
2um » C, D. » c. (4)

Haec methodus, fatente eodem St. Mill, facile reducitur ad secundum, atque adeo non remanent nisi tres viae, quae merito

(1) Ib. p. 430: « Deuxième Canon. — Si un cas, dans lequel un phénomène se présente, et un cas, où il ne se présente pas, ont toutes leurs circonstances communes, hors une seule, celle-ci se présentant seulement dans le premier cas, la circostance, par laquelle seule les deux cas diffèrent, est l'effet, ou la cause, ou partie indispensable de la cause du phénomène ».

(2) Has tres methodos adhibuit Pasteur ad falsitatem generationis spontaneae demonstrandam, uti refert P. Janet, *Traité élémentaire de philosophie* n. 416.

(3) « Un phénomène qui varie d'une certaine manière, toutes les fois qu'un autre phénomène varie de la même manière, est une cause ou un effet de ce phénomène, ou y est lié, par quelque fait de causation » ib. p. 442.

(4) « Retranchez d'un phénomène la partie qu'on sait, par des inductions antérieures, être l'effet de certains antécédents, et le résidu du phénomène est l'effet des antécédents, et le résidu du phénomène est l'effet des antécédents restants » Ibid. p. 438.

dici possunt practicae applicationes trium principiorum, quae iam retulimus : 1° *Posita causa ponitur effectus.* — 2° *Sublata causa tollitur effectus.* — 3° *Variata causa variatur effectus.* — Istis praestitutis dicimus :

Thesis XXXVI.

Complementum inductionis materialis obtinetur, quum aliqua hypothesis uti certa demonstratur, ostendendo, per methodum connexionis constantis et praesertim exclusivae, determinatam naturam esse causam proximam alicuius constantis phaenomeni.

199. **Probatur** ad modum unius, praesuppositis iis, quae explanavimus, et quorum haec thesis est veluti recapitulatio (1).

Inductio materialis tunc suum obtinet complementum, quum, detecto aliquo phaenomeno constanti, assignat illius causam naturalem proximam et adaequatam, seu aliquam naturam, cuius *proprium* sit illud phaenomenon producere. Atqui hoc plane contingit, cum aliqua hypothesis demonstratur certo esse admittenda, ostendendo, per methodum connexionis constantis et praesertim exclusivae, determinatam quandam naturam esse causam illius phaenomeni. Ergo.

Maior patet ex fine inductionis materialis. Iste enim in eo est, ut demonstretur aliquod phaenomenon seu perfectionem quandam, quae sensibus percipitur, convenire alicui subiecto qua tali, seu qua habenti talem naturam, ac proin-

(1) At sedulo iuvat animo recolere, quod hic sermo est tantum de *causa naturali proxima* cuiusdam phaenomeni, quam dicimus per huiusmodi experimenta cognosci posse. Minime vero loquimur de causa etiam remota, quae nempe cum proxima concurrere debet, ut plena et adaequata ratio sufficiens illius statuatur. Quocirca si quis putaret, hac adhibita inductione, iam deprehendisse *totam* et *adaequatam* causam illius phaenomeni, ad exclusionem cuiuscumque causae superioris, penitus deciperetur, et conclusionem inferret, quae latius ac praemissa pateret. Siquidem inductio *unice* ostendit, hanc rem sensibilem influere proxime in hoc phaenomenon, quae ideo infertur esse eius *causa proxima naturalis*. Utrum vero agnoscenda sit alia causa non sensibilis, quae in priori lateat, vel etiam alia superior, quae tamquam causa prima cum omnibus concurrat, nequit per inductionem cognosci, quippe quae tantum circa causas sensibiles versari potest.

Quare hinc iam elucet fundamentale recentiorum vitium, quum admittere nolint causas rerum supersensibiles; quia nempe ipsi unice in inductione sistunt.

de esse *effectum proprium vel proprietatem alicuius naturae.* Quia ita applicari potest principium quod superius n. 183 innuimus: ubi *eadem natura est eadem quoque proprietas et operatio esse debet.*

Minor aperte sequitur ex natura utriusque methodi, quam nunc explanavimus. Et sane omne phaenomenon sensibile causam sui proximam et adequatam in aliqua natura sensibili necessario expostulat, quod omnes axiomatis instar agnoscunt. Est enim hoc principium fundamentum omnium scientificarum investigationum, ita ut, eo sublato, istae impossibiles ac frustraneae essent. Atqui illa circumstantia, quae in experimentis iuxta utramque methodum adhibitis, constanter deprehenditur connexa cum illo phaenomeno, manifestissime ostenditur esse ipsius causa, et praeter illam nulla alia assignari potest, uti colligitur praesertim ex methodo connexionis exclusivae. Ergo...

200. **Nexus inter elementum formale et materiale inductionis.** — Ex iis omnibus, quae hucusque disseruimus, evidenter liquet momentum et relatio utriusque elementi inductionis.

1) Elementum materiale eo inservit, ut diversa phaenomena sensibilia, quae constanter contingunt, inter se accurate secernantur, distinguendo diversas eorum simplices rationes. Deinde ope diversorum experimentorum investigatur ac determinatur propria eorum causa naturalis, quae cum eis necessario connectitur.

2) Ea praestituta, accedit elementum formale, quo ope principii causalitatis ratiocinium instituitur, cuius maior est principium causalitatis, minor est conclusio ultima elementi materialis, et conclusio est iudicium universale, in quo praedicatur illud phaenomenon de omni illa natura, uti supra peregimus.

Quare solum elementum materiale de se insufficiens est ad iudicium universale efformandum. Et in causa est cur recentiores, qui in eo praesertim immorati sunt, non valuerunt clare ac perfecte ostendere, quomodo huiusmodi iudicium per inductionem confici queat.

Elementum formale potest quidem sufficere ad enuncianda iudicia illa universalia, quae in prima et secunda classe recensuimus, simplicissima praesupposita experientia. Sed quoad iudicia tertiae classis, nihil evincere potest, nisi elementum materiale praecedat.

Quocirca antiquiores philosophi Aristoteles et Scholastici rite et infallibiliter processerunt ad priora iudicia statuenda,

quoad haec altera vero quandoque errarunt, nec multum progredi potuerunt, quia non tam profunde callebant rationem peragendi partem materialem inductionis ob defectum praesertim instrumentorum artificialium, quae, ut innuimus, maximae utilitatis sunt ad eam complendam.

201. **Conclusio.** — Quae cum ita sint, concludimus. — 1° Falsum est, inductionem iuxta suum valorem spectatam, ad proferendum nempe iudicium aliquod universale, ignotam fuisse antiquioribus ab eisque neglectam. — 2° Recentiores bene de ea promeriti sunt, excolendo elementum eius materiale. Et ita viam nobis aperuerunt ad multa iudicia universalia perficienda vel corrigenda circa multas corporum proprietates. — 3° Ipsi vero prorsus erraverunt, spernendo principium universale causalitatis, et consequenter elementum formale inductionis. Et hac de re ipsi saltem logice loquendo destructores verae inductionis effecti sunt. — 4° Idcirco *omne tulit punctum*, qui, utrumque elementum simul amplectendo, conatur novam segetem iudiciorum sibi comparare, quae plane obiectiva ac realia dicenda sunt. Et nostrum erit, hoc ultimum fideliter persequi in omni quaestione, quae nequit per sola iudicia primae et secundae classis absolvi. — 5° Tandem quum per inductionem proximam causam phaenomenorum perspeximus, nequaquam putandum est, in ea solum esse sistendum. Sed necesse est per viam analysis investigare, utrum illa omnino adaequata sit, vel alia superior adstruenda erit, atque ita plene determinabitur ultima atque adaequata eorum ratio, in quo stat proprium philosophiae munus.

ARTICULUS IV.

DE IUDICIIS EX TESTIMONIO HISTORICO COMPARATIS.

202. **Testimonium historicum.** — Ultimum medium modo inquirendum manet, quod viam nobis aperit ad quamplurima iudicia ferenda, nimirum *testimonium historicum*. Ipsum, quod et *testificatio* quoque dicitur, subiective inspectum, est « actus, quo testis factum a se cognitum alteri manifestat ». Obiective vero consideratum, est « ipsum factum a teste manifestatum ». Testis est, qui factum a se cognitum alteri manifestat. Ipse vero esse potest vel *immediatus* seu *oculatus*, quum factum, quod testatur, ipse suis sensibus usurpavit : vel *mediatus*, seu *auritus*, quum factum testatur, quod ab aliis accepit.

Actus autem quo quis iudicat esse verum factum quod audivit, vocatur *fides*, quae ideo definitur : « assensus mentis alicui veritati propter auctoritatem testantis ». *Auctoritas* tandem est ipsa « idoneitas testis, qua fidem sibi in testificando meretur ». Haec vero idoneitas habetur, cum in teste *scientia* ac *veracitas* adest, et nobis simul constat, eas in eo adesse.

Profecto tota vis testimonii historici pendet ab *auctoritate testantis*, nimirum tunc certi sumus, testimonium historicum referre veritatem, quando apparet auctoritas testantis huiusmodi esse ut hanc certitudinem omnino gignere valeat. Hoc autem tunc evidenter constat, quando iterum apparet in eo talem esse *scientiam* ac *veracitatem*, quae clare manifestant, in eius testimonio adesse veritatem.

Et quoad *scientiam* advertimus, testimonium historicum semper versari circa factum aliquod sensibile, unde sufficit ostendere testes illos, qui factum quoddam referunt, revera applicasse suos sensus ad illud attingendum, nec fuisse defectum aliquem in organis, ita ut infallibiles fuerint in illo attingendo, et sic certo constat de eorum scientia. Hoc valet praesertim si sunt testes immediati seu coaevi, sive oculati, sive auriti. Si vero sunt mediati, seu non coaevi, tunc adhibenda est ea, quae dici solet *critica historica*, qua nempe constat eos facta referre per traditionem sive oralem sive scriptam omnino certam, per quam proinde connectuntur ad testes coaevos, qui suis sensibus factum illud usurparunt.

Quoad *veracitatem* vero testium, constare debet in eorum testimonio nullum adfuisse mendacium; quod faciliter patere potest, si ostendatur, eos huiusmodi esse, ut mentiri non potuissent, cum praesertim tot sint ac inter se dissiti loco ac tempore et in huiusmodi constituti circumstantiis, ut nullum inter eos conductum intercedere potuisset ad conveniundum in idem mendacium.

Quare primo vindicamus valorem testimonii historici quoad testes immediatos seu coaevos, dein quoad eos, qui non sunt coaevi.

Thesis XXXVII.

Testimonium historicum veram ac certam gignit cognitionem, si constat de scientia ac veracitate testium; et hoc faciliter constare potest, quando testes sunt coaevi.

203. **Prob. I p.** — Factum quod refert testimonium testium, in quibus scientia ac veracitas adsunt, uti certo verum admitti debet. Atqui cognitio, quae circa huiusmodi factum versatur, et ipsa debet esse certo vera. Ergo. **Pr. M.** Factum, quod quis testatur, est aliquid sensibus usurpatum. Ergo scientia, quam quis habet de illo, quatenus vel ipse suis sensibus illud attigit, vel ab iis accepit, qui ipsum cognoverint, est prorsus infallibilis, quum immediate fundetur in ipsa sensuum infallibilitate. Insuper si testis, quum ea facta refert, est certe verax, seu revera nobis ea aperit, quae ipse agnovit, tunc nobis etiam indubie manifestatur veritas illius facti, quod ipse testatur. Ergo.

Hinc liquet, quod certitudo, quae est in testimonio historico, tota pendet a *scientia* et *veracitate testium*. Et ideo totum negotium veritatis ac certitudinis testimonii historici versatur quoad alteram partem.

204. **Prob. II p.**—*a)* **Quoad scientiam.**— Quando testes sunt coaevi, suis sensibus perceperunt factum quod testantur, et quando sunt multi, qui idem testantur, in diversis positi circumstantiis, facile patet eorum sensus rite applicatos fuisse, nec adinvenisse defectum in medio, et factum ita percepisse, uti in re contigerit. Atqui haec cognitio dicenda est infallibiliter vera. Ergo.

b) **Quoad veracitatem.**— Homines, iuxta legem naturalem nobis insitam, tendunt ad veritatem; et tunc tantum mendacium proferunt, quum ratio quaedam peculiaris eos impellit ad spernendam illam legem. Ergo si clare apparet, nullam adfuisse rationem, cur ipsi hanc legem spernerent et nos deciperent, eorum testimonium verax dicendum est. Imo si nobis constare etiam potest, nullo modo eos

potuisse hanc legem spernere ac nos decipere, omne dubium etiam imprudens arcendum est de eorum veracitate. Atqui tum primum tum secundum certo ostendi potest. Ergo.

Prob. m. quod primum. — Hoc certo ostendi potest, quando hae circumstantiae adsunt: — *a*) Si res est prorsus indifferens, et nullum emolumentum eis advenire poterat in asserendo mendacio. — *b*) Si non spectat ipsos testes, saltem plures, nec eorum parentes aut amicos, nec eorum regionem, patriam aut sectam quandam, cui ipsi forte adhaereant. — *c*) Praesertim si testes sunt ita plures ac inter se dissiti ratione temporis ac spatii, ut nullum condictum inter eos adesse potuerit, ut in idem mendacium convenirent. Nam impossibile est quod plures homines independenter ab invicem in istis circumstantiis cohaereant in aliquod factum exponendum, quod est a veritate alienum. Atqui in multis testibus haec omnia certo adfuisse, ostendi potest. Ergo.

Quoad secundum hoc item certo constare potest, quum ostenditur, *testes potius rationem habuisse dicendi oppositum*, tunc enim clare elucet, quod tantummodo vi illius legis naturalis dicendi verum ipsi impulsi sunt ad illud exponendum; ac proinde neque dubium imprudens de eorum veracitate potest admitti. Atqui plura adsunt media, quibus illud constare potest. Ergo. — *Pr. m.* Sufficit haec praecipua recolere. *a*) Si illud factum potius damnum aliquod testibus saltem quibusdam afferre potest. — *b*) Si ipsos testes aut eorum amicos respicit, ita tamen ut ipsis potius interesset, vel maioris honoris sive utilitatis fuisset oppositum. Vel saltem si alios eodem modo respicit, qui potuissent faciliter hos testes redarguere, eosque mendaces ostendere, qui tamen utilius duxerunt altum tenere silentium. — *c*) Praesertim si factum respicit integram hominum societatem vel religionem, et eo tendit ut immutationem vel revolutionem in ea introducat. Tunc si testes mentiuntur, faciliter in adversarios offendunt, vel laudatores temporis acti, vel osores rerum novarum, vel tenaces amatores rei praesentis, eos maxime, qui bene se habent in oeconomia, quae posset mutari, si factum illud pervulgaretur. Ac proinde si ipsi tacent, vel quaedam dicunt, quae sibi contradicunt, aut forte etiam

eadem confirmant, dum contra totis viribus eis adlaborandum esset, ut falsitas facti ostenderetur; clare patet, testes, etiamsi voluissent, decipere non potuisse. Ergo.

Maxima autem accedit confirmatio si factum testantur in confirmationem alicuius doctrinae aut veritatis, quae effraenam hominum libertatem coërcet et contra hominum vitia pugnat, praecipue si haec in illa societate extolluntur, et fere in honorem habentur tunc temporis, quum testes, praesertim immediati, factum illud referunt. Tum revera societas integra insurgere deberet ad falsitatem illius facti denunciandam, si testes mentirentur.

Quid tandem, si testes, quum hoc referunt factum, adversarios inveniunt, non qui eos redarguunt ac tamquam mendaces denunciant, sed qui eos, praecise hanc ob rationem, odio habent, persequuntur, in carcerem coniiciunt, et capite etiam plectunt? Et ipsi omnia perferunt, quin sese retractent, et in ore adversariorum factum referunt, quin isti factum denegare audeant? Tunc proculdubio veracitas testium quacumque splendidiori luce clarior apparet, et ex hoc capite maxima habetur certitudo facti quod testantur.

Quoad scientiam vero testium qui non sunt coevi res paulo difficilior est. Quare statuitur

Thesis XXXVIII.

Testes non coaevi* I. *si quasdam tantum negativas praeseferunt conditiones, probabilitatem gignunt,* II. *si etiam positivas ac vere sufficientes, certitudinem moralem faciunt,* III. *si quasdam superabundantes et extraordinarias, certitudinem praebent metaphysicam de eorum scientia.

205. **Quid traditio historica.** — Porro ad hanc traditionem recurrendum est quum testes non sunt coaevi. Ipsa definiri potest: « *transmissio alicuius facti nobis traditi sive scriptis sive voce quorundam testium, qui semper magis accedunt illi aetati, in qua ipsum accidit* ». Iamvero ut hanc traditionem veram esse ostendamus, recurrendum est ad *criticam historicam*, seu ad criteria illa, quibus dignoscere valeamus, in istis testibus, veram adfuisse scientiam illius facti, vel, ut dici solet, illam traditionem esse genuinam ac referre factum, quale revera acci-

dit. Huiusmodi vero criteria seu conditiones in tres dividimus classes, uti in thesi exposuimus.

Et primo quoad negativas conditiones, has praecipuas recensemus: *a*) factum, quod traditio refert, non debet esse impossibile: secus enim iam sine ulteriori inquisitione potest affirmari, illud non accidisse vel saltem non eo modo quo traditio fert; hoc contingit e. g. in *mythologia.*

b) Non sit factum, quod pugnat cum alio, quod maiori gaudet certitudine, eandem ob rationem ac antea.

c) Non habeatur in toto temporis spatio testimonium, quod ei contradicat.

d) Non sit privatum neque ducat originem ex alio facto iterum falso, vel ex aliqua aetate, in qua facilius homines facta non vera propalabant, seu deerat sensus criticus, ut dici solet. Quare asserimus: α) si duae priores desunt, factum illud est prorsus impossibile; β) si tantum posteriores desunt, est plus minusve probabile; γ) si omnes istae adsunt conditiones, probabile omnino dici potest.

Nota. — Quoad *primam* conditionem, omnino certo et evidenter constare debet, factum esse impossibile. Sin autem tantum iuxta meam opinionem, ipsum impossibile esse videtur, tunc nullo iure possum a priori illud factum reiicere. In hoc peccant rationalistae et praesertim Harnack, qui quum secumetipsis statuant, miraculum esse impossibile, statim reiiciunt omnes testificationes eorum, qui ea referunt, etiamsi prorsus evidentes sint. Quinimmo tunc oporteret hac alia ratione procedere.

Mea sententia est: miraculum esse impossibile. Sed habetur testimonium prorsus certum et irrefragabile, quod refert aliquod miraculum patratum fuisse. Ergo potius mea sententia falsa dicenda est, quam illud testimonium. Nam quando habentur duo iudicia opposita, quae non sunt immediate evidentia, illud est retinendum, quod maiori gaudet certitudine et evidentia, et alterum reiiciendum. Atqui hoc in casu testimonium certum alicuius miraculi, utpote immediate innixum ipsa sensuum veracitate, maiori prorsus gaudet certitudine et evidentia, quam sententia de ipsius impossibilitate, quae tantum conclusio alicuius ratiocinii esse potest, in quo, uti antea diximus, faciliter error irrepere potest (uti certe irrepit). Ergo haec potius sententia reiicienda est; et ideo hic quam maxime tenendum est principium illud: *contra factum non valet illatio.*

206. **Prob. I p.** — quae facile patet. — Tunc factum, quod fertur, saltem probabile dici debet, quando non innititur quidem solido fundamento historico, sed communiter traditur per famam vel rumorem satis diffusum, nec ullum adest argumentum quod ei opponatur. Atqui quando

omnes adsunt conditiones modo recensitae, habetur fama satis diffusa, nec ullum opponi potest argumentum contrarium; ac proinde maxima oritur probabilitas veritatis illius facti. Quando vero adsunt tantum tres priores, adhuc habetur fama illa quae sufficit ad eiusdem probabilitatem gignendam. Ergo.

Prob. II p. – Conditiones positivae tunc certo habentur, quando testimonia adsunt, non coaeva, scripto aut sculpturis vel picturis consignata, quae hisce adornantur dotibus: — *a*) ea non debent multum ab illa aetate distare, in qua factum contigit, et huismodi esse debent, ut ex eis saltem ostendi possit quaedam adfuisse traditio ore tradita ad illam usque aetatem. — *b*) Debent ab iis referri, qui non sese produnt tamquam nimium credulos, et qui tales sint vel numero vel auctoritate, ut faciliter appareat, eos non res referre ex proprio marte confictas, sed quae revera traditae sunt, quasque ex genuinis hauserunt fontibus. — *c*) Haec testimonia processu temporis, nullam debent contradictionem saltem solidam invenire, imo potius augeri ac magis confirmari, ut appareat, ea illud referre, quod per generationes diversas ore traditum fuit ab illa usque aetate, in qua factum accidit.

Atqui quando istae adsunt conditiones, etsi desint testimonia primaeva scripto consignata, traditio veram gignit certitudinem scientiae illius facti saltem moralem. Ergo.

Prob. m. — Et sane ut haec habeatur certitudo, sufficit ostendere, in illis testimoniis contineri veram illius facti scientiam. Atqui testimonia eorum, qui non multum distant a testibus coaevis, quae nunquam serio impugnata sunt, et in quibus ostendi potest ea inveniri, quae ore ab antiquioribus tradita fuerunt, certam ac veram continent illius facti scientiam. Nam in istis omnibus adiunctis nulla ratio haberi potest, quae suadeat in illis aliquid falsi irrepsisse, saltem quoad substantiam facti. Ergo certitudo de eorum scientia haberi potest, quae omne dubium prudens a se excludat.

207. **Prob. III p.** — Si vero quaedam accedunt, quae oppositum impossibile prorsus reddunt, tunc neque dubium imprudens menti obversari potest. Ea sunt: — *a*) Si factum

illud fuit spectaculum quoddam publicum, quod magnum inter coaevos et adstantes rumorem excitavit. — *b*) Si ipsi, diversarum partium studio commoti, inter sese contendebant, quum nonnullis factum illud displiceret, aliis vero non. — *c*) si ipsum causa et initium fuit alicuius veluti revolutionis inter homines illius aetatis, ac fundamentum novae cuiusdam societatis, cui maxime intererat veritatem illius facti sartam ac genuinam custodire. — *d*) Si imo ipsa eadem societas tota fere innixa est in veritate illius facti, ita ut eius exordium ac progressus nulla ratione explicari possint, nisi veritas illius facti admittatur. — *e*) Adde si ipsa ob veritatem illius facti multos nacta sit adversarios, qui veritatem illius facti non denegabant, at nihilominus eandem acriter persequebantur, ei tormenta ac ludibria inferentes. — *f*) Quinimmo in ipsa eadem societate fere ab initio oppugnatores exorti sunt, qui ei bellum intulerunt, multa denegantes, quae eadem docebat, at nunquam veritatem illius facti. — *g*) Ac tandem, iis omnibus obstantibus, haec societas illam veritatem ubique terrarum diffundit, et ea firmiter innixa asseclas et socios auget, adversarios vincit, triumphum agit, et veluti lumen in candelabro positum omnium oculos offendit, omnibus veritatem illius facti ostendendo ac proclamando.

Profecto quis unquam hoc in casu vel minimum ac imprudentissimum dubium admittere audebit? Et revera si haec omnia adiuncta habentur vel saltem eorum maxima pars adest, etiamsi testimonia scripta desint, nihil omnino interest; haec sola societas est vivum ac perenne testimonium veritatis illius facti. Atqui hoc testimonium infallibile prorsus argumentum est illius veritatis, et oppositum metaphysice repugnat, quippe quod in vitium ipsius humanae naturae, in tot hominibus existentis verti deberet. Ergo.

208. **Corollarium.** — Ergo falsi sunt ii omnes, praesertim qui rationalistae dicuntur, qui totum insumunt laborem in libris ac manuscriptis evolvendis, tamquam in unico fonte traditionis historicae. Verum quidem est, uti modo diximus, ipsa esse praecipuum argumentum traditionis, at ubi adest hoc ultimum medium, tunc ipsa testimonia scripta ei

locum cedant oportet. Imo ipsa eadem intelligenda sunt iuxta perennem illam ac vivam traditionem oralem, quae certe de se maioris semper momenti est ac traditio scripta, quoties ea fidelis seu genuina ostendi potest.

209. **Obiicies.** I. (Cum Diderot). Testimonium, quod refert aliquod miraculum, a priori est reiiciendum. Nam homines errare aut mentiri non est miraculum. Ergo potius illud est credendum, quam miraculum quod narrant. — *R. N. Ass.; ad rat. add., d. A.;* si non adsunt illae circumstantiae recensitae, *c.;* si eae adsunt, *n.* Imo non solum esset miraculum saltem in ordine morali, sed etiam aliquid repugnans; quod ideo nulla ratione admitti potest. Sed praeterea *n. suppositum*, i. e. illud est potius credendum, quod non est miraculum.

II. (Cum Hume) Contra unum vel plures testes, qui illud referunt, mille millium insurgunt, qui oppositum testantur. Atqui tunc testimonium illorum est reiiciendum. Ergo — *R. D. M.;*..... insurgunt qui testantur oppositum illius eiusdem facti *n.;* testantur alia facta, diversa ab illo, opposita ratione accidere, *c.;* et *n. supp.* Et sic patet hoc argumentum non esse nisi putum sophisma. Nam quum quis testatur e. g. Lazarum mortuum resurrexisse, non insurgunt mille qui dicunt, eundem illum mortuum non resurrexisse, sed alii tantum dicunt, alios mortuos non resurrexisse at non eundem Lazarum. Atqui priores non dicebant: omnes homines resurrexisse; sed tantum Lazarum. Ubi igitur est contradictio?

III. Singuli testes non possunt gignere certitudinem. Atqui si non possunt singuli, neque plures simul. Ergo. — *R. D. M.;* de se et absolute loquendo, *n.;* ordinarie et *dumtaxat* quia non potest de eorum scientia et veracitate constare *c.* — *Contrad. m.* Quare de se etiam unus testis potest gignere certitudinem, quando nempe potest constare de eius scientia ac veracitate, quod quidem *ordinarie* non contingit. Atqui quando plures sunt in illis circumstantiis, quas recensuimus, constat omnino de uniuscuiusque scientia et veracitate. Ergo ipsi possunt gignere certitudinem.

IV. Sensus hominis sunt fallibiles. Atqui isti nullam certitudinem gignere possunt. Ergo. — *R. D. M.;* de se *n.;* per accidens, *c.* — *Contrad. m.*...

V. Tunc tantum patet scientia testium, quando constat ipsos suis sensibus rem usurpasse. Atqui hoc habetur solum in testibus coaevis. Ergo. — *R. D. M.;*... vel immediate vel saltem mediate, quatenus ab iis rem acceperint, qui eam suis sensibus usurparunt *a.;* tantum immediate, *n.* — *Contrad. m.*

VI. Illud nequit admitti tamquam medium ad acquirendas veritates, quod in multos offendit errores. Atqui traditio talis est. Ergo. — *R. D. M.;*... si per se in errores offendit *c.;* si tantum per

accidens ita ut media habeantur, ad dignoscendum utrum hoc in singulis casibus accidat *n.* — *Contrad. m.* Non omnis traditio veram gignit certitudinem, sed ea tantum, quae illis vestita est statutis conditionibus, quae proinde ostendunt, in ea nullum reperiri errorem.

VII. Facta per hominum ora saepe deformantur ac mutantur, Atqui hoc modo eorum notitia non potest recte ad nos venire. Ergo. — *R. D. M.;...* quoad adiuncta levioris momenti, *transeat;* quoad ipsam substantiam, *subd.;* si illae adsunt circumstantiae, quas diximus, *n.;* si non adsunt et simul desunt testimonia scripta, *c.* — *Contrad. m.*

VIII. In scientia auctoritas tantum valet quantum probat. Atqui in testimonio historico auctoritas nihil probat. Ergo. — *R. D. M.;* ad gignendum ipsum actum scientiae *c.*; ad gignendum actum fidei saltem propter evidentiam in attestante, *subd.;* inquantum probat saltem suam scientiam ac veracitatem *c.;* ipsam veritatem facti, *n.* — *Contrad. m.;* non probat veritatem facti, *c.;* neque suam scientiam ac veracitatem, qua testatur factum esse verum *n.* Sed distinctio melius patebit in quaestione sequenti.

210. **Quaestiunculae.** — *Quaeres 1. Actus quo mens assentitur testimonio historico est actus fidei aut scientiae? — Resp.* distinguendum esse. Et primo ipse actus, quo quis assentitur illi testimonio, pure et simpliciter propter auctoritatem testantis, est actus fidei. Actus, quo mens conatur dignoscere ipsam auctoritatem testantis nempe eius scientiam ac veracitatem, est actus scientiae. Tandem si intellectus assentitur ipsi veritati testificatae, praecise quia videt hanc scientiam ac veracitatem testantis, seu, ut dici solet, propter evidentiam in attestante, iterum habetur actus scientiae; et iste ordinarie est actus, quo quis assentitur testimonio historico.

II. *Quid dicendum de testimonio dogmatico?* — Testimonium dogmaticum est illud, quod versatur circa aliquam veritatem docendam.

Eius auctoritas tota innititur in veracitate testantis ac infallibilitate eiusdem, et actus, quo quis ordinarie ei assentitur, est actus fidei, prout nuper exposuimus. Hinc facile colligitur: *a*) Si ille, qui mihi veritatem testatur, est necessario infallibilis ac verax, tunc illa veritas omni prorsus certitudine gaudet, et ego nullum omnino dubium de opposito gerere possum. At animadvertendum est, quod intellectus hoc in casu non ipse videt illam veritatem seu necessarium nexum inter subiectum ac praedicatum, sed scit illum adesse, quia hoc ei alter revelat, qui illum infallibiliter videt, et ideo intellectus non habet illam *firmam adhaesionem* sicut in scientia, quamvis maiorem infallibilitatem retineat. Hinc sequitur necessitas imperii voluntatis, quae eligit uti bonum, assentiri huic veritati quae illam praesefert infallibilitatem. Unde dici solet; assensus fidei est *elicitive* ab in-

tellectu; *imperative* a voluntate, et ideo intellectus dicitur captivatus (1).

Quare *b* si istud testimonium aliquam veritatem mihi proponit, quae forte videri posset pugnare cum altera, quam intellectus meus ex aliquo ratiocinio intulit; potius a mea sententia mihi recedere necesse est, quam illam respuere. Quia intellectus meus, praesertim in argumentando, est sa'tem per accidens fallibilis; ille vero numquam. Hinc melius patet quod in Dialectica n. 9 assertum fuit.

c. Ergo quoad illos testes, qui non sunt prorsus infallibiles, uti accidit quoad homines, nequit semper infallibilis haberi certitudo: sed ipsa maior vel minor erit iuxta diversam eorundem auctoritatem. At non est ipsa omnino spernenda. Nam uti perbelle ait S. Aug. 2. « Quandiu intelligere sincera non possumus: auctoritate quidem decipi miserum est; sed certe miserius non moveri ». Videlicet ut 3 idem S. Doctor advertit: « Multa possunt afferri, quibus osfendatur, nihil omnino humanae societati incolume remanere, si nihil credere statuerimus, quod non possumus tenere perceptum ». Et sane tam debilis ac infirma est humana ratio, ut non omnia intelligere possit, imo perpaucissima sunt, quae ipsa ex se sola intelligat. Ideo prius oportet ab aliis addiscere, quam eos docere, et tunc idem S. Aug. advertit (4): « Naturae quidem ordo sic se habet, ut, quum aliquid discimus, rationem praecedat auctoritas ». Hinc etiam adagium illud exortum: *peritis in arte credendum est.* Concludamus ergo cum eodem S. D. « Divina providentia et ineffabili beneficentia geritur animae medicina, cum auctoritas praecedit et rationi praeparat hominem ».

211. **De Necessitate fidei.** — Profecto quanta sit utilitas ac saepe quoque necessitas fidem adhibendi testimonio aliorum iugis testatur experientia. Ob rei tamen gravitatem placet confirmationem afferre hisce argumentis, quae clare proponit P. Tongiorgi (5).

« Multae sunt veritates, eaeque ad vitae tum physicae, tum moralis usus necessariae, vel saltem apprime utiles, quarum scientificam cognitionem maxima hominum pars sibi comparare nullatenus potest, sive ob ingenii limitationem, sive ex mediorum defectu, sive quia aliis occupationibus distinentur. His igitur omnibus nullum medium superest, ad illas cognitiones acquirendas, nisi fides.

Illi ipsi qui docti dicuntur, multis in rebus rudes sunt et in-

(1) Clare hoc exponit S. Thomas: Cfr. *de Ver.* q. 14, a. 1; — et in III Sent., D. 23, q. 2, a. 2.

(2) *de util. credendi* c. 16, M. L. XLII, 89.

(3) Ibid. c. 12.

(4) *De vera rel.* c. 2. M. L. XXXIV, 123.

(5) L. c. cap. VII, a. 3, n. 608.

docti. Quis enim est qui omnium scientiarum latebras inspexerit, aut qui omnium quaecumque assumere tamquam certa debet, rationes intimas perscrutari valeat? In multis ergo et ipsi docti fidem peritis adhibere debent; mathematicus v. g. medico, medicus legisperito, legisperitus theologo etc. Eoque magis hoc necessarium est, quod cum scientiae omnes agnatione quadam sint ad invicem connexae, nulla est scientia, quae aliarum scientiarum auxilia quandoque non requirat.

In iis quoque cognitionibus, quas ratione ipsi nostra assecuti sumus, non raro aliorum testimonium utiliter accedit investigationi nostrae, imo sponte requiritur a nobis, ut certitudinem adipiscamur. Experientia enim novimus, errori nos esse obnoxios, tum quoad ratiocinii materiam, tum quoad formam: praesertim ubi materia difficilis est et implexa, ac prolixa deductionum series (v. n. 124). Atque inde est quod crebro formido aliqua nos habeat sollicitos de conclusionum collectarum veritate. Timemus enim, ne forte in sophisma inciderimus, aut ne aliquid quod falsum aut dubium sit, tamquam certum assumpserimus, sive ex defectu diligentiae, sive ex aliquo praeiudicio aut cupiditate. Nec cessat formido, donec peritorum ac prudentium accedente testimonio, eos inveniamus nobiscum convenire ».

Nunc clarius adhuc intelligitur quod in *Dial.* n. 9 innuebamus.

Ergo pessimum, etiam ex hoc tantum capite, est consilium eorum, qui omnem fidem tum humanam tum praesertim divinam ex hominum societate tollere moliuntur. Ipsi enim quam maxime restringunt, possumdant magnam cognitionis nostrae segetem.

212. **Valor auctoritatis sive historicae sive dogmaticae.** — Ipsa merito dici potest praecipuus fons multorum iudiciorum, quae hominum vitam et individualem et socialem regunt.

Sed quoniam ratio, cur aliorum testimonio iure fidere valeamus, praesertim innitatur in eorum auctoritate, facile patet, quodnam criterium prae oculis habendum erit, ne ab eis decipiamur. Ad hoc iuvat has regulas mente versare.

I. Non est temere cuiquam docenti credendum, sed videndum prius quanam auctoritate polleat.

II. Auctoritati sapientium, quum praesertim consentiunt, plurimus semper habendus est honor, nec negligendum unquam aut despiciendum quidpiam, quod ad scientificae traditionis thesaurum pertineat (v. *Dial.* n. 33). Non ita tamen, ut pluris valeat auctoritas, quam ratio.

III. Si ratio nobis occurrat, quae sapientium consensioni opponatur, antequam, auctoritate reiecta, quod nostra nobis ratio suggerit sequamur, ratiocinia nostra erunt accuratius expendenda, et fundamenta, quibus ipsa innituntur, animo, quantum fieri potest, a praeiudiciis omnibus remoto, ad examen semel atque iterum revocanda, conferendaque omnia cum uno aut pluribus quibus merito fidere possimus.

IV. Generatim quum scientificam cognitionem quaerimus, tanti valere debet auctoritas, quanti valent rationes, quae ab auctoribus afferuntur.

V. Illae quoque celebriorum auctorum sententiae, quas aut falsas aut minus veras alii deinceps esse ostenderunt, si rite expendantur, magnam afferre solent utilitatem.

Tandem recolantur quae hac de re in *Introd. ad phil.* n. 33, 34, proposuimus, ut clarius pateat quam rationabiliter, et huiusmodi principiis omnino cohaerenter, methodus recte philosophandi a nobis ibidem statuta sit.

At nunc peculiaris mentio facienda est de veritatibus illis quae ab omnibus hominibus communiter admittuntur, quaeque *veritates sensus naturae communis* vocari solent.

XXXIX.

Iudicia sensus naturae communis, etiamsi in iis, quae non subiacent immediatae experientiae, falsa vel tantum probabilia quandoque esse possint, in iis vero, quae immediatae experientiae subduntur, praesertim quae vitam practicam respiciunt, infallibili gaudent certitudine.

213. **Declaratur.** — *Sensus naturae communis* merito dici potest *testimonium dogmaticum ipsius humanae naturae.*

Ipse vero considerari debet *subiective* et *obiective*. — *Subiective* spectatus, est « facilitas quaedam mentibus hominis insita, qua ipsa nonnulla iudicia promit », ea praesertim, quae maxime necessaria sunt ad vitam individualem ac socialem rite instituendam. Ea vero non est aliqua specialis facultas, sed ipsa humana ratio hac ornata inclinatione seu aptitudine. Eadem tamen non est confundenda cum quodam caeco naturae instinctu, iuxta commentum Reidianum, uti scite advertit P. Liberatore (1). Haec enim aptitudo non in eo est, quod ratio caeco modo, quin ulla ratione veritatem videat iudiciorum, eisdem assentiat, sed e contrario ideo assentit, quia clare et immediate videt eorundem veritatem, quin indigeat ullo alio argumento quod illam ostendat. Et quoniam haec aptitudo communis est omnibus hominibus, omnes illam veritatem agnoscunt.

(1) *Log.* p. 2, c. III, n. 100: cfr. etiam P. Pesch., l. c. n. 756.

Obiective sunt haec eadem iudicia, quae intellectus ea ratione profert, quia clare et evidenter ab omnibus perspiciuntur. Hunc sensum obiectivum definit Boëtius quum ait (1): « Communis animi conceptio est enunciatio, quam quisque probat auditam »: quae dupliciter dispescitur, ut idem prosequitur: « Una ita est communis, ut omnium hominum sit quatenus omnes faciliter huiusmodi conceptionem habere queunt)..... alia vero est doctorum tantum, quae tamen ex talibus communis animi conceptionibus venit », quatenus doctores ex eis faciliter illas enunciationes colligunt.

214. **Prob. I p.** — Quaedam facta habentur in rerum natura, quae partialiter tantum nostrae subduntur continuae experientiae, et tunc ex aliqua associatione phantasmatum, in quibus pars illa cum aliis reperitur, faciliter homo assuescit etiam in prioribus has partes cum altera coniungere. Hinc quaedam enascuntur iudicia apud omnes homines, quae falsa, vel tantum probabilia sunt, quum nullo vero ac solido innitantur fundamento. Et ita facile omnino explicantur opiniones de motu solis, de influxu siderum, de malis ominibus eclipsium et cometarum, de caelis solidis, de antipodum impossibilitate, et aliae, quae omnes communi quodam constantique praeiudicio mentes hominum occuparunt. Ergo revera haec iudicia falsa aut probabilia esse possunt. At nihilominus in eo semper insistendum erit, quod haec iudicia tunc tantum haberi possunt, quum circa facta versantur, quae partialiter dumtaxat experientiae subduntur. Ea proinde nullo pacto immiscenda sunt cum aliis, quae in immensum ab istis differunt, uti statim patebit.

Prob. II p. — Haec iudicia ea sunt, quae saepe versantur circa obiecta plenae et immediatae experientiae, quam omnes homines statim peragere queunt, quaeque imo saepe occurrunt in communi vitae usu, et ideo ab omnibus faciliter et maxima cum certitudine fiunt. Atqui huiusmodi iudicia infallibili gaudent certitudine. Ea enim fundantur in ipsa veracitate sensuum, qui certe non possunt dici in omnibus hominibus falli. Ergo... Et ideirco de istis omnino asseren-

(1) Libro *De Hebdom., initio.*

dum est cum Seneca : « apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri »; et cum Quintiliano : « pro certis habemus ea, in quae communi opinione consensum est »; ac Cicerone : « neminem fefellerunt omnes, et nemo unquam omnes fefellit ».

Prob. III p. — Iudicia practica ea dicenda sunt, quae ipsam vitam hominum sive vegetativam sive sensitivam, sive intellectivam respiciunt. Atqui huiusmodi iudicia, si ab omnibus hominibus proferuntur, maxima prorsus ac infallibili ornantur certitudine, ita ut omnia alia ipsis locum necessario cedant oportet. Ergo. — *Pr. m.* Si ista iudicia falsa essent, tunc ipsa vita hominum falso inniteretur fundamento, et ideo tota absurda esset. Atqui hoc nemo vel a longe suspicari valet. Tunc enim non amplius intelligeretur, quid falsum quid verum esset, et non tantum in scepticismum theoreticum sed et in practicum incidendum, ac verum et abnorme suicidium ipsius humanae naturae perpetrandum esset, a quo penitus mens humana perhorrescit. Admittatur igitur oportet, nil esse certius quam huiusmodi iudicia practica. Haec autem iudicia ea sunt, quae a S. Th. appellantur : « Habitus primorum principiorum tam speculabilium quam practicorum, qui nulla oblivione vel deceptione corrumpi possunt » (1).

215. **Corollarium.** — I. Ergo patet ingens adesse discrimen inter iudicia prioris partis ac iudicia alterius et praesertim tertiae partis. Ac proinde falsi omnino sunt, qui putant eandem rationem omnium iudiciorum sensus communis habendam esse, et consequenter quum quaedam, nempe priora, falsa deprehendunt, illico inferunt, de nullis fidendum nobis esse. Haec procedendi ratio est prorsus indigna philosopho, cui rerum causas investigandi munus incumbit, et non tam leviter in re tanti momenti sua proferre commenta.

II. Ergo patet quam recte contra Kant et idealistas omnes arguebamus, quum, istis innixi principiis, arbitrarias et commentitias eorum opiniones disiicere curabamus. Et

(1) *S. Theol.*, p. Ia IIae q. 53, a. 1.

quam absurde Kant vocabat praeiudicium et illusionem veritatem illam, quam omnes homines admittunt, dependentiam nempe cognitionis nostrae a rebus, quae una ex illis est, quae vitam hominis practicam respiciunt (1).

Qua de re cum moderni scholasticis exprobant, eorum philosophiam nil aliud esse quam philosophiam sensus communis, non modo nullum vitium in hoc deprehendere possunt, sed hoc idem in magnam laudem huiusmodi philosophiae vertendum est. Hoc enim magnum constituit testimonium veritatis ac rectae methodi, quam scholastici tuentur.

216. — **Intrinseca ratio unde provenit in homine huiusmodi sensus communis.** — Egregiam rationem invenies apud S. Thomam, quamvis directe hanc quaestionem non respiciat (2). « Cum enim, ipse ait, optimi sit optima producere, non convenit summae Dei bonitati, quod res productas ad perfectum non perducat. Ultima autem perfectio uniuscuiusque est in consecutione finis. Unde ad divinam bonitatem pertinet, ut sicut produxit res in esse, ita etiam eas ad finem perducat ». Atqui illa iudicia praesertim

(1) Quanti autem facienda sint huiusmodi iudicia, et quam perperam a recentioribus philosophis reiiciantur, egregie ostendit P. De Régnon S. I., *Metaphysique des Causes*, Paris, Retaux-Bray, 1886, L. I, ch. IV, n. 4, p. 93. « Il commence maintenant à comprendre pourquoi les fondateurs de philosophies nouvelles ont une telle horreur du sens commun. Le sens commun est une voix qui condamne d'avance leurs nouveautés, voix universelle dans l'espace, voix universelle dans le temps, voix qui a retenti dans le monde au jour que la nature humaine y a paru, voix qui se prolonge identique a elle-même tant que cette nature demeure, voix qui se multiplie en autant d'échos qu'il y a eu, qu'il y a qu'il y aura d'intelligences d'hommes.

Le sens commun est un suffrage universel, qui prouve non par la maiorité, puissance artificielle et flottante, non par l'unanimité qui, après tout, n'est encore qu'un nombre, mais parce que chaque suffrage, fondé sur la nature même de l'intelligence, contient et emporte tous les autres souffrages, en un mot, parce que c'est un suffrage qui mérite vraiment le nom d'*universel*, « un dans tous, et dans tous identique a lui-même » — Ὃ ἂν ἐν ἅπασιν ἓν ἑνῇ ἐκείοις τὸ αὐτό. C'est le *sens commun*, précisément parce que c'est le *bons sens*. Que les sceptiques, fermant la porte au vulgaire, disputent entre eux contre la veracité de la raison humaine, qu'ils sophistiquent à huis clos contre les premiers principes, qu'ils declarent la guerre au bon sens; laissons-les à leur triste besogne, et ne les craignons pas, car ils se dévorent entre eux.

Pour nous, la philosophie n'est pas une école fermée au public et d'accès réservé a quelques initiés. Loin de là, notre saggesse est *universelle et catholique*; elle comprende tous les temps, tous les lieux, tous les hommes; elle réclame, comme son bien, toute idée claire, toute évidence, toute lumière naturelle. Elle entre, quand et comme elle veut, dans toute intelligence humaine, sans bruit, sans secousse, sans violence, car elle est chez elle ».

(2) S. *Theol.*, p. I, q. 103, a. 1.

practica quam maxime necessaria sunt tum ad finem proximum, nempe ad perfectionem vitae hominis, tum consequenter ad remotum, ad ultimam nempe sui beatitudinem. Ergo ad divinam bonitatem pertinet facilitatem quandam naturalem mentibus hominis elargiri, qua illa iudicia profert.

Praeterea idem angelicus Doctor (1), loquens de lege naturali, principia statuit, quae ad rem nostram faciunt. « Inest enim primo inclinatio homini ad bonum secundum naturam, in qua communicat cum omnibus substantiis, prout scilicet quaelibet substantia appetit conservationem seu esse secundum suam naturam... Secundo inest homini inclinatio ad aliqua magis specialia secundum naturam, in qua communicat cum ceteris animalibus... Tertio inest homini inclinatio ad bonum secundum naturam rationis, quae est sibi propria; sicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc quod veritatem cognoscat de Deo, et ad hoc quod in societate vivat ». Atqui cum istis inclinationibus necessario coniungi debet facilitas quaedam erumpendi in illa iudicia, quae ipsis connectuntur, scilicet per quae homo illis faciliter satisfacere valeat. Ergo idem ac prius.

Quapropter concludamus: hunc sensum communem remote procedere a divina bonitate ac sapientia, quae omnia suaviter perducit ad finem; proxime et formaliter ab ipsa humana natura, quae exigit naturaliter habere ea omnia, quae ipsi necessaria, vel saltem valde utilia sunt, ut suum prosequatur finem.

217. **Totius capitis epilogus.** — Finis, quem in hoc capite nobis praestituimus, eo spectabat, ut modus explicaretur, quo intellectus noster veritatem assequi valeat. Iameninvero veritas pro intellectu nostro plene ac perfecte nonnisi in iudicio componente ac dividente reperitur, in quo tamen subiectum tenet locum rei et praedicatum locum intellectus, et inquantum intellectus coniungit praedicatum cum subiecto, affirmat sui adaequationem cum re. Necesse igitur erat ostendere, quomodo intellectus hoc negotium peragere queat, quum praesertim iudicia universalia profert.

Ad hoc necesse fuit diversas vias expendere, per quas ad diversas iudiciorum classes pervenimus, *experientiam*, nempe *analysim*, *inductionem* et *testimonium historicum*.

In unaquaque eorum ostendere conati sumus: — 1° Quomodo nobis datum sit in eis infallibiliter illam compositionem peragere: — 2° Quomodo in ea peragenda affirmetur adaequatio intellectus cum re; inquantum revera subiectum locum tenet rei, et praedicatum locum intellectus: — 3° Simul vindicandum curavimus quod revera cognitio nostra in iis omnibus a rebus pendet, et non res ab ea dependent; quod est in hac quaestione omnino fundamentale. Ac demum — 4° directe ostendimus, qua ratione

(1) *S. Theol.*, Ia IIae p., q. 94, a. 2.

omnia iudicia universalia mens nostra valet efformare sive per solam analysim, sive per ratiocinium deductivum cuius indolem ac vim explicare et vindicare conati sumus. Dein vidimus quomodo iudicia quoque stricte universalia comparari queunt praesertim per inductionem, in qua curavimus rite expendere eius elementum tum *materiale* tum *formale*, ostendendo, quomodo ex utriusque connexione inductio plenum nanciscitur valorem.

Nunc revera patet, quanti momenti erant ea omnia, quae hic explanavimus, quum eo spectabant, ut rationem ultimam et intimam ipsius modi, quo veritatem assequimur, plene vindicaremus. Profecto huiusmodi semper esse debet finis, ad quem philosophus deveniat oportet, quemadmodum initio innuebamus, si suo munere rite fungi delectatur. Evidenter igitur obtentus videtur scopus ille, quem Kant intendebat in instituenda « *Crisi rationis purae* », quia plene exploratum manet, qua ratione mens nostra tot iudicia universalia enunciet, quae rebus respondeant. Ac proinde definitio veritatis initio tradita « adaequatio intellectus et rei » in tota sua luce ac robore confirmata apparet.

Nunc proinde penitus absolutum videri posset integrum problema de veritatis assecutione seu de certitudine. At nihilo secius alia quaestio inter philosophos agitari solet, cuius solutio est veluti ultimum complementum totius tractationis: quae *de criterio veritatis* inscribi solet.

Haec quaestio a quibusdam fere initio tractari solet una cum quaestione de certitudine, ea ratione ut quis statim eo uti queat ad verum discernendum a falso. At certe ontologice loquendo quaestio de criterio veritatis post quaestionem de mediis ad veritatem acquirendam solvenda occurrit. Hoc enim criterium est terminus, ad quem illa media seu viae ducunt; et nemo pervenit ad terminum, nisi postquam transierit per vias, quae ad ipsum ducunt. Aliunde vero plane omnino investigare potuimus haec media eorumque valorem, quin requireretur solutio de hoc criterio.

CAPUT IV.

DE SUPREMO VERITATIS CRITERIO.

218. **Ordo rerum.** — Postrema demum quaestio solvenda est, quae respicit *terminum ultimum*, quo in omni cognitionis via deveniendum est, ut clare pateat, per eam comparari iudicium, quod rebus adaequatur, seu obiectivo valore pollet. Quaeritur nempe, quodnam sit *supremum veritatis criterium*, seu quaenam sit norma generalis, qua discernamus, quando media iam recensita reapse nos ducant ad veritatem, in qua intellectus quiescere valeat. Hinc igitur patet, quam intime haec quaestio connectatur cum iis, quae in superiori capite disseruimus. Sed ad eam plene solvendam, tria nobis praestanda sunt:

1° Status quaestionis rite statuatur oportet, seu diversus eius respectus distinguatur, ut quaestionem praesertim sub illo respectu solvamus, quem nunc proposuimus.

2° Refellendi sunt ii, qui totam quaestionem male intelligunt ac peius dirimunt.

3° Peculiare examen instituendum occurrit novae theoriae, cui nomen « *Immanentiae* » factum est, ut eius fundamentale vitium ostendatur et evertatur.

4° In fine aliquid breviter explicandum manet de *scientiae* ratione, quae est ultimus finis ac veluti fructus, ad quem consequendum logica tendit.

ARTICULUS I.

DE FORMALI CRITERIO VERITATIS.

219. **Quid criterium.** Κριτήριον (ex Κρίνειν,) est medium ad iudicandum, seu ad discernendum aliquid ab alio. Ergo *criterium veritatis* est *medium ad discernendum verum a falso*. Hoc autem dupliciter intelligi potest.

1) Prout est *medium formale*, quod veluti *forma* quaedam induit seu actuat ipsam rei veritatem, quasi *lumen*

quod ipsam afficit, atque adeo intellectum *movet* ad assensum ponendum, quo aliquid amplectitur uti verum, et aliud reiicit uti falsum. Quapropter quando quaeritur: quodnam est supremum veritatis criterium? primo et per se intelligitur: *quodnam est motivum illud formale, propter quod intellectus alicui veritati firmiter adhaeret?*

Huic quaestioni respondetur, cum communi scholasticorum, uti videbimus: hoc motivum est *evidentia obiectiva rei*, seu *evidens rei necessitas menti manifesta*. Huiusmodi solutio praecipue militat contra scepticos, qui nulli veritati acquiescere vellent, eosque, qui denegant capacitatem facultatis cognoscitivae ad aliquid certitudinaliter percipiendum.

2) Vel intelligi potest uti *medium instrumentale*, seu *instrumentum*, quo utendum est ad acquirendam et adinveniendam hanc formam, qua discernimus verum a falso. Et dicimus, hoc instrumentem esse multiplex ac reduci ad omnia illa media, in capite praecedenti exposita, uti apta ad veritatem acquirendam.

Siquidem per priorem solutionem non absolvitur plene tota quaestio de criterio veritatis. Nam audita illa responsione, animus quamvis quiescat in illo motivo formali, adhuc tamen quaerit: *unde dignoscimus an adsit haec evidentia, vel non?* vel quodnam est medium, seu instrumentum, quod afferat mihi evidentiam, seu hoc lumen ad videndum? Et hoc eo magis, quia saepe saepius accidit ut nonnulli dicant, aliquid esse evidens, quod alii negant. Porro haec altera quaestio intime cum priori connectitur, sed ab ea sedulo est discernenda. Et revera maxima controversiarum pars hac in re ortum habet ex confusione has inter duas quaestiones.

220. **Discrimen inter duas quaestiones de Criterio.** — Iamvero ut hoc discrimen facilius intelligatur, hoc mente versandum erit. Quando in resolutione actus scientiae quaeritur: cur dicis, e. g., *totum est maius sua parte*, potest quaeri:

1° *Motivum formale*, quod movet intellectum ad assensum, et tunc respondeo: « *quia certus sum ita esse* ». Si ille iterum quaerit: « cur *dicis: certus sum ita esse* », respondeo:

« *quia evidenter mihi apparet intrinseca connexio praedicati cum subiecto* ». Si vero ille rursus quaerit : « cur *dicis; evidenter mihi apparet intrinseca connexio*... etc. » tunc non possum aliud dicere nisi « quia *apparet* » iam enim perveni ad ultimum motivum formale.

At 2° quaeri potest non ipsum motivum formale assensus, sed medium quod ostendit, in hoc iudicio adesse istud motivum formale, nempe istam evidentiam obiectivam, et tunc, uti patet, alia responsio danda erit, quae etiam diversa est pro diversis iudiciorum classibus, iuxta ea, quae in capite superiori enodavimus.

Tunc enim quis non quaerit : « cur *dicis;* evidenter mihi apparet... » sed potius : « cur *tibi evidenter apparet* illa connexio » etc. proinde ipse non amplius insistit in eadem linea quaestionis principii formalis certitudinis, sed ad aliam transit quaestionem : nempe « *quid est, quod tibi affert principium illud formale certitudinis?* » et ideo : « quid est quod tacit tibi hoc evidenter apparere? » seu : « cur tibi hoc evidenter apparet? »

Quare quum ego huic quaesitui respondeo, non assigno aliud principium formale priore superius, sed tantummodo medium necessarium ad illud principium formale habendum.

Hoc idem clarius evincitur in cognitione visiva oculi. Si quaeris : « cur *dicis, hoc esse album?* » resp. : « *quia sum certus* ». « Cur *dicis* : *sum certus?* » resp. :« *quia obiectum a luce illuminatum clare oculos meos percellit* ». Si rursus quaeris, « cur *dicis* : *obiectum illuminatum... etc.* ? » nihil possum aliud reponere, nec ipsa interrogatio ullam meretur responsionem. Si vero quaeris : « *cur obiectum apparet tibi illuminatum* ? » et respondeo : « *quia sol lucet*, aut, *quia Petrus attulit lumen*, aut, *quia ego ignem accendi* » et huiusmodi, tunc revera assigno conditiones requisitas ad hoc, ut obiectum sit illuminatum.

Eadem distinctio pariter clare elucet in assensu fidei. Si enim ab homine in Christi fidem credente quaeritur : « cur credis Deum esse trinum in Personis », et ille respondet : « quia *Deus revelavit*, seu propter auctoritatem Dei revelantis », tunc assignat *motivum formale* fidei. Sed si christianus ille respondet : « quia *Ecclesia proponit hoc mysterium*

credendum », tunc non exhibet ipsum motivum formale, sed *medium*, seu *instrumentum* quod ostendit nobis, adesse, ad illud iudicium efformandum, motivum formale credibilitatis. Quia Ecclesia praecise proponit, illud mysterium a Deo esse revelatum, ideoque ob hoc *motivum formale*, i. e. *quia Deus revelavit*, fidei assensum ponere debemus.

Liquidum igitur est, duas in praesenti quaestiones secernendas esse, *alteram*, quae demonstret *motivum formale*, quod intellectum nostrum cogat ad assensum, quum ei obiectum rite proponatur; *alteram*, quae exhibeat *media* seu *instrumenta*, quae intellectui afferunt motivum illud formale. Profecto ex confusione harum duarum quaestionum accidit, ut quidam diversa criteria veritatis statuant, quae opposita videantur et talia non sint. Quare de *ultimo veritatis criterio* disserentes, hasque duas quaestiones inter se discernentes, prius in tuto ponamus oportet ipsum formale veritatis criterium. Sed antequam ipsum proponatur, iuvat ut statuatur tamquam preambula haec altera

Thesis XL.

Nullum obiectum potest determinare assensum intellectus, nisi praeseferat aliquam necessitatem, quae evidenter ipsi appareat; et hac posita intellectus debet necessario assensum praebere.

221. **Declaratur.** — Proprium obiectum intellectus nostri est aliquod enunciabile, uti iam saepe diximus. Porro asserimus, non posse intellectum illud efformare, eique firmiter adhaerere, nisi illud in se, seu obiective inspectum, constet talibus notis, quae necessario coniungendae vel sepārandae sunt.

Haec autem *necessitas* dicitur aliqua, et non absoluta, quia oriri potest vel ex rei natura, ut in iudiciis analyticis et universalibus; vel ex facto quodam reali quamvis contingenti, ut in iudiciis experimentalibus, et singularibus, quae necessitas est tantum hypothetica.

Addimus insuper quod huiusmodi connexio debet evidenter intellectui apparere: unde dicitur: si intellectui deest evidentia, non posse ipsum alicui iudicio adhaerere (1).

(1) Nota semel pro semper, quum loquimur de rei necessitate, quae evidenter menti appareat, nos praesupponere ea, quae de triplici certitudinis gradu antea exposuimus. Ac proinde ea, quae nunc dicimus de necessitate rei ac de evidentia,

Quid Evidentia ? — *Evidentia* (ex videre) potest sumi passive et active : passive sumpta dicitur de rebus ipsis in se, quae clare videntur a cognoscente, vel ut ait S. Th. (1); « Illa videri dicuntur, quae per se ipsa movent intellectum nostrum vel sensum ad sui cognitionem ». Et tunc evidentia dicitur etiam obiectiva et est *necessaria connexio notarum alicuius enunciabilis perspicue apparens intellectui*, vel in abstracto : *est perspicuitas alicuius enunciabilis necessario intellectui apparens.* In communi loquendi usu ea hoc modo accipitur. Ideo dicitur : sentire vim evidentiae, evidentiam percipere, cogi ab evidentia, evidentiae resistere, et alia huiusmodi.

Eam dilucide exponit P. Tongiorgi (2). « Evidentia, si primitivam vocis vim attendas, est obiecti *perspicuitas* (3), (nempe eminens quaedam ac prominens visibilitas, qua obiectum quasi ultro se porrigat intuendum; quaeque definiri potest : *necessaria obiecti visibilitas.* Haec porro necessaria visibilitas ex tribus consurgit : 1° ex realitate obiecti; 2° ex opportuna lucis copia, quae obiectum illustret; 3° ex eo quod obiectum luce sua vim visivam actu percellat. Quare evidentia in obiecto est et intuentem afficit; et a visione distinguitur, uti causa ab effectu. Haec de evidentia *sensibili* apud omnes certa sunt. Sed et obiectis intellectus, ac veritati maxime enunciabilium evidentia tribuitur significatione translata... Et tria illa elementa, quae evidentiam sensibilem constituunt, in evidentia quoque intelligibili proportione reperiuntur; nempe *veritas*, quae respondet realitati; *motiva manifestantia veritatem*, quae respondent luci; ac *manifestatio motivorum*, quae respondet actioni praesentis lucis in visus organum. Quare sicut evidentia sensibilis definitur necessaria obiecti visibilitas, ita evidentia intelligibilis definienda erit : *necessaria veritatis intelligibilitas.* Sed ex istis tribus elementis 1um et 2um sunt *elementa materialia*, unum remotum, alterum proximum : 3um vero, i. e. evidentia, est *elementum formale.*

At non raro usurpatur etiam active i. e. pro *videre;* tunc est *ipse actus cognoscentis clare videntis aliquod enunciabile* (et ideo dicitur subiectiva,; seu est illud elementum formale iam existens in intellectu. Inde etiam dicitur quis habere evidentiam subiectivam, non vero obiectivam in efformando aliquo iudicio, quando ipse dicit se clare aliquid videre, quod non est in se, sicut ab eo videtur; scilicet quando adest apparens tantum elementum

quae ex ea in mente enascitur, debent semper proportionari diversis illis veritatibus. Nam sicut diversa est rei necessitas in veritatibus metaphysicis, physicis ac moralibus, diversa quoque habetur in eis evidentia. At verum semper est, in omnibus eam requiri evidentiam, quae propria cuique est.

(1) S. Th. 2a 2ae, q. 1, a. 4.

(2) L. c. n. 674-676.

(3) « Nihil clarius ἐνεργείᾳ ut Graeci, perspicuitatem aut *evidentiam* nos, si placet, nominemus ». Cicero IV. Acad.

formale, quin adsit elementum materiale. Quare nos, uti patet, de evidentia obiectiva dumtaxat loquimur. Haec vero adhuc dividitur: 1) in *intrinsecam*, ut accidit in scientia, et *extrinsecam*, sicut contingit in fide; 2) in *mediatam* et *immediatam;* 3) *in metaphysicam*, *physicam* et *moralem*, iuxta ea, quae de diversa iudiciorum origine, seu fundomento antea disseruimus; videlicet quatenus diversa sunt motiva, quae veritatem menti manifestant.

222. **Prob. I p.** — Intellectus est facultas essentialiter cognoscitiva, et de essentia huiusmodi facultatis est, ut non possit aliquem actum exercere in eoque quiescere, nisi clare videat illud, circa quod actus versatur. Atqui obiectum actus iudicii, in quo intellectus quiescit, est praecise necessaria connexio notarum, quibus ipsum constituitur. Ergo nullum obiectum potest determinare intellectum ad assensum, nisi praeseferat aliquam necessitatem quae evidenter appareat.

Praeterea semper ac quis aliquam veritatem plene ac perfecte alicui ostendere velit, hoc semper curat, ut ei *evidenter appareat intrinseca rei necessitas*, neque iste quiescit quousque illa evidens eidem fiat. Atqui hoc manifeste ostendit, quod obiectum proprium intellectus est rei necessitas, ei evidenter apparens. Ergo.

Corollarium.— Ergo repugnant iudicia caeca seu ex caeco naturae instinctu prolata. In hoc enim casu, cum deesset omnis evidentia, intellectus poneret actum cognoscitivum, quin aliquid videret, quae est contradictio, et destruit ipsam naturam cognitionis.

223. **Prob. II p.** — Ratio cur ipsa statuitur in eo est, quod quum intellectus a voluntate imperari queat, aliquando accidere potest, ut voluntas imperet assensum, qui non est praebendus, vel e contrario. Ideo dicimus quod, si veritas aliqua evidenter apparet, intellectus necessario tenetur assensum praestare, citra omne voluntatis imperium, imo nullo modo debet ipsi subiici, ita ut irrationabiliter ageret qui ei se submitteret ac diceret: *stat pro ratione voluntas*.

Et sane omnis potentia necessario tendit in finem, ad quem ordinata est, quare statim ac finis adest, nec impedimentum obest, invicibiliter potentia cum eo coniungitur, ut patet de lapide, qui cadit ad centrum, de igne qui comburit.

Atqui finis intellectus est veritas, et quando ipsa evidenter apparet, nullum obest impedimentum, ut cum ea coniungatur seu ei assensum praebeat. Ergo...

Praeterea omnes pro comperto habent, si intellectui cuiusdam hominis evidenter appareat connexio alicuius enunciabilis, quod ipse certo ac *necessario* assensum praebuerit. Ac propterea si forte eum deprehendunt ore iudicium proferre illi oppositum, eum mendacem vocant. Atqui hoc esset impossibile, si intellectus non debuisset necessario assensum illum praebere. Ergo. — *Pr. m.* — Et sane, mendacium definitur : *locutio contra mentem;* ideoque tunc constare potest, aliquem dixisse mendacium, quando constat eius mentem adhaerere alicui enunciabili, et ipsum ore proferre aliquid ei oppositum. Atqui illud nequit ullo modo nobis constare, nisi pro certo habeatur, eius mentem debuisse necessario illum assensum praebere. Ergo.

Thesis XLI.

Quum omne enunciabile quod evidenter intellectui apparet sit necessario verum; ultimum et universale veritatis criterium est evidentia rei menti manifesta.

224. **Declaratur.** — In tuto posita propria ratione, qua intellectus vero assentitur, via explanata est ad statuendum ultimum et universale criterium veritatis. Ipsum vocari solet a quibusdam *principium certitudinis* (1). Sed huiusmodi vox ambigua est, quia videri posset criterium esse aliquod principium seu *enunciatum* universale, in quo omnis innititur certitudo; quod est omnino falsum. Et revera illa vox ortum habuisse videtur ex confusione huius quaestionis cum altera: uti innuimus (n. 220). Melius igitur diceretur *motivum certitudinis*, quia movet intellectum ad adhaerendum alicui veritati, eamque firmiter possidendam.

Principium quoque, in priori parte theseos enunciatum, minime dicendum est *principium certitudinis*, sed potius fundamentum in quo innititur ipsum motivum formale certitudinis, quod est verum criterium veritatis.

(1) Vide P. Pesch, l. c. n. 778.

Hoc autem dicimus esse *rei evidentiam*, nec per se requireretur addere quod ea esse debeat *menti manifesta*. Hoc tamen apposuimus, tum quia non desunt, qui evidentiam rei, quae obiectiva vocatur, ita explicent, ut videantur in ea hoc aliud non includere; tum etiam quia hic maxime sistimus in elemento formali evidentiae. Quare thesis nostra ita audit: *ultimum veritatis criterium*, seu *formale motivum certitudinis*, propter quod intellectus alicui veritati assensum praebere tenetur, est ipsum esse rei prout manifestatur intellectui, et ab eo clare perspicitur. Hinc elucet perperam statum quaestionis confundere, qui quaerunt: estne *evidentia obiectiva* aut *subiectiva* criterium veritatis? Iis reponendum est, *addo tertium*: *est illa evidentia, quam nuper descripsimus*, quae nimirum utramque complectitur.

225. **Discrimen inter hoc principium et principium Cartesii.** — Ne quis putet, nostram sententiam in eam incidere, quam Cartesius docet, praestat ostendere ingens, quod adest, discrimen. Et *primo* dicimus: ipse statuit suum principium nempe, *quod clare et distincte percipitur, id verum est*, uti *criterium veritatis*, et in causa fuit, cur alii quoque censerent criterium veritatis reponendum esse in aliquo principio, uti videbimus. Nos autem illud proponimus tantum uti fundamentum proximum, quo criterium veritatis innitur. — *Secundo*, quod potissimum est), principium Cartesii est potius *subiectivum*, saltem ita intelligi potest, ideoque pendens a subiecti affectionibus, mutabile et obnoxium contradictionibus, quum quidam possit percipere distincte aliquid, alter vero eiusmet oppositum: ideoque via sternitur subiectivismo. Unde ipse Cartesius ex eo incidit in multas contradictiones, quippe qui de rebus absurdissimis asserebat habere ideam claram, de rebus vero evidentissimis ac certissimis negabat eam habere (1). Nostrum autem princi-

(1) Ipse enim nullam habet claram ideam obiectorum sensibilium, quae tam evidenter per sensus percipiuntur, quum suis sensibus fidere nolit, etiam quando versantur circa proprium obiectum: ideo clare non videt, utrum habeat pedes, manus, brachia, utrum existant terra, coelum, sidera: attamen clare videt, *se cogitare*, ac proinde esse substantiam, cuius tota natura sit cogitare. Item clare ac distincte non videt, *circulum non posse esse quadratum*: at clare videt omnia etiam intrinsecas rerum naturas pendere tantum a Dei voluntate, qui proinde efficere posset, ut circulus sit quadratus.

pium est obiectivum cum res *talis* in se esse debeat, ut evi*denter* appareat intellectui, ac proinde evidentia in ipsa re fundari debet, quatenus res apparet in se talis esse, qualis cognoscitur ab intellectu. — Quare *tertio*, in Cartesii doctrina potius intuitus veritatis seu ipsa perceptio rei evidentis enunciatur uti criterium veritatis. Dum in nostra doctrina est evidentia in re ipsa existens, et ab ea determinatur intellectus ad assensum, quem proinde dicimus infallibiliter verum. — Unde *quarto* sequitur, quod in doctrina Cartesii ipsa *actualis visio* rei indicatur ut criterium: in nostra vero est ipsa rei *visibilitas*. — Ac proinde *quinto* in illa assignatur evidentia prout est affectio *subiecti;* in nostra habetur evidentia, prout primo et per se est affectio *obiecti*.

Doctrina S. Thomae eadem omnino est; ipse, loquens de certitudine, ait (1): « Certitudo quae est in scientia et intellectu, est *ex ipsa evidentia* eorum, quae certa esse dicuntur ». Ac paulo post: « Certitudo scientiae consistit in duobus, scilicet in *evidentia*, et *firmitate adhaesionis* ». Et (2), loquens de primis principiis, ait: « Proprium est horum principiorum, quod non solum necesse sit, ea per se vera esse, sed etiam necesse est *videre*, quod sint per se vera ». Hinc plane colligitur mens angelici Doctoris ea esse, quod, ut habeatur certitudo, veritas debet videri, seu evidenter apparere intellectui. Et haec evidentia debet esse obiectiva, seu fundari in *esse* rei; quia, ut idem ait (3); « Ipsum *esse* (rei) est causa veritatis, secundum quod est in cognitione intellectus » (4).

226. **Prob. I p.** — Omne enunciabile, quod evidenter intellectui apparet, necessario ipsum cogit ad assensum ponendum, uti in thesi superiori demonstravimus. Atqui intellectus non potest necessario cogi ad assentiendum nisi enunciabili vero. Ergo. — *Pr. m.* — Nulla facultas cogitur ad actum ponendum nisi ab obiecto sibi proprio, hoc enim est finis, in quem tendit facultas, et a quo tantum proinde potest ipsa cogi ad operandum. Atqui obiectum proprium intellectus est verum, uti patet ex natura facultatis cognoscitivae. Ergo. — Praeterea veritas est adaequatio intellectus et rei, i. e. veritas habetur, quando intellectus affirmat ali-

(1) *Sent.*, D. 23, q. 2, a. 2, ad 3.
(2) L. 1, *P. Anal.* l. 19.
(3) 1. *Sent.*, D. 19, q. 5, a. 1.
(4) Idem habet in q. 1, *de verit.* a. 2, ad 3.

quid ita esse, sicut revera in se est. Atqui hoc necessario debet haberi, quando aliquid evidenter intellectui apparet. In hoc enim casu obiectum de se omnino aptum est ad determinandum intellectum ad hanc affirmationem, intellectus necessario debet assensum huic affirmationi praebere. Ergo....

Tandem principium analyticum, in quo immediate patet praedicatum inveniri in subiecto, est verum. Atqui hoc principium est ita analyticum. Ergo — *Pr. m.* — Nam *esse verum*, idem est ac: *aliquid esse in se tale, quale intellectui apparet ab eoque affirmatur*. Sed *evidenter apparere intellectui* praecise dicit: *aliquid tale apparere intellectui, ab eoque affirmari, quale est in se*, si enim non ita apparet intellectui, non est evidens, ut diximus. Ergo est analyticum imo immediate evidens.

Dices (*cum Balmes*): in hoc principio subiectum perinde valet ac *clare visum*, praedicatum est idem ac *adaequatum rei*. Atqui hoc praedicatum non invenitur in illo subiecto. Ergo non est analyticum (1) — *R. D.* 2^am^ *p. M.*: est simpliciter *adaequatum rei, n.*, est *aliquid cognitum* (seu visum) *a cognoscente quod est adaequatum rei, c.* — *Contrad. m.* Et revera hoc praedicatum invenitur in illo subiecto adeoque omnino ruit illud paradoxon, uti Balmesio videtur.

227. **Prob. II p.** — Illud est ultimum veritatis criterium, seu formale certitudinis motivum, quo posito, mens necessario tenetur assensum praebere omni enunciabili, utpote in se omnino vero, nec aliud motivum quaeri potest ad assensum praebendum. Atqui hoc habetur, quando adest evidentia rei menti manifesta. Ergo. — Maior patet, exhibet enim ipsam rationem ultimi criterii veritatis. — *Pr. m.* Illa evidentia necessario requirit rei veritatem, uti diximus; quando autem menti affulget, ea necessario movet intellectum ad assensum (n. 223, 2^a^ p.), si vero ipsa non adest, mens nequit moveri ad illum praebendum (n. 222, 1^a^ p.). Atqui quum haec omnia adsunt, ultimum, plenum ac *formale* habetur motivum certitudinis; quia tunc revera adest

(1) Vide *Philos fundam.* L. 1, c. , n. 221.

formale illud principium, quo mens veritati adhaeret, eodem pacto ac quando lux oculo affulget, formale habetur principium, quo oculus suo obiecto coniungitur. Ergo.

Praeterea thesis aperte confirmatur ex communi hominum loquendi modo, quem in n. 221 recensuimus, et qui certe ab ipsa natura originem ducere videtur, non autem a philosophorum praeconceptibus depromptus. Atqui veritatis criterium debet respondere communi loquendi et concipiendi modo, ut omnes homines iuvare queat ad secernendum verum a falso. Ergo.

228. **Corollarium.** — Hinc liquido infertur: — *a*) hoc criterium non esse aliquod principium seu enunciatum, ad quod tamquam ad trutinam revocandae essent omnes veritates, ut de iis certi esse possemus; quemadmodum nonnulli intelligere videntur, qui ideo in falsas abiere sententias. — *b*) Neque ideo confundendum erit cum illis motivis seu principiis, quae ostendunt rei necessitatem, cur nempe praedicatum subiecto conveniat. Et consequenter — *c*) elucet radix falsitatis fere omnium aliarum sententiarum, quae uti videbimus, in eo sunt ut haec principia investigent, et tamquam criteria statuant. — At *d*) neque est simplex quaedam conditio, qua gaudere debet obiectum, ut assensum intellectus determinet. — Sed *e*) est verum principium formale, seu ratio formalis, cur intellectus veritati assentitur, et cum suo obiecto coniungitur ac determinatur ad unum.

229. **Obiicies.** — I. Si haberetur criterium veritatis, homines nunquam fallerentur. Atqui falluntur. Ergo. — *R. D. M.*:... si illud semper praesto esset, *c.;* si quandoque difficile est ipsum adinvenire, *subd.:* si etiam tunc homines assensum praestant, non fallerentur, *n.;* si tunc saltem assensum suspendunt, *c.* — *Contrad m.*...

II. Hoc criterium huc redit: ideo res dicenda est vera quia sic mihi videtur. Atqui hoc instaurat falsam Protagorae et Kantii opinionem. Ergo... — *R. D. M.;* ita ut res intantum mihi sic videatur, inquantum in se ita est *c.;* ita ut intantum res dici debeat ita esse, inquantum sic mihi videtur *n.* — *Contrad. m.* Explicatio patet ex iis, quae diximus de evidentia obiectiva.

III. Si evidentia est criterium veritatis, veritas rei pendet ab evidentia. Atqui falsum consequens. Ergo et anteced. — *R. D. sequelam M.*:... veritas ontologica, *n.;* veritas cognitionis, *subd.;*

ab evidentia mere subiectiva, *n.;* ab evidentia obiectiva, *c.* — *Contrad. m.;*... Sed dicere: veritas cognitionis pendet ab evidentia obiectiva, perinde est ac: principium formale veritatis cognitionis est evidentia obiectiva; quod profecto est omnino verum. Hinc aditus prorsus reclusus manet timori, quem Lamennais gerere videtur; nempe in hac sententia rationem fieri infallibilem veritatis iudicem, in quo ei videtur esse *virus protestantismi*, qui omnia facit dependentia a spiritu privato. Hic enim loquimur de certitudine scientiae, non fidei, in qua peccant protestantes; et in certitudine scientiae infallibilitas rationis tota innititur in *obiectiva rei* evidentia, quae menti affulget. Ergo nil commune est cum protestantibus.

IV. Illud non est criterium veritatis, quo multi utuntur ad contrarias opiniones tuendas. Atqui ita multi utuntur evidentia Ergo. — *R. C. M.;* et *D. m.* evidentia reali, quae nempe revera adest, *n.;* evidentia existimata, quam quidam nimis faciliter iactitant se habere, *c.* — Certe fatendum est, haud raro accidere inter philosophos, ut nonnulli nimis leviter iactent evidentiam, alicuius veritatis, quam, si ingenue loqui velint, revera non habent, saltem non plenam ac perfectam. Hoc accidit, aut ex praeiudiciis sive praeconceptibus, aut ex studio partium at semper ex imperio voluntatis, quae *vult* quod ibi adsit evidentia. Hi assumunt, ut recte ait P. Tongiorgi, *igniculos cupiditatis pro luce veritatis.*

V. Si evidentia potest esse vel realis, vel tantum apparens, requiritur aliud criterium ad discernendam unam ab altera. Atqui tunc evidentia non est ultimum criterium. Ergo. — *R. D M.:*... aliud distinctum ab ipsa evidentia, *n.;* criterium quod est ipsa evidentia, quae per semetipsam manifestat sui praesentiam quando est realis, vel sui absentiam, quando est tantum apparens *c.* — *Contrad. m.* Iamvero evidentia est lux; sed lux per seipsam se manifestat, quando adest; quando vero deest, ostendit esse tenebras. Quare evidentia illa apparens non est evidentia; ergo sufficit pacate et absque partium studio attendere, et statim apparebit, illam non adesse. Dum e contrario quando realis adest evidentia, quo magis animo quis rem aliquam revolvit, ac motiva assentiendi recolit, eo purior ac splendidior menti evidentia affulget (1). Huc spectant haec verba S. August (2). « Omnia, quae de hac luce mentis a me dicta sunt, nulla alia, quam eadem luce manifesta sunt. Per hanc enim intelligo, vera esse, quae dicta sunt, et haec me intelligere, per hanc rursus intelligo ».

VI. Principium formale certitudinis debet afficere ipsum actum cognoscendi. Atqui evidentia obiectiva afficit rem. Ergo. — *R. D. M.:*... debet formaliter afficere illum actum *c.;* etiam efficienter *n.* — *Contrad. m.* Sed haec difficultas eos proprie respicit, qui loquuntur tantummodo de evidentia obiectiva, quasi a

(1) Cfr. P. Pesch l. c. n. 292.

(2) L. *De Vera Religione* c. 49 M. L. III, 165.

subiectiva contradistincta, uti innuimus. Nos vero qui utramque complexi sumus, iam eam solvisse videmur.

VII. Illud criterium non est ultimum, quod supponit alias veritates. Atqui hoc criterium alias supponit. Ergo. — *R. D. M.;* quod supponit alias veritates, quae sint aliud principium formale superius, propter quod mens assensum praestat, *c.;* quae sint tantummodo conditiones requisitae ad hoc ut illud principium formale adsit, *n.* — *Contrad. m.* In hac difficultate tangitur punctum illud confusionis, quam plerique immiscent inter diversas illas quaestiones, quas innuimus.

Itaque concludamus oportet, evidentiam esse ultimum veritatis formale criterium (1). Nunc ad alteram quaestionem accedamus, quae medium exhibet quod nos ducit ad hanc evidentiam acquirendem.

Et dicimus: haec quaestio ea est, quam in capite antecedente solvimus. Sufficit ergo ea breviter resumere, quae ibi praestituimus, ut ipsa integre absolvatur.

Thesis XLII.

Media requisita, ut evidentia obiectiva adsit, ad ea reducuntur, quibus tres viae iam recensitae iudicia certa nobis suppeditant.

230. **Probatur.** — Haec media eo spectant, ut dignoscamus, utrum aliqua veritas, seu aliquod enunciatum tales praeseferat notas, quibus appareat necessitas connexionis aut repugnantiae praedicati cum subiecto; atque adeo cognoscatur in eo certissime adesse evidentia obiectiva menti manifesta. Atqui haec media diversa sunt iuxta diversos fontes ex quibus hauriuntur iudicia. Ergo. — *Pr. m.* Et sane *a*) pro iudiciis experimentalibus necesse est ostendere, iudicium intellectus immediate sequi testificationem sensuum;

(1) Iamvero ex tota huius quaestionis solutione elucet *criterium veritatis* primo ac per se significare *hoc motivum* formale certitudinis, non autem media seu instrumenta ad certitudinem acquirendam. Ideoque non videtur recte proponere statum quaestionis Farges quum in op. *La crise de la certitude....* inquirendum proponit: *Les critères ou instrumentes de certitude* uti recte iam adverterat Sentroul in *Revue Neo Scolastique,* a. 1907, m. maio, p. 268, ubi inquit: « Nous trouvons moins heureux l'usage du mot *critère* pour désigner les *moyens* ou *instruments* de la connaissance certaine. Il est mieux en rapport avec le but du traité de désigner par ce mot la *garantie* de la certitude »: quod idem est ac *motivum eius* formale.

tunc enim apparet illud praedicatum necessario subiecto convenire, et ita adest *evidentia obiectiva menti manifesta*: — *b*) pro iudiciis analyticis immediate notis sufficit simplex analysis subiecti ac praedicati, ut illa eadem necessitas appareat et eadem adsit evidentia: — *c*) pro iudiciis analyticis ex ratiocinio deductis, necesse est, praemissas esse evidentes, et regulas ratiocinandi rite servatas, ut appareat illud iudicium necessario ex aliis evidentibus sequi, ac proinde eadem gaudere evidentia obiectiva: — *d*) pro iudiciis ex inductione comparatis, ea servanda sunt, quae superius exposuimus, ut ostendatur praedicatum necessario ac semper subiecto convenire: — *e*) ac tandem pro iudiciis ex testimonio historico habitis, debet constare de scientia ac veracitate testium: atque ita in omnibus adest evidentia obiectiva menti manifesta. Ergo media ad ostendendum, utrum adsit in aliqua veritate evidentia obiectiva menti manifesta, diversa sunt pro diversis iudiciorum classibus; et ea sunt quae in cap. antec. retulimus, quum instrumenta exposuimus, quibus infallibiliter diversa iudicia proferre valemus.

231. **Corollaria.** — I. Ergo manifesto apparet tum diversitas huius quaestionis a priori, tum relatio quam ipsae ad invicem praeseferunt. Ac proinde merito omnino initio huius capitis asserebatur, hanc quaestionem esse veluti complementum prioris. Postquam enim in ea media, ad iudicia infallibilia proferenda, in tuto posita fuerant, in altera ostendimus terminum, ad quem ipsa necessario ducunt, qui terminus est praecise motivum illud formale, quo intellectus indiget et cogitur ad certum assensum ponendum, in quo tamquam in fine quiescit ac delectatur.

Quamobrem tamquam conclusio utriusque simul quaestionis hoc statui potest principium «*Evidentia obiectiva menti manifesta est motivum formale certitudinis, fontes vero cognitionis nostrae sunt diversa media, quibus si rite utimur, infallibiliter ad illam pervenimus*». Et hoc principium *semper* prae oculis habendum est in solutione quaestionum. Ac proinde si quis aliquam asserit veritatem, duo ei praestanda sunt, ut assensum nostrum mereatur: primo nobis manifestet necesse est obiectivam rei evidentiam, et secundo simul ostendat, ex quo fonte illam hausit, et quomodo eundem recte omnino adhibuit, ut appareat evidentia illa a rebus exoriri (1).

(1) Ergo non videtur admittenda propositio quam defendit cl. P. Tongiorgi in n. 687: «Evidentia omnis dimanatio quaedam est evidentiae primitivae duplicis, qua gaudent *primum factum primumque principium*». Quae con-

ARTICULUS II.

DE FALSIS CRITERIIS VERITATIS.

232. **Utrum detur principium certitudinis.** — Quaerunt praeterea philosophi utrum detur principium quoddam seu veritas, quaedam, quae sit origo, fons, ratio, cur omnes aliae veritates intelligi queant. Primus, qui huic quaestioni occasionem dedit, Cartesius fuit, qui ad certitudinem plene fundandam, statuit illud: *cogito, ergo sum; uti primum philosophiae principium*. Alii vero aliud statuere conantur, a veritate prorsus alienum, uti infra probabitur. Balmes dilucide ostendit (1), impossibile esse hoc adinvenire principium, imo etiam ipsum principium contradictionis asserit non posse admitti uti tale (2), unde potius statuit (3), dari plura media ad percipiendam veritatem: *conscientiam, evidentiam, instinctum intellectualem:* quibus respondent: veritates sensus intimi, veritates necessariae, veritates sensus communis.

Sed haec eius opinio non videtur sustineri posse; aut enim falsa dicenda est, aut iterum confundere illas duas di-

nectitur cum alia propos. quam in cap. sup. (n. 425) statuerat, dari nempe « primitivas veritates, quas ante omnem philosophicam inquisitionem fundamenti loco supponere necesse est, quae sunt tantummodo tres; videlicet 1º *Factum primum*, quod est existentia propria; 2º *Principium primum* quod est contradictionis principium; 3º *Conditio prima*, nempe rationis aptitudo ad veritatem assequendam ». Quapropter in hac altera thesi concludit (n. 688): « Patet ergo quaenam sit vis, quae mentem impellit atque adeo cogit, ut veritatem evidentem amplectatur. Est nempe vis coniuncta primitivarum veritatum. Nequit enim mens aut *esse* coniungere cum *non esse*, aut factum quod experitur non experiri, aut quod necessarium ipsi apparet ut falsum respuere. Unum autem ex his tribus necessario contingeret, si evidens veritas respui posset ». — Contra ea nos dicimus, quamvis haec omnia uti falsa haberi nequeant, non videntur tamen probanda. Qui enim ita loquitur, non potest asserere evidentiam ut talem esse *formale motivum certitudinis*, cetera omnia esse dumtaxat conditiones, seu media ad afferendam evidentiam. Ipsa igitur non est dimanatio evidentiae primitivae duplicis illius veritatis. Sed statim exurgit ex unoquoque iudicio, quum nempe conditiones adsint pro unaquaque classe, uti nuper exposuimus. Et hoc aequo modo valet sive pro illis primitivis veritatibus sive pro aliis, uti ex iis, quae ibidem explanavimus, liquidum est.

(1) V. *Phil. fund.* L. I. c. VI VII, XXII.

(2) Ib. c. XIV, n. 139.

(3) C. XV, n. 147.

versas quaestiones. Namque si ipse dicere velit ,illa tria media esse omnia motiva formalia ideoque necessaria, sed unumquodque in sua specie et in suo ordine, ut ait (1), hoc falsum est. Ostendimus enim motivum formale certitudinis non esse nisi evidentiam. Ergo alia duo media non possunt cogere intellectum ad assensum, nisi evidentiam praeseferant. Ac proinde aut ipsa ad evidentiam reducenda sunt. aut nullo pacto admitti possunt tamquam motiva formalia, cur intellectus diversis veritatibus assentitur. Si autem intelligit, uti revera intelligere videtur, illa media esse motiva obiectiva ac necessaria, quibus in intellectu effloresçit lumen illud, quod est praecise motivum formale, propter quod intellectus assensum praebet, tunc, uti liquet, illas duas quaestiones una simul confundit.

Alii vero qui falsa criteria statuunt, omnes conveniunt in aliquo communi principio et praesertim illa confusione laborant, de qua saepe locuti sumus. Qua de re haec statuitur

Thesis XLIII.

Admitti nequit unum aliquod fundamentum aut principium omnium veritatum. Recte tamen dici potest principium contradictionis esse primum principium, in quod omnia iudicia resolvi debent, ut evidentia obiectiva appareat in eis adesse.

233. **Praenotiones historicae.** — Non omnes explicant eodem modo, quodnam esse debeat illud principium aut veritas illa, in qua omnes veritates dignoscuntur. Cartesius, uti superius iam exposuimus, reiicit certitudinem omnem de rebus extra existentibus, immo de ipsis mathematicis demonstrationibus, ac de principiis per se notis. Sed quum ad propriam cogitationem et existentiam devenit, sentit se de ea dubitare non posse; repugnat enim ut putemus id, quod cogitat eo ipso tempore quo cogitat, non existere. Quo invento principio, haec ex ordine deducit.

1° Cognitionem hanc: *ego cogito; ergo sum*, esse omnium primam et certissimam, quae cuilibet ordinate philosophanti occurrit.

2° Hinc statuit ut legem universalem: *illud omne esse verum, quod valde clare et distincte percipimus.*

3° Exinde demonstrat existentiam Dei eiusque veracitatem.

(1) Ib. c. XXXIV, n. 339.

4° Ex veracitate divina veracitatem quoque facultatum nostrarum infert, atque hoc pacto certitudinem iterum nanciscitur.

Huetius (1630-1721), quem **Traditionalistae** omnes secuti sunt, statuit unicum principium certitudinis esse divinam revelationem, saltem mediatam, nempe ratione generali et hominum testimonio nobis traditam. *De Bonald* (1754-1840) prius in hanc doctrinam concessit, dein secutus est *De Lamennais* (1782-1854), qui potius auctoritatem generis humani statuit tamquam principium certitudinis. Ioachim Ventura (1792-1861) eandem doctrinam emolliri conatus est. Istis plus minusve adstipulati sunt *Ludovicus Bonnetty* (1798-1879) *Leon. Rabus* discipulus Iacobi Wagner.

Alii vero tuentur, quoddam principium certitudinis nobis internum esse admittendum. Et primi recensendi sunt Stoici, qui, dialecticam prorsus spernentes, autumabant sufficere sanam rationem a natura nobis inditam ad errores vitandos. Nostra aetate *Thomas Reid*, quem *Schotorum* schola secuta est, ad refellendum Humii scepticismum asserit, sensum naturae communem, quem velut caecum naturae instinctum concipit, esse principium certitudinis. Huic sententiae accenseri quodammodo potest doctrina *Kantii* de iudiciis syntheticis a priori, et *Wundtii* de *determinismo* psychologico.

Accedit saltem ex parte sententia *Balmesii*, qui asserit quasdam veritates esse admittendas ob naturalem instinctum: *Hermesii*, qui comminiscitur, nos necessitate quadam adstringi ad conceptus ac iudicia proferenda, iuxta quasdam leges, quin sciamus, utrum eadem necessitas in rebus respondeat; ac tandem *Iouffroy*, qui adstruit tamquam principium totius certitudinis caecum fidei actum in veracitatem nostrarum facultatum. Non multum ab ea differt sententia « scholae sentimentalis », auctore Fr. Iacobi (1734-1819), qui principium certitudinis in caeco actu fidei reposuit, qui ab anima vehementer sentiretur, nec ulla indigeret probatione.

Huic accedit doctrina **Ontologorum,** quae diverso modo a *Malebranche* (1638-1715) et ab *Alphonso Gratry* (1805-1872) in Gallia, ab *A. Rosmini Serbati* (1797-1855) et a *V. Gioberti* (1801-1825) in Italia proposita est.

Mentio tandem facienda quoque venit sententiae sensistarum ac positivistarum, qui aliud fundamentum certitudinis non agnoscunt, nisi quod sensibus constat, et factis ex experientia comparatis innititur. Haec sententia perantiqua est et tribui solet Leucippo, Democrito, Heraclito, Epicuro et aliis. Inter recentes restaurata est ab Augusto Comte (1798-1857), qui ei *positivismi* nomen fecit; eius vestigia secuti sunt in Gallia Littré, Taine, in Anglia Darwin, Tyndall, St. Mill, et materialistae omnes.

Duae praecipuae. — Quocirca omnes ad duas veluti praecipuas classes reduci possunt; 1) ad sententiam eorum, qui admit-

tunt aliquod principium certitudinis prorsus extrinsecum nostrae menti; 2) et eorum qui illud agnoscunt uti naturaliter animo nostro inditum. Profecto utraque sententia falsa est.

234. **Characteres primi principii.** — Sed prius declaranda venit natura primi principii et quibus characteribus ipsum exornari debeat Hanc doctrinam profunde evolvit Aristoteles: primo statuit (1): « Decet illum, qui maxime circa quodque genus cognoscat, ut dicere habeat certissima rei principia: quare et illum, qui de entibus, prout entibus, omnium certissima: hic autem est philosophus ». Quocirca philosophi proprium munus est statuere *principia omnium certissima*, quaeque proinde sint *omnium prima*. Et tunc declarat characteres, quibus ea gaudere debent (2). Et prosequitur: « Omnium autem certissimum principium est, circa quod impossibile est falli: notissimum enim, ut huiusmodi sit, necesse est... Et non ex suppositione... Quod autem cognoscere illum necesse est, qui aliquid cognoscat, necesse est ut veniat habens illud ». Scilicet tres requiruntur conditiones: *a*) ut nemo possit circa illud errare, — *b*) ut ipsum non dependeat ab aliqua hypothesi, sed sit simpliciter et absolute verum, — *c*) ut non debeat acquiri per demonstrationem, sed naturaliter et immediate cognoscatur. — Necessitas harum trium conditionum clare colligitur ex natura ac munere primi principii, uti patet. Quare nunc efficiendum est, ut ostendatur in demonstratione, quodnam sit principium illud, quod huiusmodi in se praeseferat conditiones.

At iterum morandum est, ut alterum adversariorum vitium patefiat, circa ipsum statum quaestionis. Nimirum multiplici sensu potest *primum scientiarum principium* intelligi.

1° Utrum detur principium aliquod communissimum, in quo omnes contineantur veritates, ita ut ipso cognito statim, vel per quandam analysim, istae omnes cognoscantur, quin ad alia media recurrendum sit. Hoc sensu rem intelligunt *transcendentales et ontologi*, quos in 1ª parte theseos refutamus.

2° Utrum detur *medium unicum*, ex quo nos veritates hauriamur et per quod valeamus scientias omnes excolere; ita quaestionem solvunt positivistae ac materialistae, experientiam tantum agnoscentes. Sed eos iam satis refutavimus in cap. super., necesse igitur non est aliquid aliud addere.

3° Daturne principium *unicum*, indemonstrabile, quo ceterae veritates demonstrari valeant? Et hic sensus falsus est.

(1) Προσήκει δὲ τὸν μάλιστα γνωρίζοντα περὶ ἕκαστον γένος ἔχειν λέγειν τὰς βεβαιοτάτας ἀρχὰς τοῦ πράγματος, ὥστε καὶ τὸν περὶ τῶν ὄντων ἢ ὄντα τὰς πάντων βεβαιοτάτας. Ἔστι δ' οὗτος ὁ φιλόσοφος (III Met. c. 3).

(2) βεβαιοτάτη δ' ἀρχὴ πασῶν περὶ ἣν διαψευσθῆναι ἀδύνατον, γνωριμωτάτην τε γὰρ ἀναγκαῖον εἶναι τὴν τοιαύτην.... καὶ ἀνυπόθετον.... ὃ δὲ γνωρίζειν ἀναγκαῖον τῷ ὁτιοῦν γνωρίζοντι, καὶ ἥκειν ἔχοντα ἀναγκαῖον (ibid).

« Ratio est, uti scite advertit Suarez (1), quia ex uno solo principio nihil concludi potest, ut constat ex dialectica, quia formalis illatio requirit tres terminos, qui in uno esse non possunt ». Et in hoc praesertim erravit *Cartesius*, quem ideo iterum refutare non vacat.

4° Tandem, ut idem Suarez explicat ibid. « in alio sensu potest inquiri principium ceteris prius, vel quia *est nobis notius*, vel quia *in usu seu causalitate est prius et universalius*, vel quia *omni modo indemonstrabilius;* et in hoc sensu est controversia inter auctores quodnam sit primum metaphysicum principium ». Hac ratione igitur nos asserimus contra alios recentiores, admittendum esse principium contradictionis uti primum et indemonstrabile, quod de se evidens est, ita ut si ipsum denegaretur, nullum aliud principium uti certum et evidens admitti posset (2).

235. **Prob. I p.** — Qui conantur unicum principium seu fundamentum omnis certitudinis statuere, necessario denegant dari multiplices ac diversos fontes certitudinis. Atqui uti antea ostendimus, et ipsa experientia luculenter unicuique demonstrat, plures agnoscendi sunt certitudinis fontes. Ergo. — Veritas maioris liquet tum *a posteriori*, quia omnes illi, qui huiusmodi principium statuendum curant, unum alterumve, aut etiam omnes veros ac genuinos fontes certitudinis aspernati sunt. Tum *a priori*, quoniam huiusmodi fontes diversae sunt rationis, et propriis diversisque innituntur fundamentis ac principiis. Ergo qui unum principium statuendum conatur, aut naturam atque propriam indolem uniuscuiusque fontis evertendam cogitur, aut etiam quosdam fontes, si non omnes, debet consequenter reiicere.

Praeterea, uti scite arguit cl. P. De Maria, praesertim contra Ontologos ac Transcendentales (3): « Veritas huiusmodi haberetur per actum mentis perfectissime cognoscitivum. Atqui primus actus humani intellectus, ut experientia testatur, et ratio docet, est omnino imperfectus. Ergo non datur prima aliqua veritas ad mentem Transcendentalium et Ontologorum.

Item huiusmodi prima veritas deberet esse in intellectu per compositionem vel divisionem, quia intellectus hu-

(1) *Metaphys.* Disp. VIII, s. 3, n. 3.

(2) Recole interim quae iam explanavimus in th. IX, loquentes de tribus primitivis veritatibus, praesertim n. 44, 45.

(3) *Log. Maiori,* Quaest. IV, a. 1.

manus veritatem intelligit componendo et dividendo. Atqui compositio intellectus e diametro pugnat cum veritate omnium rerum repraesentativa. Ergo huiusmodi veritas reperiri non potest in intellectu humano. Adde quod intellectus humanus, ut omnes fatentur, ad scientiam sibi comparandam unice per demonstrationem et syllogismum contendit, ideoque ab Aristotele scientia dicitur effectus demonstrationis, et demonstratio nuncupatur syllogismus faciens scire. Verum omnes intelligunt demonstrationem fore prorsus supervacaneam, si intellectus prima aliqua veritate ad mentem horum philosophorum esset ad cognoscendum determinatus ».

Si quis vero ita proponit hoc unicum principium, ut ipsum statuat non tamquam fundamentum et unicum certitudinis fontem, sed tamquam primum quoddam principium, quod est per se evidens, in quod aliae veritates, quae ex diversis hauriuntur fontibus, resolvi debeant, ut appareat in eis adesse evidentia, tunc res alio modo se habet, et illud habetur quod in altera parte theseos statuitur.

236. **Prob. II p.** — Principium contradictionis est per se evidens, et nullo alio principio innititur, cetera alia principia eatenus evidentiam praeseferunt, quatenus in ipsum resolvuntur; ita ut si ipsum verum non esset, nec alia principia vera nobis esse possent. Atqui hinc plane consequitur, principium contradictionis esse primum. Ergo.

Maior ita profunde evolvitur a S. Th. (1): « Ad huius evidentiam sciendum est quod, cum duplex sit operatio intellectus, una qua cognoscit quod quid est, quae vocatur indivisibilium intelligentia, alia qua componit et dividit: in utraque est aliquod primum. In prima quidem operatione est aliquod primum, quod cadit in conceptione intellectus, scilicet hoc quod dico *ens*, nec aliquid hac operatione potest mente concipi, nisi intelligatur *ens*. Et quia hoc principium: *impossibile est esse et non esse simul*, dependet ex intellectu *entis*, sicut hoc principium: *Omne totum est maius sua parte*, ex intellectu totius et partis; ideo hoc etiam principium est naturaliter primum in secunda operatione intelle

(1) In IV, *Metaph.* L. 6.

ctus, scilicet componentis et dividentis. Nec aliquis potest, secundum hanc operationem intellectus, aliquid intelligere, nisi hoc principio intellecto. Sicut enim totum et partes non intelliguntur, nisi intellecto ente, ita nec hoc principium: *Omne totum est maius sua parte*, nisi intellecto praedicto principio firmissimo ».

Praeterea ad hoc ut ostendatur, adesse evidentiam in quodam iudicio, utendum est syllogismo, quo demonstretur motivum reale seu obiectivum, cur illud iudicium sit asserendum. Atqui omnis syllogismus innititur principio contradictionis, ex quo vim haurit ad rite concludendum (v. *Dial.*, n. 123). Ergo ipsum est primum principium, in quod omnia iudicia resolvi debent, ut evidentia obiectiva appareat in eis adesse.

Porro hinc iam evidens elucet discrimen nostrae sententiae a ceteris. Istae enim quaerunt principium, quod velut locum evidentiae haberet, i. e. esset ratio aut principium formale totius certitudinis. Nos e contrario dicimus, principium contradictionis esse primum, in quod alia resolvi debent, ut conditiones praeseferant requisitas ad habendam evidentiam propriam unicuique iudicio, quae sola est verum motivum formale certitudinis.

Iuvat praeterea in lucem ponere aliud vitium commune, in quo omnes illae sententiae claudicant.

Thesis XLIV.

Cetera criteria tum in eo peccant, quod nunquam assignant verum motivum formale veritatis, sed potius media ad ipsum habendum, tum in eo quod aut non omnes ex istis recensent, aut quasdam quae nullam possunt gignere evidentiam.

237. **Prob. I p.** — Quae est coroll. nostrae sententiae. Nam nequit intellectus ullum actum ponere ad assensum praestandum, nisi adsit evidentia obiectiva menti manifesta; et ea posita intellectus necessario tenetur assentiri, ita ut ipsum unicum dici debeat formale motivum veritatis. Atqui cetera criteria hoc non agnoscunt, vel quia ipsum denegant, vel saltem aspernantur. Ergo.

Prob. II p. — Si quis singillatim omnia recenset criteria quae ipsi assignant, pronum erit perspicere, eos potius immorari in diversis fontibus, ex quibus hauritur veritas ac certitudo. Atqui isti sunt media seu conditiones ad habendam evidentiam obiectivam menti manifestam, uti vidimus, minime ipsum formale certitudinis motivum. Ergo.

Prob. III p. — Iam ostendimus tres recensendos esse veritatis fontes, apprime inter se diversos. Atqui isti philosophi aut non omnes recensent, aut quosdam, qui nullo pacto ad eos revocari possunt. Ergo. — Hinc igitur liquet hos praesertim philosophos quam maxime laborare confusione inter illas duas quaestiones, quas perperam omnino una simul commiscent. Sed praestat breviter praecipuas eorum sententias directe refellere.

238. Et primo occurrit **Cartesii** *sententia* v. n. 233), quae in eo peccat: *a*) quod per se non agnoscit veracitatem sensuum, sed eos facit per se fallibiles: *b*) quod statuit criterium saltem aequivocum, quod potest in subiectivismum ducere. Ipse enim asserit: *illud est verum quod clare percipimus;* sed aut hoc principium non innititur in obiectiva realitate rerum, et tunc est pure subiectivum. Aut in ea innititur et tunc oporteret ostendere media ex quibus efflorescit evidentia, uti iam vidimus. Atqui hoc Cartesius prorsus negligit, imo iuxta eius mentem, non dantur haec media. Nam unice innixus idea clara, quam habet suipsius, ex ea immediate deducit existentiam Dei, et ex divina veracitate facultatum nostrarum veracitatem infert (1). Atqui qui ita procedit, nequit agnoscere uti criterium evidentiam vere obiectivam, quam nos exposuimus. Ergo. *c*) Hinc sequitur, eius solutionem de criterio esse tum insufficientem tum falsam ob lubrica principia, quae iacit quoad fontes cognitionis.

(1) Et ideo ipse statuit hanc conclusionem in suo opere (discours de la Méthode). « Mais si nous ne savions point que tout ce qui est en nous de reél et de vrai vient d'un Etre parfait et infini, pour claires et distinctes que fussent nos idées nous *n'aurions aucune raison*, qui nous assurât qu'elles eussent la perfection d'être vraies ».

239. **Traditionalistarum** doctrina — diversis referta est erroribus iuxta diversos, quos habuit, patronos; at omnes hoc communi vitio laborant, quod admittant fidem tamquam supremum ac universale certitudinis motivum, quod asserimus prorsus repugnare. Et sane qui fidem agnoscit tamquam supremum certitudinis motivum, necessario inferre debet, *ipsum fidei assensum esse caecum animi motum*. Atqui haec conclusio non solum contra fidem, sed etiam contra ipsam rationem militat. Ergo.

Pr. M. – Ille fidei assensus est caecus animi motus, cui nullum praecedere potest iudicium credibilitatis de auctoritate nempe loquentis et veritate facti locutionis. Atqui si fides est universale certitudinis motivum, impossibile est illud adstruere iudicium. Ipsum namque nequit iterum gigni ex fide, secus esset processus in infinitum, sed necessario confici debet per scientificum ratiocinium. Atqui in hac sententia huiusmodi ratiocinium nullam gignere certitudinem valet. Ergo.

Pr. m. – Prima pars patet, quia illa conclusio contradictoria est alteri, quam asserit Conc. Vat. c. 3 de fide: « fidei assensus nequaquam est motus animi caecus ». Altera etiam evidens est. Nequit quis fidem alicui habere, nisi certo cognoscat, *a*) existentiam huius testis; *b*) eiusdem auctoritatem; *c*) factum locutionis eius, praesertim si eam non immediate, sed aliis mediantibus accipit. Atqui horum certa cognitio dumtaxat efflorescit ex iudicio credibilitatis, quod in hac sententia nulla ratione confici potest. Ergo. Et ideo S. Th. asserit 1) « Ea quae subsunt fidei, si considerantur.... in generali, scil. sub communi ratione credibilis, sic sunt visa ab eo, qui credit. Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum vel propter aliquid eiusmodi ». Imo S. Aug. 2) haec habet: « Absit ut hoc in nobis Deus oderit, in quo nos reliquis animantibus excellentiores creavit. Absit, inquam, ut ideo credamus, ne rationem accipiamus sive quaeramus: cum etiam *credere non possemus*, nisi rationales animas haberemus ». Sed nunc iuvat aliquid de singulis attingere.

(1) S. *Theol.* II-II^{ae}, p., q. 21, a. 4, ad 2^{m}.
(2) In epist. *ad Consent.* (120, 3). M. L. XXXIII, 453.

240. Et primo **Huetius** in eo deceptus videtur, quod non distinxit inter duplex certitudinis elementum, *indubitabilitatis* nempe et *mentis adhaesionis* (v. n. 27, V) nec ideo perspectam habuit propriam rationem certitudinis fidei, cuiuscumque rationis sit, et in quo a certitudine scientiae ea discriminatur. Atque ita intulit (1) : « Cum ergo supremus certitudinis humanae gradus, puta qua prima principia et axiomata geometrica certa habeo, longe infra certitudinem fidei positus sit, certitudo autem beatorum longe praestet certitudini fidei, liquet utique *supremum certitudinis humanae gradum* perfectum *non esse*... ». Hinc infert supremum certitudinis motivum ponendum esse in fide, quae habetur in aliqua auctoritate, quae tandem in primitiva quadam revelatione a Deo hominibus facta innititur.

Profecto ex iis, quae alibi explanavimus, abunde colligitur, in quo peccat haec sententia. Ex hoc polluto fonte alii omnes traditionalistae suos hortos irrigaverunt.

241. **De Bonald** consequenter colligit, necesse omnino esse initium ducere non a dubio scientifico sed a fide (2). Praecipuum eius argumentum eruitur ex necessitate vocabulorum ad cogitandum; quod ita breviter confici potest. Homo nequit cogitare, nisi habeat phantasmata vocabulorum. Sed haec vocabula efformari nequeunt nisi ab eo, qui iam habet conceptus. Ergo nequeunt ab ipso homine adinveniri, sed a Deo originem ducunt. Atqui vocabula nequeunt a Deo nobis revelari, nisi et sensus eorundem explicetur. Ergo a Deo est etiam omnis scientia. Quare — *R. D. M.;*... primo et per se, *n.;* secundario et cum non adsint ipsae res, *subd.*; ita ut huiusmodi phantasmata semper in nobis excitentur dependenter ab ipsis rebus, saltem per quandam analogiam, *c.;* independenter prorsus ab istis, *n.* — *Contrad. m.:* si efformantur independenter a rebus, *c.; secus, n.* Et *n. consequentiam.* Transmittendo enim quaestionem de origine vocabulorum, certum est, quod consequentia huius argumenti fallit, quia illa conclusio non sequitur ex praemissis.

Etenim verum quidem est, nullum conceptum posse ab intellectu efformari sine conversione ad phantasmata. « Quia, ut S. Th. scite advertit (3), hoc in seipso quis experiri potest, quod quum aliquis conatur aliquid intelligere, formet sibi aliqua phantasmata per modum exemplorum, in quibus quasi inspiciat quod intelligere studet. Et inde est etiam quod, quando aliquem volumus facere aliquid intelligere, proponimus ei exempla, ex quibus sibi phantasmata formare possit ad intelligendum ». Attamen haec phantasmata primo et per se enascuntur ex ipsa rerum per-

(1) De imbecill. mentis. hum. L. 1.

(2) « Il est nécessaire, il est surtout philosophique de commencer par dire *je crois* ». *Recherches philos.* p. 62.

(3) S. *Theol.*, I p., q. 84, a. 7.

ceptione, dein vero « in disputationibus, ut recte ait Arist. (1), nos utimur vocabulis *loco rerum*, quia ipsas res in medium afferre non possumus ». Si vero sermo est de rebus, quae sensibus non subiacent, tunc saltem per analogiam cum aliis phantasmatibus efformatur phantasma quoddam, quod determinatur per proprium vocabulum.

Et ita ruit tota vis argumenti. Nam quicquid dicatur de ipsa vocabulorum origine, etiam in sententia, quae tenet, ipsa a Deo fuisse revelata, hoc tamen ita tantum intelligi potest, quatenus Deus ostendit, has vel illas res hoc vel illo nomine vocandas esse. Sed tunc semper ex ipsis rebus hauriretur conceptus, cui applicaretur illud nomen. Nulla igitur ratione aliquid ex hac parte evinci potest.

241. **De la Mennais** item tuetur motivum certitudinis esse auctoritatem Revelationis, et regulam ad ipsam discernendam esse consensum generis humani (la raison générale). Ratio, quam affert, in eo est, quod facultates nostrae non sunt infallibiles, et ideo homo tantum in societate habet regulam seu medium ad certitudinem acquirendam, et hoc obtinet per fidem. Sed nos iam ostendimus, facultates esse per se infallibiles, et quamvis per accidens quandoque falli possint, adsunt tamen media ad dignoscendum, utrum revera falsi fuerint, an non. Nec aliquid evincit, quum addit, quod « omnes homines credant, quin intelligant aut exquirant magnum veritatum numerum, quae necessariae sunt ad socialem vitam, et omnes item naturaliter in propria fide diriguntur, iuxta communem hominum sensum » (2). Argumentum nil aliud ostendit, nisi sensum communem esse aliquem veritatum fontem, uti et nos contendimus (v. n. 212). At hinc perperam infertur: *a*) quod ipse sit unicus ac supremus veritatis fons; *b*) et multo minus quod sit formale motivum certitudinis. Hinc eius sententia duplici laborat defectu, tum *confusionis* harum duarum quaestionum, tum *exclusionis* aliorum veritatis fontium.

242. **Ubaghs** vero, **Bonnetty** et **Ventura,** quamvis conati sint horum sententias quodammodo emolliri, in eosdem, ad rem quod attinet, offendunt errores. Et revera Ubaghs hanc statuit thesim (3). « Institutio ad primam veritatum metaphysicarum cognitionem homini necessaria est »; ex qua deducit necessitatem revelationis « atque adeo ipsius Dei hominum primi institutoris ». Sed paulo post addit: « Itaque in moralibus et metaphysicis, spectato ordine *acquisitionis*... fides naturaliter prior est scientia etsi in ordine *demonstrationis*, ex quo certitudo ratiocinata gignitur, scientia fidem antecedere soleat ».

(1) 1, Elench. c. I.
(2) *Déf. de l'essai sur l'indiff.* ch. XI.
(3) *Log.* seu *Phil. rat.*

Contra reponimus: si necessitas institutionis ac revelationis ita asseritur, quasi sit motivum formale certitudinis, et unica origo cognitionis, *hoc negatur*: si dicitur utilis, ita tamen ut institutio adiuvet mentem audientis ad acquirendam sibi evidentiam, *hoc conceditur*. Equidem nos etiam extollimus utilitatem fidei necnon institutionis, at semper ita ut per haec media homo adiuvetur praesertim in rebus metaphysicis ac moralibus, ut evidentiam ac certitudinem sibimetipsi comparet. Scite enim ait ad rem S. Augustinus: « Ad discendum necessario dupliciter ducimur auctoritate et ratione. Tempore auctoritas, re autem ratio prior est » (1).

Sicut medicus infirmum curat adiuvando vires eius naturales, quibus sanitas inducitur, ita institutor seu magister adiuvat vires naturales auditoris, quibus evidentia inducitur ex diversis illis fontibus (2).

243 **Doctrina Venturae** quoad hanc rem ad duo capita reduci potest. Primo asserit (3): « nec sensus communis aut communis evidentia in rebus philosophicis, nec Ecclesiae auctoritas

(1) *De Ordine*, l. II, c. 9, n. 26, M. P. L. 23, col. 1007.

(2) Accipe quae ad rem habet S. Th.: (*De Verit.*, q. XI, a. 1) « Sicut ergo aliquis dupliciter sanatur, uno modo per operationem naturae tantum, alio modo a natura cum adminiculo medicinae, ita etiam est duplex modus acquirendi scientiam; unus quando naturalis ratio per se ipsam devenit in cognitionem ignotorum; et hic modus dicitur inventio; alius, quando rationi naturali aliquis exterius adminiculatur, et hic modus dicitur disciplina. In his autem, quae fiunt a natura et arte, eodem modo operatur ars, et per eadem media quibus et natura. Sicut enim natura in eo, qui ex frigida causa laborat, calefaciendo induceret sanitatem, ita et medicus; inde et ars dicitur imitari naturam. Similiter etiam contingit in scientiae acquisitione, quod eodem modo docens alium ad scientiam ignotorum deducit, sicuti aliquis inveniendo deducit se ipsum in cognitionem ignoti.

Processus autem rationis pervenientis ad cognitionem ignoti in inveniendo est, ut principia communia per se nota applicet ad determinatas materias et inde procedat in aliquas particulares conclusiones, et ex his in alias; unde et secundum hoc unus alium docere dicitur, quod istum discursum rationis, quem in se facit ratione naturali, alteri exponit per signa; et sic ratio naturalis discipuli, per huiusmodi sibi proposita sicut per quaedam instrumenta, pervenit in cognitionem ignotorum. Sicut ergo medicus dicitur causare sanitatem in infirmo, natura operante, ita etiam homo dicitur causare scientiam in alio, operatione rationis naturalis illius; et hoc est docere; unde unus homo alium docere dicitur et eius esse magister. Et secundum hoc dicit Philosophus, I Posteriorum (com. V) quod demonstratio est syllogismus faciens scire. Si autem aliquis alicui proponat ea, quae in principiis per se notis non includuntur, vel includi non manifestantur; non faciet in eo scientiam, sed forte opinionem vel fidem; quamvis etiam hoc aliquo modo ex principiis innatis causetur: ex ipsis enim principiis per se notis considerat, quod ea, quae ex eis necessario consequuntur, sunt certitudinaliter tenenda; quae vero eis sunt contraria, totaliter respuenda; aliis autem assensum praebere potest vel non ».

(3) *Diss. Prael.* § XIX.

in re theologica inter demonstrationes a priscis adnumerabantur; utraque enim res non veritatis demonstratio sed omnis certitudinis fundamentum fuit ». Ac secundo inquit : « sicut Catholicus Theologus non ab absoluto dubio sed a *fide* earum veritatum, quas universa tuetur Ecclesia disquisitionum suarum sumit initia; ita nisi philosophus in scepticismum labi velit, non a dubio, sed a *fide* eorum, quae de Deo et animis *universum humanum genus tenet semperque tenuit*, incipiat necesse est ». Hinc ipse invehit contra studium logicae « Quid sibi volunt, ait ibid. (§ 22), criteria illa vel notae veritatis? quid abstrusae atque ineptae illae critices regulae; quae tanto legum conditionumque apparatu sub ipso philosophiae limine traduntur? ».

Porro eius sententia falsa est tum *critice*, uti clare ostendit P. Kleutgen (1), tum etiam *theoretice*. Sensus enim communis est medium ad quasdam veritates acquirendas, uti iam nosmetipsi monstravimus (v. n. 212) at non omnes; uti liquet discurrendo per singulos fontes, ex quibus propriae veritates illius ordinis hauriuntur. Et praeterea huiusmodi sensus communis nunquam est motivum formale certitudinis.

Et ideo falsum est quod ipse addit (ib. § 62) : « Ergo fundamentum omnis Logicae disciplinae est « ratio hominum communis ». Et magis adhuc a veritate alienum est quod antea dixerat (§ 20) : « Itaque philosophia privatae evidentiae, veluti germana Lutherani flagitii et sceleris soboles, habenda est » Ratio vero erroris ex eo semper repetenda est, quod diversas illas quaestiones de criterio simul confundit, nec perspectam habet veram rationem evidentiae obiectivae, quae a nobis asseritur esse motivum certitudinis. Cui tandem accedit confusio inter scientiam ac fidem. Quisquis enim videt, evidentiam privatam esse flagitium lutheranum *in fide*, non autem in scientia, si nempe revera est obiectiva, uti superius explanavimus.

Brevitatis causa omittimus de aliis singillatim inquirere, cum sufficiat contra omnes generale illud argumentum, quippe qui omnes eodem laborant vitio.

244. **Conclusio.** — Clare igitur patet, ad solvendum problema de *veritatis criterio*, omnino distinguendum esse inter *evidentiam rei menti manifestam*, et media requisita ad ipsam comparandam. Porro adversarii, nostram doctrinam reiicientes, nihil aut parum in priori quaestione immorantur; et ad alteram fere unice animum vertunt, et in ea etiam solvenda in multos incidunt errores. Criterium ergo a nobis statutum, cum communi scholasticorum doctrina, uti prorsus certum et indubium habendum est.

Sed antequam finem imponamus, recentiorum quandam theoriam necesse est fusius exponere et expendere, quippe quae non modo novum veritatis ac certitudinis criterium proponere con-

(1) *Filosofia antica*: Trattato III, nn. 246-270.

tendit, sed novam ex integro instaurat philosophandi rationem, ac nova profert principia, antiquorum principiis penitus neglectis atque despectis.

ARTICULUS III.

DE IMMANENTIAE THEORIA

245. **Quid Theoria immanentiae.** — Huiusmodi theoria in fine saeculi nuper elapsi apparere coepit et initio nascentis brevi tempore maxima celeritate propagata est. Proprium ipsius est ex una parte despectus scholasticae, quam eius fautores ineptam renunciant ad errores nostrae aetatis explodendos; ex altera vero desiderium forte prospiciendi scientiae imo etiam fidei, ac devitandi scepticismum illum, qui mortem omni vitae intellectuali ac morali affert. Hinc mirum non est, si inter eos quidam reperiantur catholici ac religiosi viri, qui postea, ab Ecclesia damnati, ei laudabiliter se subiecerunt.

Iam age, haec nova theoria vocari solet *Philosophia immanentiae*, eiusque patroni *Neokantiani* appellantur. Quippe ea merito haberi potest tamquam ultima evolutio systematis Kantii et recentiorum illorum, qui nolunt materialismo vel puro idealismo subscribere. Ea a pluribus praesertim catholicis defenditur tamquam unica et efficax via ad certitudinem adipiscendam tum in scientia tum in fide.

Huiusmodi sententia generatim inspecta istis continetur principiis et conclusionibus: 1° nos non possumus adhibere principia metaphysica ad veritates inquirendas, quum non sint certa, et multis obnoxia obscuritatibus ac controversiis. — 2° Imo nostra aetate nemo vult eadem agnoscere, quippe quae innituntur quibusdam axiomatibus indemonstrabilibus et praesertim notione veritatis, quae modo amplius admitti nequeunt. — Ergo 3° aut incidendum est in scepticismum vel materialismum, a quo animus rectus omnino aversatur, aut curandum est adinvenire in nobismetipsis principia quaedam practica, ex quibus veritates ipsas theoreticas deducamus. — Hinc 4° iuxta diversa principia practica, quae in nostro animo inveniuntur, diversae quoque efflorescunt veritates, ac proinde philosophia practica, prout relucet in exigentiis ac desideriis animi nostri seu prout *in nobis ma-*

net unde nomen male usurpatum *immanentiae*), praecedit et fundamentum praebet philosophiae theoreticae: hinc prius oportet credere et deinde intelligere. — 3° Et quoniam huiusmodi exigentiae et desideria seu animi inclinationes diversae sunt pro diversis hominibus ac temporibus, sequitur ipsa principia theoretica esse vera *relative* non autem *absolute*, ideoque *mutabilia*, *contingentia*, non autem *immutabilia* et *aeterna* (1).

Haec sententia, uti innuebamus, merito dici potest ultima evolutio doctrinae Kantii, nova forma induta, et in relatione posita cum fidei veritatibus, et hanc ob rationem nonnullos nacta est inter ipsos catholicos fautores et acerrimos defensores. Praecipui tamen inveniuntur, in Anglia et Gallia et quidam etiam in Italia.

246. **Doctrina Balfour.** — Princeps huius doctrinae patronus est Balfour, notus Angliae politicus qui in Scotia natus (1848) non tantum rei publicae operam dedit, sed multum etiam studiis philosophicis ac theologicis incubuit in Cambridge, et suas sententias scriptis consignavit ac in duobus libris edidit: « Defensio dubii philosophici » (1879 quae est veluti specimen seu introductio ad praebenda fundamenta fidei (2): et « Fundamenta fidei » (1895): (cuius operis in 1° anno quinque edit. habitae sunt, quae est introductio ad theologiae studium (3). Iamvero ipse

(1) Conspectum aliquem huius systematis invenies etiam apud P. Mattiussi, in art. edito in « Scuola Cattolica » anno 1905 quad. di maggio p. 424.

(2) A Defence of philosophic Doubt - being an essay on the foundations of belief, London, Macmillon, 1879.

(3) The foundations of belief, being notes introductory to the study of theology, London 1895. In priori opere ipse totum philosophiae munus restringit ad investigandas rationes admittendi vel reiiciendi huiusmodi principia, quae tamquam prima admitti debent (p. 2). Si homines, ipse ait, non deberent aliquid credere uti certum (was in the condition of believing *nothing*), sed possent simpliciter inhaeri propositionibus, quas admittunt, non daretur philosophiae locus (p. 3). Et quoniam haud raro habentur principia, quae dicuntur esse certa et non sunt, philosophiae praecise officium incumbit secernendi principia prima certa ab aliis, eaque in systemate quodam ordinandi. Its business is to disengage the latter, to distinguish them from what simulates to be ultimate, and to exhibit them in systematic order, p. 8).

Itaque primo inquirendum erat, utrum haec principia haberi possint per experientiam (p. 15-72), et ita concludit. 1° Quoniam per ipsam non habetur cognitio nisi ex particularibus, nulla scientia ex ea inferri potest, ac proinde empirismus nullum systema constituere valet. Item 2° nec aliquid evincere videtur empirismus modus seu inductivus, qui universali principio causalitatis innititur, nempe quod ad eandem causam eadem semper sequitur effectus et vicissim; quia nullum ius habemus ipsum extendendi ad causas ac effectus, quos

fidem latiori sumit sensu, prout respicit generatim *principia quae a nobis admittuntur tamquam certa, quin demonstrentur.* Praecipue nunc ad examen vocabimus primum opus (cuius paginas citamus).

In eo enim postquam in priori parte proprium philosophiae munus statuerit in inquirendis ac determinandis primis principiis, in tota secunda parte diversa recenset systemata, tum phaenomenismi a Berkeley et Hume propugnati, tum trascendentalismi Kant, Green, Caird..., tum philosophiae in Scotia propagatae, tum etiam principiorum, quae ex conscientiae auctoritate et naturali credulitate Hamilton depromere conatus est, tum idealismi psychologici a St. Mill contra Hamilton et Berkeley expositi, tum philosophiae de *Incognoscibili* a Spencer propositae. Et concludit nullum ex istis systematibus aliquid evincere posse (1).

At hinc sequi videtur, quod in scepticismum incidendum esset. Sed ipse reponit (p. 296) quod duplex distinguendus est scepticismus, vel nempe simpliciter *asserendo non dari aliquam evidentiam*, vel etiam, *addendo*, quod *consequenter nihil est admittendum* (2). Si scepticismus non ducit ad hanc conclusionem, non nocet. Et ideo finis huius operis in eo est, ut media certa afferantur, ad vitandum hunc alterum scepticismum : nempe

non novimus. Imo 3º neque si innitimur *legibus naturae*, possumus ex particularibus observationibus et experimentis aliquid certi universaliter deducere; quia etiam supposita cognitione in nobis legum phaenomenorum et agnita veritate legis universalis causalitatis, impossibile est devenire ad cognitionem facti universalis seu *historiae*, (it was impossible, even on these terms, to arrive at any knowledge of historical facts p. 74).

(1) Ipse agnovit utique quod, aliis principiis sepositis, principium permanentiae legum naturae *practice* ab omnibus admittitur et ab iis, qui ipsum in quaestionem adducunt, at simul communis philosophorum sententia ea esse videtur, quod ipsum speculative *possit* controverti, ac proinde, si verum est, speculative demonstrari debeat; et idcirco nonnullae habitae sunt demonstrationes. Dein vero demonstrat, quod haec quaestio merito agitanda sit, afferendo argumenta, quae a nobis deinceps afferuntur, cum haec doctrina ad examen vocabitur.

« Everybody pratically believes in it, even those who speculatively question it: but at the same time the verdict of all philosophy seems to be that the dogma asserting its exsistence is one which ean be speculatively questioned, and must therefore, if it be true, be capable of some speculative defence. So many demonstrations of it have been offered, that it may well be assumed that, in the judgment of those qualified to decide, some demonstration is required » n. 77, 78.

(2) « Before answering these obiectionis. I must point out that the word scepticism taken without explanation is ambiguous. It may mean either the intellectual recognition of the want of evidence, or it may mean this together with its consequent unbelief ». Et hunc paulo post ita prosequitur.

« If, then, scepticism in the second sense b eimposisble, is scepticism in the first sense... of any but a speculative interest? At first sight it would seem not. Scepticism which does not destroy belief, it is natural to suppose, does nothing. This however is by no means necessarily the case... » p. 297.

ostendendo, quod fundamenta nostrae certitudinis non inveniuntur in argumentis rationis, sed potius in quadam inclinatione vel impulsu interiori. Hoc adest discrimen inter scientiam et religionem, quod haec altera satisfacit internis exigentiis maximi momenti, quibus prior respondere non potest; et huiusmodi satisfactio haberi nequit, nisi mediantibus principiis, quibus certo assentimur seu *quibus credimus*, ut ipse ait. Ex quo inferri potest, haec principia necessaria esse, et nequit circa eadem ullum cadere dubium.

Ita via explanata est ad alterum opus « *De Fundamentis Fidei* »; in quo denegata omni certitudine principiis theoreticis, ad *practica* refugiendum esse statuit (1).

247. **Brunetière.** — Is in praefatione, quam huic operi apposuit, ipsum summis extollit laudibus et appellat *testimonium nostrae aetatis* (c'est un signe des temps) (2). Et praecipua eius nota characteristica in eo reponitur, quod est *reactio contra scientiam* (réaction contre la science). Scientia enim nostra aetate suam amisit auctoritatem (ha fatta bancarotta), quippe quae multa relinquit insoluta problemata. Nunc enim ipse valor rationis in dubium revocatur, et inquiritur, quousque extenditur campus sui dominii, et quaenam quaestiones solvendae ad eam pertinent. Hic non agitur de impotentia theoretica ipsius, sed de eius *insufficientia* actuali, ac proinde non debet ipsa statui in suo valore per discursus et ratiocinia, sed per facta. Deinde refert etiam testimonium Kidd, aientis, quod conatus eorum, qui quaerunt in rerum natura rationes certas et universales vitae individuae hominum sunt *antiscientifici, quia sunt contrarii conditionibus vitae* » (3).

(1) Hic quoque concludit, nullum systema scientificum posse in nobis certitudinem gignere, seu nihil certi nos admittere posse, innixos tantum principiis rationis, sed recurrendum esse ad exigentias practicas ac morales, quae nos impellunt ad aliquid admittendum, et ita voluntas est, quae ducit intellectum ad credendum, ideoque unica ratio omnis nostrae certitudinis in ipsa ponenda erit. Ac proinde quamvis ipse fateatur, multum promeruisse ad scientias excolendas Platonem, Aristotelem, imo etiam recentiores Descartes, Kant, Spinoza, Schopenhaur, van Hartmann et alios, eos tamen negligendos esse putat, quia ipse addit (p. 166). « Finis meus stricte *practicus* est, ac proinde abstrahendum est a theoriis etiam magna admiratione dignis, quum nullum verum habeant titulum nobis afferendi rationabile systema cognitionis, et incapaces sunt eius valorem demonstrandi, ostendendo actu fundamenta certitudinis ». At ipse idem agnoscit, quod haec conclusio non est prorsus peremptoria, sed saltem admittenda erit tamquam *philosophia provisoria*, quousque alia *melior inveniatur*.

(2) Vide *Préface* p. VIII et IX.

(3) « Il nous faut reconnaître qué tous les systèmes et toutes les méthodes qui ont cherché dans la nature des choses une sanction rationelle et universelle de la conduite individuelle, dans les sociétés civilisées, ont également échoué. Leurs essais sont tous anti-scientifiques, puisqu'ils sont contraires aux condi-

Quare ipse asserit cum eodem Balfour, quod nos in admittendis quibusdam veritatibus nunquam liberi sumus ab imperio auctoritatis necnon a veterum traditione. Nunc temporis, scientifica systemata nullum realem habent valorem, nisi forte ad eruditionem inserviant. Imo in alio suo opere a se edito a. 1905, ipse directe etiam profitetur *agnosticismum theoreticum*, reducendo omnem nostram scientiam ad *relationem signorum* seu vocabulorum, *quorum significationes nobis ignotae sunt*, sicut *characteres linguae non nobis notae* » (1). Quocirca nihil aliud manet ad aliquid tamquam certum amplectendum, nisi internus sensus ac voluntas. Ea est, quae fundat non tantum fidem sed omnem etiam ac veram certitudinem. Opus Balfour huc spectat, et Brunetière votum facit quod alii etiam eius exemplum imitari velint.

Istis principiis summatim relatis, totum systema ad examen modo erit revocandum.

Thesis XLV.

Systema, a Balfour propositum et a Brunetière aliisque confirmatum, tamquam falsum reiiciendum est, quia a) ***falsis innititur principiis,*** b) ***conclusionem infert, quae ut ab iis proponitur nullum habet valorem,*** c) ***posset multas absurditates secum ferre,*** d) ***et contradicit iisdem illis principiis, quibus innititur.***

248. **Prob. I p.** — Et primo quidem hoc systema inquirendum sibi proponit modum, quo nostra cognitio veritates cum certitudine adipisci valeat, et prorsus negligit investigare modum, quo simplices hauriuntur conceptus. Ac proinde quaerit, quomodo habeantur conceptus compositi, quin statuatur, quomodo in nobis adsint conceptus simplices, obiectivo valore praediti, queis illi constant. Atqui, uti saepe diximus, huiusmodi systema falso peccat principio, nec

lions de la vie. Le positivisme, comme les autres systèmes, et même, à cause de son nom, plus que les autres systèmes, a manqué le but. Voilà qui est clair! et voilà pour les « rationalistes » un beau thème à méditer! La raison a si peu de rapports avec la vie,qu'aussitôt qu'elle entreprend de la régler, elle la trouble! » (pag. XXV). Vide etiem p. XXVII et XX.

(1) « Toute science, quand on l'approfondit, n'est en somme qu'un système de « rapports » et ces « rapports », en un certain sens ne sont eux mêmes que des signes ». Et paulo inferius addit: « Ce qu'expriment ces signes nous ne le savont pas plus que nous ne savont ce qu'expriment les caractères d'une langue inconnue ». *Sur les chemins de la Croyance. Utilisation du Positivisme* - Paris 1905, p. 142, 154.

unquam pervenire valet ad inveniendum modum, quo veritates cum certitudine adipiscimur. Ergo.

Praeterea, huiusmodi systema ex hoc potissimum exorditur principio: nostrae rationi nullam viam rationalem praesto esse ad veritates scientificas cum certitudine adipiscendas. Atqui hoc principium falsum omnino est, uti satis ostendimus in toto capite III, investigando diversos fontes, ex quibus veritates haurimus, et mirifice adhuc comprobabitur in Psychologia inquirendo ac determinando etiam modum, quo ratio ex illis veritates universales ac certas attingit. Ergo.

Et hoc ex eo etiam confirmatur, quia uterque adversarius una cum eorum sectatoribus, nullum novum affert argumentum ad reiicienda ea, quae nos iam attulimus. Et sane; examini subiiciamus praecipua eorum argumenta.

249. **Ait Balfour:** I Per experientiam non attingimus nisi perceptiones singulares. Atqui ex istis nullam veritatem universalem ac certam deducere valemus. Ergo. — *R. D. M.:* prout in solis sensibus sistimus, *c.;* prout etiam per intellectum perficitur, *subd.;* ita ut implicite saltem cognoscantur ipsae res quae per proprias qualitates perceptiones gignunt, *c.;* ita ut res ipsae nullo modo cognoscantur, *n.* — *Contrad. m.:* ex solis perceptionibus sensibilibus..., *c.;* ex perceptionibus una cum conceptibus quos intellectus haurit, *n.* — Haec difficultas iam saepe soluta est.

II. Principia ex experientia desumpta nequeunt evadere universalia, nisi innixa principio causalitatis, nempe quod ad eandem causam idem semper sequitur effectus. Atqui hoc principium nequit demonstrari esse universaliter verum. Ergo. - *R. D. M.:* omnia omnino principia, *n.:* quaedam, *subd.;* quatenus criteria certa habentur, quae ostendunt intrinsecum ac necessarium nexum inter illam causam et effectum, *c.:* sine ullo criterio et quasi ad libitum, *n.* — *Contrad. m.:* si huiusmodi criteria omnino desunt, *c.;* etiam quando ipsa adsunt, *n.* — Cfr. quae exposuimus in Cap. superiori, Art. I et III.

III. Ista iudicia innituntur in permanentia legum naturae. Atqui haec permanentia nequit demonstrari tamquam certa. Ergo. *R. D. M.;* iudicia metaphysica, quae respiciunt ipsas entitates necessario inter se connexas, *n.:* iudicia physica, quae respiciunt earum operationes, quae naturae legibus reguntur, *c.* — *D. m.;* nequit demonstrari tamquam metaphysice certa, *c.;* neque tamquam physice certa, *n.* (1).

(1) Cfr. quae de utraque hac certitudine breviter disseruimus in thesi X.

IV. Certitudo persistentiae naturae legum hauriri deberet per immediatam sensuum perceptionem. Atqui per istam nequit hauriri, cum certitudo, quae adest apud communem hominum multitudinem de hoc toto universo, eadem est ac certitudo de motu solis ac stellarum. Ergo. — *R. D. M.;* una cum cognitione intellectiva, quae eam consequitur, *c.;* sine ista, *n.* — *Contrad. m.;... ad rat. add., dist.;* omnis huiusmodi certitudo, *n.* quaedam tantum et quando agitur de obiecto communi, quod nequit a pluribus sensibus attingi, *c.* — Haec difficultas late evolvitur a Balfour (1), nobis autem videtur ea satis soluta fuisse in toto hoc tractatu. Quare ita respondemus: *Existentia naturarum universalium* (seu *persistentiae obiectorum huius universi*, ut ipse ait) *cognoscitur immediate per sensuum perceptionem et abstractionem intellectus, unde prima illa iudicia consequuntur*, quae in Th. 27 et 32 exposuimus. — Sensus enim primo percipiunt diversa obiecta singularia concreta tamquam eius immutativa, quae etsi transeant, diversas tamen singulares atque concretas in eis gignunt perceptiones, intellectus statim abstrahit conceptus simplices eis respondentes, quos in se retinet ac simul apprehendit eos inter se similes esse; et ita concipit illam perfectionem esse unam eandemque in multis rebus, et haec promit iudicia universalia e. g.: *omnis ignis urit; omne corpus est grave...* etc.

Nec iuvat *instantia* ex errore circa motum *solis et stellarum*. Hanc iam disiecimus, distinguendo inter obiectum sensuum *proprium* et *commune;* et advertendo, quod circa proprium obiectum sensus nunquam falluntur, circa commune unus sensus falli potest. Sed hic error potest corrigi, si alii sensus adhibentur vel saltem intellectus, si ipsi nequeunt adhiberi. Quapropter quum motus solis ac stellarum sit obiectum commune oculi, ipse falli potest, et quoniam alii sensus nequeunt hic applicari, recurrendum est ad intellectum. Imo adverte, quod error oculi non est circa ipsam existentiam motus, quippe revera existit, sed circa causam ipsius, quam oculus recte determinare non valet. At quis unquam asserere auderet, omnia obiecta sensuum sese habere ad ipsos, sicut *determinatio causae solis* sese habet relate ad oculum? — Cfr. quae in toto art. I superioris capitis enodavimus.

Nec item aliquid evincit argumentum, desumptum ex illusionibus opticis. Ipsae enim non habentur circa obiectum proprium, nempe circa colorem, sed circa obiectum commune. Ac proinde ad eas corrigendas recurrendum est ad alios sensus vel etiam ad intellectum, ut explicavimus n. 145.147. Quandoque etiam, ut ipse idem advertit, recurrimus ad experientiam antea habitam, et si percipimus praesentem sensationem esse contra regularem ordinem similium sensationum, faciliter detegimus errorem.

(1) A Defence of phil. doubt p. 78-84.

Aliae argumentorum species, ab eo et a Brunetière propositae, in fine dilabuntur.

250. **Prob. II p.** — Conclusio ultima, quam adstruere ipsi conantur, huc redit : si solis rationis argumentis utimur, haec nunquam veram evidentiam ac plenam certitudinem in nostra cognitione gignere valent; quare ad vitandum scepticismum, qui inde sequi posset, recurrendum est ad aliorum auctoritatem, a qua nunquam subtrahimur, et ad exigentias naturae humanae sive individuae sive socialis. Ita addiscimus, quaedam principia tamquam certa habenda esse, ac proinde scepticismum evadimus. — Atqui, dico, haec conclusio nullum habet valorem. Ergo. — *Pr. m.* Nam 1° auctoritas, ex qua certitudinem haurire deberemus, nullum habet valorem, quia omnes homines in eadem sunt conditione ac nos. Atqui nos nullam habere possumus certitudinem. Ergo nec ipsi. Sed *si caecus caecum ducit, ambo in foveam cadunt*. Ergo — Recole argumenta, contra traditionalistas allata. — 2° Exigentiae naturae humanae, si sumuntur in se solae cum exclusione obiectivae rei certitudinis, et unice repetuntur ex propria cuiusque conscientia, primo sunt indeterminatae ac vagae, dein prorsus arbitrariae ac saepe etiam inter se contradictoriae, et nullo innixae fundamento. Atqui huiusmodi exigentiae nullam queunt gignere certitudinem. Ergo.

Prob. III p. — Ex hac theoria sequitur : 1° Omnia nostra iudicia esse ex caeco naturae instinctu prolata, quum nunquam intellectus evidentiam eorum sibi queat comparare : — 2° Veritates esse relativas, et non absolutas, quia iuxta diversas hominum ac societatum exigentias, quae iterum ab ipso hominum arbitrio penderent, diversa statuerentur principia : — 3° Necessario admittendum plenum scepticismum; intellectus enim ex una parte nullam habet evidentiam veritatum, ex altera remedium ab eis appositum ad aliquid tamquam certum admittendum, labile omnino est ac inane. Ergo. — 4° Tandem inde incidimus in purum *naturalismum*, vel *inanem fideismum*, et omnis praecluditur via ad revelationem supernaturalem dignoscendam, quippe quae maxime eruitur ex miraculis ac prophetiis, quae de-

bent speculative cognosci (1). Atqui certe haec omnia tum falsa tum absurda sunt, ea vero non tantum inferri queunt, sed iam magna ex parte deducta sunt, tum ab ipsis iisdem tum ab eorum fautoribus. Et ideo *ex fructibus eorum cognoscetis eos*. Ergo (2).

Prob. IV p. — Adversarii ita concludunt: debemus uti certa admittere principia illa, quae a nostra natura exiguntur. Atqui haec conclusio pugnat cum aliis ab eisdem statutis, ad suadendum, quod ratio nostra nil theoretice cognoscere potest. Ergo. — *Pr. m.* Nam 1° illae exigentiae debent a nobis cognosci saltem per conscientiam; — 2° agnoscendum est, quod conscientia circa proprium obiectum non fallitur, ideoque eius testimonium de reali existentia harum exigentiarum est infallibiliter certum; — 3° pro certo habendum est, illud, quod exigitur, necessario existere in rerum natura, nam secus transitus fieri nequit ab exigentia ad realem horum obiectorum existentiam: — 4° insuper hoc principium statui nequit, nisi alterum praesupponatur, scilicet *natura non deest in necessariis;* quod cum alio connectitur, nempe *natura semper eodem modo operatur*, secus enim non semper illas exigentias expleret. Atqui haec omnia principia e diametro opponuntur illis, quibus Balfour ostendere conatur, nos nihil posse certo cognoscere; imo ipsa eadem sunt, quae Balfour asserit a nobis cognosci non posse. Ergo.

Quare ad hominem contra totum eius systema ita licet argumentari. Tu dicis, nos certo cognoscere, dari quasdam exigentias tum in nobis tum in ipsa societate, quae indubie explendae sunt, et inde concludis, admittendas esse veritates illas saltem practicas, quae istis satisfaciant. Atqui hoc est evidens argumentum, quo ipsa ratio inducitur ad

(1) Hoc punctum praesertim ad theologos spectat, cfr. si placet, quae habet P. Mattiussi hac de re in *Scuola Catt.* 1905 q. di luglio, p. 39.

(2) Argumentum videtur evidens, nihilominus quod innuimus in 2° *de veritate relativa* adversarii non modo admittere non renuunt, sed tamquam pulcherrimum inventum huius theoriae profiteri gloriantur. Porro eius absurditas, uti a recentioribus defenditur, aperte colligitur ex iis, quae de fontibus ac natura veritatis iam satis disseruimus. Sed quoniam diserte de ea inferius loquendum erit, nil aliud modo addendum videtur.

videndam realem evidentiam illarum veritatum. Ergo falsum omnino est, quod ratio nostra nullam rerum evidentiam sibi potest comparare. Ac proinde inter duos illos scepticismos, quos Balfour distinxit, uti superius retulimus, necessarius adest nexus, et si alter repugnat, ut ipse idem fatetur, et prior quoque reiiciendus est.

[illegible]. **Obiicies.** — I. Cognitio theorica est immanens, nec valet exire extra se ad res ipsas in se attingendas. Atqui talis cognitio nequit repraesentare nisi tantum phaenomena. Ergo. — *R. D.* 1am p. *M.*: repraesentative est immanens, *n.*; entitative, *subd.*: praesupposita determinatione ab extrinseco habita, *c.*; independenter ab ipsa, *n.* — *D.* eodem modo 2am *p.*: nequit entitative extra se exire, *c.*; neque repraesentative, *subd.*; si non determinetur ab ipsis rebus, *transeat*; si determinatur, *n.* — *Contrad. m.*... Haec difficultas iam saepe soluta est iuxta Scholasticorum principia (1).

II. Vera philosophia ea est, quae influxum in vitam hominis exercet. Atqui haec non est metaphysica Arist. Ergo. — *R. D. M.*: influxum solido innixum fundamento, *c.*; eo destitutum et tantum apparentem, *n.* — *Contrad. m.*... Et in hoc maximum adest discrimen inter phil. Aristotelico-Scholasticam et recentiorem immanentiae. Altera enim hoc in primis spectat, ut fundamenta solida ponat ad exercitium activitatis humanae explendum. Quoniam enim voluntas, quae facultas *caeca* vel melius *non videns* appellari solet, nil aliud est nisi tendentia in obiectum apprehensum per intellectum, nequit se bene in ipsum dirigi, nisi hoc ab intellectu rite apprehendatur atque ita sibi praesens fiat. Atqui adversarii, primo incipiunt a sola voluntate, et deinde statuunt, quod ipsa voluntas debet proponere intellectui obiectum intelligendum. Eorum doctrina proinde aut ordinem rerum et ordinationem influxuum in vitam hominis pervertit, aut ipsum prorsus effraenum et arbitrarium nisi etiam periculosum reddit.

III. Ex theoria affectiva certitudinem gignit, quae est omnino naturalis. Atqui naturale est homini veritates admittere propter auctoritatem et argumenta practica. Ergo — *R. D. M.*:... quae est naturalis secundum integram naturam hominis, *c.*; secundum aliquam [illegible] tantum, *n.* — *D. m.*:... si talis aucto-

(1) Cf. cum P. Bonnet (De l'apologétique, p. 112): « La connaissance [illegible] pas, comme on a pu le dire, une chose qui n'ait rien de commun avec la réalité externe de l'objet connu, ce qui nous permettrait de penser en dehors de notre pensée, mais elle renferme, dans l'idée un double caractère : l'un subjectif, qu'elle possède comme acte vital de notre intelligence, l'autre objectif, qui lui convient en tant que représentation intellectuelle, et c'est en vertu de ce second caractère que l'objet est en nous réellement *in esse cogniti non in esse rei*, comme dit l'École. Ce rapport de l'idée à son objet peut témoigner de la réalité de ce dernier, sans qu'il soit nécessaire de passer par l'intermédiaire de l'action. »

ritas et argumenta practica reali innituntur fundamento, *c.*; si eo destituuntur, *n.* — Iamvero si natura hominis, qua rationalis, integre spectatur, ipsi primo naturale est res in se apprehendere, et non sistit tantum in argumentis practicis, sed eorum quoque rationes investigare conatur, et si quandoque hoc praestare non valet, supponit saltem eas adesse debere. Atqui haec principia recentiores reiiciunt. Ergo.

IV. Illud est homini essentiale, quod est primum principium operationum. Atqui tale est ipsum velle, non autem cognoscere: « *L'action c'est la vie*, » ait Brunetière. Ergo. — *R. D. M.*;.. quod est primum simpliciter, *c.*; secundum quid, *n.* — *Contrad. m.*; velle est principium primum simpliciter, *n.*; secundum quid seu tantum quoad exercitium actus, *c.* — Certum est, quod operationes hominis, qua homo est, etiam cognoscitivae, pendent a voluntate quoad exercitium, at minime quoad specificationem: ut innuimus in n. 123, et in psychologia melius monstrabitur.

V. Nostra aetate metaphysica despecta est. Atqui ista nullam potest gignere certitudinem. Ergo. — *R. D. M.* despecta est, quia ignoratur, nec omnes valent eam rite intelligere, *c.*, quia in se cognoscitur et iudicatur despicienda esse, *n.* — *Contrad. m.*; si cognosceretur et despiceretur, *c.*, si tantum ignoratur, *n.*

VI. Metaphysica theoretica est campus pugnae, in quo non habentur nisi ruinae et controversiae. Atqui ita nulla certitudo haberi potest. Ergo. — *R. D. M.* in quaestionibus difficilioribus et subtilioribus, *c.*, in quaestionibus communioribus et *vere* fundamentalibus, *n.*, vel *subd.*, sunt controversiae inter probos ac sanos philosophos, *n.*, inter eos qui non recte philosophantur, *c.* — *Contrad. m.*, si in omnibus essent controversiae, *c.*, si tantum in difficilioribus, *n.* Possumus argumentum ita retorquere: Vita practica hominum est campus ingentium contradictionum, ac praesertim nostra aetate multi conantur approbare actiones, quas alii reprobant. Atqui ita nulla haberi potest certitudo. Ergo. — Et revera si quis vult quaestiones et controversias practicas dirimere, nonnisi per principia theoretica certa hoc efficere valet. Igitur agnoscenda est in metaphysica certitudo quarundam saltem veritatum, quae ad idealismum theoreticum arcendum satis superque sunt, et vitae practicae inserviunt.

252. **Doctrina Blondel.** — Eadem doctrina et in Gallia multo magis propalata est inter catholicos, qui existimantes, *obsequium se praestare veritati* praesertim revelatae, conati sunt per eandem remedium afferre scepticismo, omnia pervadenti (1). Prin-

(1) Ultima huius doctrinae ratio in illis verbis continetur, quae, uti refert *Fonsegrive* (*Le Catholic.* et La Vie de l'Esprit p. 3), professor quidam a. 1895 pronuntiavit cuidam sacerdoti e S. Sulpitio, ab eo sciscitanti, quid agendum esset cum iis, qui in dubium semper vocabant argumenta, quibus fundamentales veritates religionis naturalis demonstrare conabatur. Ille respondit: « Mihi videtur, quoniam et isti eandem habent fidem ac tu, quod a fide initium sumen-

ceps huius novae doctrinae auctor *Blondel* esse videtur, qui scholasticam repudiandam esse autumat (1).

Hinc aperte fatetur quod conceptio moderna philosophiae iuxta Kantii principia evoluta melius satisfacit, quam antiquior a scholasticis proposita. Ac proinde concludit, quod vera methodus, quae est simul philosophica et christiana ea est, quam ipse methodum *immanentiae* appellat (2).

253. **Doctrina Laberthonnière.** — Huic sententiae accessit P. Laberthonnière Oratorianus (3), qui tuetur, ad certitudinem plene adipiscendam recurrendum esse ad *dogmatismum moralem*, qui est « explicatio certitudinis per actionem ». Iamvero etiam ipse ostendere conatur, quod argumenta rationis theoreticae nunquam

dum sit, et potius quam per rationem ad fidem devenire, melius erit mediante fide adinvenire rationis argumenta ». Tunc idem professor invitatus est ut praelectionem haberet in Issy *de conditionibus recentis apologeticae*, et in ea ipse ostendit, quod ex tribus argumentationibus, philosophica, aesthetica ac morali, quae afferri solent, tertia seligenda est, et prior quamvis sit fundamentum istius, modo tamen seponenda videtur, quia recentiores denegant valorem metaphysicum ac transcendentalem rationis (cfr. ibid. p. 7, 12). Tota haec oratio edita fuit in ephem. « Le Monde » m. maio et iunio a. 1895, adnotato tamquam auctore *Yves de Querdec*. Sed omnia haec principia ortum ducunt a Kant, ut etiam Fonsegrive advertit (ibid. p. 52) et sunt eorundem evolutio. Hinc R. D. Denis, director ephem. « Annales de phil. chrétienne » eam comparavit cum principiis propositis a Mauritio Blondel in op. « L'Action » et ab eius profess. Ollé-Laprune in op. « Le Prix de la vie ». At Blondel conatus est ostendere, sua principia diversa esse et quasdam exposuit rationes editas in eadem eph. ac dein in libello peculiari. Contra eum scripserunt P. Schwalm in « Revue thomiste » et R. D. Gayrand in eadem « Annales... ». Sed, ut bene advertit Fonsegrive (ib. p. 32), quamvis haec quaestio in campo apologeticae agitetur, ea tamen est praeprimis scientifica, cum in controversiam veniat ipse metaphysicae scientificus valor.

(1) « C'est la conception même de la raison et de la philosophie, ipse ait, telle qu'elle est admise dans la scolastique comme un héritage du passé, qui enferme de tous les combats livrés depuis lors contre l'idée chrétienne ». Lettre p. 47. Et in ipso limine ait: « La métaphysique, telle du moins qu'on nous la présente traditionellement, est impuissante, quand il s'agit de porter aujourd'hui les esprits au christianisme ».

(2) Ipse enim statuit iuxta Kantii principia, nos non posse directe per sensus ac rationem speculativam cum certitudine cognoscere res in se extra nos existentes, sed solum phaenomena. (L'*Action*, p. 450). Quapropter philosophia scholastica, utpote tota in illo principio innixa, quod potius *vulgare* quam vere *scientificum* habendum est, derelinquenda, et comparanda cum recentiori, sicut physica antiquorum cum physica recentiorum. Et inutiles omnino sunt recentiorum conatus, qui eam instaurare adnituntur.

(3) Ipse fuit director ephem. « Les Ann. de la phil. chrét. »: ipse praecipuas inquisitiones ac conclusiones, quas in hac ephem, protulit, dein simul composuit in opere, cui titulus « Essais de Phil. Relig. », quod a. 1905 a Sacra Indicis Congreg. proscriptum fuit, cui auctor laudabiliter se subiecit. Diversas complectitur quaestiones, quarum prima est « le dogmatisme moral », quae viam aliis aperit.

valent certitudinem praeseferre; haec enim non a sola ratione sed a toto homine consequenda est, ab intellectu nempe et a voluntate, imo primo a voluntate, quae secum trahit intellectum. Unde iterum concludit derelinquendam esse philosophiam scholasticam, quam vocat *intellectualismum*, et adhuc peius *idololatriam idearum;* et potius amplectendam esse philosophiam practicam a Blondel recte definitam, secundum quam incipiendum est ab ipso subiecto; quae tamen doctrina, ipse ait, praecursores habet celebres mysticos christianos, quos inter enumerat Pascal.

Videlicet curandum est, ut inquirantur principia practica (1), quae in nobis inveniuntur et ex nostra conscientia fluunt, et eadem simul ordinentur, non modo evitando contradictiones, quae exurgere possent, ut simul cohaereant, sed etiam efficiendo, ut concordent cum omnibus exigentis internis, a quibus expoliari non possumus, et cum actionibus, ad quas nos ordinamur.

254. **De veritate relativa iuxta Le Roy.** — Cum doctrina eorundum accensenda est doctrina quam Le Roy proponit *de veritate relativa*, quippe quae iisdem innititur principiis. Ipse enim ait: « Videtur omnis veritas particularis, omnis veritas distincte proposita esse relativa, contingens... Ipsa est semper conditionata ». Ac proinde « omni veritati, quae nunc certo cognoscitur, semper opponi potest aliquid incognitum, vel nova aliqua possibilis cognitio futura » (2).

Porro haec eius doctrina, quamvis minime nova, (3), iisdem innititur principiis aliorum modernistarum quae modo exposui-

(1) Inde ostendit quod ex hac sedula consideratione paullatim tandem huc devenimus, *a*) ut asseramus nos non esse nobis sufficientes, *b*) neque ipsas nostras cogitationes posse in nobis adesse, quin exigant obiecta, ad quae referantur, *c*) et nostras operationes non posse compleri, imo neque incipi sine aliorum concursu. Hinc idealismus, qui prima fronte videbatur contineri in theoria *immanentiae*, e converso per eam funditus evertitur, quia idealismus impedit, quominus coordinetur systema nostrorum conceptuum ac praesertim systema nostrarum operationum. Cooperatio humana ac divina igitur, imo ipsa gratia revelata et infallibile Ecclesiae magisterium sunt totidem postulata (autant de *desiderata*) vel exigentiae actionis (de *requisits* de l'action).

(2) « Y a-t-il des vérités éternelles et nécessaires? On ne peut douter. Il sembre en effet, que toute vérité particulière, toute vérité distinctement formulable soit relative, contingente. Elle ne se rapporte jamais qu'à certaines attitudes, ou à certaines points de vue de l'esprit. Elle suppose toujours des conditions, des postulats... » *Revue de metaph. et morale*, mars 1907, p. 167. Et alibi « A toute certitude actuelle, on peut, semblet-il opposer l'inconnu et les révélations possibles de l'avenir... Comment pourrait-on saisir dans un instant mathématique, intemporel au fond, la durée vivante, qui est par essence la négation d'un tel instant? » « Sur la notion de verité ». Correspondance de l'Union pour la vérité 1906, p. 102, 103.

(3) Haec sane theoria de veritate relativa iam antea ab aliis philosophis praeformata fuerat. Nam Augustus Comte aiebat *tantum quod est relativum est positivum*, quum scopus cognitionis positivae seu experimentalis in eo sit, ut phaenomena inter se conferat, eaque valeat cum una lege universali ». g.

mus. Ea vero ad duo capita reducuntur, — *a*) ad despectum doctrinae scholasticorum et quoad hoc punctum nil aliud addendum manet, praeter ea, quae in thesi superiori exposuimus; — *b*) ad novam methodum instaurandam, quam ipsi *immanentiae* theoriam vocant, quam proinde expendendam esse censemus. Antea tamen ad peculiare examen vocanda est theoria de veritate relativa, quippe quae multis scatet aequivocationibus et erroribus.

Thesis XLVI.

Veritas relativa ratione obiecti formalis ut absurda reiicienda est, quia contradicit* a) *ipsi veritatis rationi;* b) *ipsi naturae intellectus nostri, qui ad certitudinem tendit; quia* c) *omnem destruit scientiam; ac* d) *necessario ad plenum scepticismum ducit.

255. **Declaratur.** — Iam age, veritas *relativa* multiplici ratione intelligi potest. 1° Ratione *obiecti materialis*. Prout *a*) opponitur *veritati absolute plenae*, quae omnem rerum entitatem ambit, quaeque in solo Deo reperitur; et tunc ea idem est ac veritas *participata* ac *limitata*. Profecto hoc sensu omnis veritas humana relativa dici potest, uti

gravitationis componere. Item mathematica nos hanc primam regulam docet: *omnia sunt relativa*, quum ipsa hunc scopum habeat *determinandi unam magnitudinem per aliam iuxta relationes, quae inter ipsas existunt*. Item Alexander Bain exorditur suam logicam deductivam asserendo, in omni nostra cognitione proprie percipi *relationem inter cognoscentem et rem cognitam*, ac proinde ex mutatione alterutrius termini diversam enasci cognitionem. Ulterius progressus est Renouvier, qui kantianis imbutus principiis ait, *omnem nostram cognitionem nequaquam se referre ad res in se sed tantum ad nostras repraesentationes*, eo modo coniunctas, sicut cognitio nostra eas unit. Cfr. *Essais de critique générale* premier partie s. VII.

Unde tandem Spencer suum systema « *De Incognoscibili* » efformavit, statuendo tamquam fundamentale principium: « quod rerum realitas recondita sub omnibus apparentiis (seu repraesentationibus) est et debet semper manere incognita ». Et ratio in eo est, quod « affirmari potest nostros conceptus neque esse neque esse posse absolutos, ortos sive ex analysi effectuum conceptus, sive ex analysi operationis eiusdem ». Cfr. *Premiers Principes Trad. Cazelles* - Paris, p. 73 - *First Principles* - London 1904, p. 51.

Et cum eo aliqua ratione etiam Brunetière concinit. Ipse asserit cognitionem nostram esse relativam hoc sensu « en premier lieu que nos connaissances dépendent de la nature de nos moyens de connaître, et par ex. que si nous avions, tant que nous sommes, d'autres sens ou six sens au lieu de cinq, ou le cerveau fait d'une autre sorte, le monde extérieur nous apparaîtrait peut être sous un aspect assez différent de celui que nous lui prêtons; et on peut bien le dire, mais ils n'en savent rien ». *Sur les chemins de la Croyances - Utilisation du Positivisme* - Paris, 1905, p. 15.

facile patet. — Vel *b*) prout ipsa adaequatur uni vel alteri rerum perfectioni non autem omnibus, quae eis insunt. Et ipsa melius dicitur veritas *abstractiva* seu *partialis*, inquantum per eam una vel altera tantum perfectio a rebus abstracta apprehenditur, ac proinde illi tantum mens nostra adaequatur. Huiusmodi esse veritatem cognitionis humanae clare elucet ex natura intellectus nostri.

2° Ratione *actus* seu *subiective* dici potest *relativa*, — vel *a*) quatenus cognitio sese refert tantum ad illam rei perfectionem seu formam, quae afficit aliquam facultatem, e. g. ad colorem, qui afficit oculum, ad sonum, qui afficit aurem, ideoque est *partialis* : et hoc sensu admitti potest. — vel *b*) quatenus cognitio per diversos mentis actus, iudicia ac ratiocinia pedetentim progreditur ad res perfectius attingendas. Ea opponitur veritati *simpliciter absolutae*, existenti in solo Deo, qui uno simplicissimo actu omnia cognoscit. Et hac ratione omnis veritas humani intellectus relativa nuncupari potest : — vel *c*) illa quae non evidenter affulget intellectui nostro, unde vocatur *probabilis* vel *dubia*. Dum contra veritas, quae evidentia plena gaudens menti apparet, diceretur *secundum quid absoluta* et *prorsus certa*. Porro uti eruitur ex iis, quae innuimus de diversis statibus mentis nostrae, haec veritas relativa quandoque in nobis reperiri potest, sed non semper.

3° Ratione *obiecti formalis* seu ipsius adaequationis intellectus et rei, diceretur relativa, quatenus aliquod iudicium nunc appareret evidenter verum intellectui, ac postea falsum; vel uni intellectui appareret verum, alteri falsum. Et hac ratione omnia iudicia intellectus nostri essent vera tantum relate ad quosdam homines vel ad quasdam aetates, ac proinde in dies mutationi obnoxia.

Profecto hac ultima ratione loquuntur modernistae, cum asserant veritates intellectus humani esse relativas. Huiusmodi autem doctrina quam falsa ac perniciosissima sit, luculenter ostendit S. P. Pius X in celebri Encyclica « Pascendi » (7 sept. 1907) contra modernistas tam sapienter concinnata. Praestat igitur hanc eorum doctrinam directe refellere iuxta rationis principia, quae in thesi statuimus.

256. **Prob. I p.** — *contradicit veritatis rationi.* — Veritas relativa ratione obiecti formalis ea dicitur, quae etsi affulgeat intellectui ut innixa motivo firmo et irrefragabili, potest semper mutari et evadere falsa. Atqui huiusmodi veritas relativa manifestam involvit contradictionem. Ergo veritas relativa pugnat cum veritatis ratione. — *Pr. m.* — Veritas intellectus nostri determinatur a rebus, et quando innititur motivo firmo ac evidenti causatur ab aliqua ratione rebus essentiali, uti vidimus (n. 18), et hoc nec ipsi adversarii inficiantur, vel inficiari possunt. Atqui res secundum suas rationes essentiales sunt immutabiles. Quamquam enim individua mutantur, intereunt ac nascuntur et diversas accidentales induunt perfectiones, ipsae tamen essentiae non mutantur. Ergo etiam cognitio nostra, quae a rebus hauritur et eis respondere debet, eadem semper sit oportet. Atqui haec cognitio contradicit veritati relativae ratione obiecti formalis. Ergo veritas relativa contradictionem involvit.

257. **Dices :** I. Saepe accidit, quod aliquod principium nunc videtur verum deinde falsum, ab uno demonstratur esse certum, ab alio autem absurdum. Atqui si veritas esset absoluta, hoc nunquam contingere posset. Ergo. — *R. D. M.;* i. e., illud principium in se, seu prout realiter rebus ipsis respondet, nunc est verum ac dein falsum, *n.;* prout nobis videtur respondere rebus, *subd.;* si non habetur plena evidentia nec omnes perpenduntur rationes, *c.;* si hoc utrumque adest, *n.* — *Conrtad. m.*... Iamvero si difficultas aliquid probat, hoc unum evincit, videlicet, non omnes veritates eadem nobis evidentia affulgere, quod et nos saepissime professi sumus. At simul etiam asserimus, multas quoque adesse veritates, quae cum certitudine a nobis comparari possunt, et nonnisi temerarie et sibimetipsis contradicendo denegari queunt (1). Alia vero potius quam *relative vera*, dici possent *probabilia*, quae proprie constituunt campum illarum controversiarum, in quo nunquam liceret apodictice asserere.

Dices : II. Recentiores non agnoscunt veritatem causari ab

(1) « Mais M. Lévy-Brühl ne nous a pas cité en exemple la somme immense des faits, des lois, des vérités en un mot, qui n'ont pas subi la moindre transformation et que l'on ritrait soi-même de supposer variables. Par exemple, que le mouvemente produit la chaleur, que le fer, le plomb, l'or, l'argent et en général tous le métaux sont à la fois et ductiles et fusibles, que l'aimant attire le fer, que la chaleur rayonne, que les espaces parcourus par un corps qui tombe sont proportionnelles aux carrès des temps etc....» Fonsegrive, ibid. p. 133.

ipsis rebus. Ergo. — *R. D. A.;* non agnoscunt propter motivum rationabile et evidens, *n.*, irrationabiliter et contradicendo communi hominum consensui, *c.* — In hoc proinde adest fundamentale eorum peccatum.

258. **Prob. II p.** — *contradicit naturae intellectus nostri.* — Intellectus noster necessario tendit ad certitudinem seu ad veritatem adipiscendam tam firmiter, ut in ea quiescere valeat (n. 33). Atqui veritas relativa, quam neoterici tuentur, huic tendentiae contradicit. Ergo. — *Pr. m.* — Agnita huiusmodi veritate relativa, intellectus ita adhaeret veritati, ut nunquam in ea quiescere valeat, sed anceps haeret, utrum forte oppositum verum sit, vel utrum conditiones sive suipsius, sive obiecti cogniti, vel aliarum circumstantiarum mutatae sint, quia illa quoque veritas tunc mutanda erit. Atqui hoc pacto intellectus penitus impeditur, ne quietem illam assequatur, ad quam naturaliter tendit. Ergo veritas relativa ei penitus contradicit.

Insuper intellectus tendit non modo ad veritatem addiscendam, sed ad eam aliis quoque communicandam; ideo facultas loquendi nobis data est, ideo etiam libri eduntur, scholae instituuntur, atque alia id genus in hominum societate deprehenduntur. Atqui posita veritate relativa, haec omnia frustranea essent. Ergo ipsa contradicit naturae intellectus. — *Prob. m.* — Qui illam tuentur, consequenter asserunt, aliquod iudicium relate ad unum posse esse verum, relate ad alterum vero falsum. Atqui tunc nemo valet alios docere, libros edere, quum ceteri ei semper opponere possint; *illud quod tu censes verum, relate ad nos est falsum; ideoque tuus labor frustraneus est.* Ergo.

259. **Dices:** I. Certitudo, ad quam tendit intellectus, ea est quae hic et nunc ab unoquoque obtineri potest. Atqui ipsa certo habetur per veritatem relativam. Ergo. — *Resp. D. M.:*... ita ut in ipsa semel adepta immutabiliter valeat intellectus quiescere, *c.:* ita ut possit semper intellectus formidare, ne postea ei amplius sit adhaerendum, *n.* — *Contrad. m.* — Nimirum intellectus non tendit ad illam plenam certitudinem, quae cognitionem absolutam et adaequatam rerum consequitur, ea quippe in Deo tantum reperitur. Sed ad eam potius, quae cognitionem rerum limitatam et abstractivam comitatur, ut antea innuimus. Quocirca hoc sensu recte dici potest, intellectum tendere ad certitu-

dinem relativam vel melius *limitatam*, quam hic et nunc adipisci valet. At hoc etiam in casu, semper requiritur, quod intellectus illi veritati limitatae ita adhaereat, ut nunquam dubitet, ne forte illa eadem veritas falsa evadat (1).

Dices: II. Homines veritates aliis communicant ea mente, ut ipsi eas amplectantur, quae sibi quoque verae apparent, et alias reiiciant. Atqui hoc plane cohaeret cum notione veritatis relativae. Ergo. — *R. D. M.*;... Quando docent veritates tantum probabiles, *c.*; quando docent veritates omnino certas firmo et irrefragabili motivo innixas, *n.* — *Contrad, m.*; docere veritates probabiles cohaeret,... *c.*; docere veritates omnino certas, *n.*

260. **Prob. III p.** — Scientia stricte dicta ea est, quae facit scire cum certitudine veritates universales ac necessarias. Atqui posita veritate relativa, ipsa nunquam potest a nobis comparari. Ergo. — Maior patet ex natura scientiae, quae per demonstrationem acquiritur, ut innuimus (n. 153), et ex mente eorum qui eam excolunt. Quippe qui illud semper spectant ut veritates inquirant ac certo statuant, quibus semel rite detectis, nefas putant, posse unquam de eis dubium, aut suspicionem moveri, ne forte aliquando falsae dici queant (2). Minor evidens est, quia veritas relativa,

(1) Sed hic iuvat advertere cum P. Billot (*De Immutabilitate Traditionis* a. 1907, p. 97) « quid distet inter eam, quam dicunt *veritatem relativam*, et eam quam admittimus *perfectionem relativam cognitionis veritatis*. Sane vero, sicut sunt infiniti intellectus possibiles, alii aliis perfectiores, usque ad summum intellectum, qui Deus est, ita uqoque sunt infiniti perfectionis gradus in cognitione veri. Est cognitio comprehensiva, est non comprehensiva; est intuitiva, est abstractiva; est propria et quidditativa, est impropria et analogica. Sunt species intelligibiles, quae diversis modis res repraesentant; est lumen intellectuale plus minusve potens penetrare id quod in eis continetur, et iudicare secundum ipsas. Est claritas principiorum plus minusve intensa; est plus minusve attenta consideratio notarum obiecti, factorum quae ab experientia dantur, effectuum in ordine ad causas. Sunt iudicia certa, sunt probabilia; sunt argumenta apodictica, sunt solae coniecturae, etc. Potest igitur dici quod perfecta est relate ad hominem illa cognitio veritatis, quae esset relate ad angelum imperfectissima, eodem nimirum sensu quo recte diceretur magna relate ad puerum scientia de qua erubesceret doctus philosophus. At quaeso, ne inde deducas quod quidquid veri assequitur puer, non sit aequalis veritatis pro philosopho. Ne concludas quod veritas ipsa dicenda sit relativa ad varios intellectus, vel varias conditiones eorundem. Quippe adaequatio in qua consistit eius ratio, non admittit gradus, utpote in hoc reposita, quod forma expressa per praedicatum convenit revera subiecto reali sicut affirmat intellectus. Et adaequatio ista vel est, vel non est. Unde iudicium vel est absolute verum, vel est absolute falsum ».

(2) Recte advertit Fonsegrive « Toutes les fois que de philosophes tels que Stuart Mill, au nom de l'empirisme, au d'autres, au nom du contingisme, ont prétendu que la vérité était susceptible de changement, on a pu leur deman-

quum mutabilis et contingens esset, omnem necessitatem et universalitatem scientiae perimeret.

Prob. IV p. — Quae plane sequitur ex parte II. — Illa theoria necessario ducit ad scepticismum, quae nullam sinit certitudinem assequi posse. Atqui huiusmodi est theoria de veritate relativa, uti patet. Ergo.

261. **Dices:** I. (cum Le Roy). Cognitio fit in instanti mathematico. Atqui ea nequit apprehendere veritates quae durationem habeant aeternam. Ergo. — *R. D. M.;* actus formalis cognitionis, *c.;* veritas quae in ea apprehenditur fit in instanti, *n.* — *D. m.:* si veritas quae apprehenditur fieret in instanti ab eoque penderet, *c.;* si ipsa in se independens est a tempore, *n.* — Quare quamvis cognitio fiat in instanti, veritas tamen apprehensa minime ab illo instanti dependet, ac proinde non est tantum per illud instans vera. Et cum veritas dicitur aeterna, intelligitur, quod praescindat ab omni tempore, quatenus in quocumque temporis instanti apprehendatur, eadem semper erit.

II. Veritas nostrae cognitionis est conditionata, seu supponit aliquod principium a quo pendet. Atqui ipsa est relativa et contingens. Ergo. — *R. D. M.;* etiam veritates primae et indemonstrabiles, *n.;* veritates deductae, *subd.:* supponunt principium certum ac necessarium in quo innituntur, *c.;* principium probabile, *iter. d.:* quaedam veritates, quae ideo probabiles dicuntur, *c.; omnes, n.* — *Contrad. n.:* veritas quae pendet a principio *probabili, c.;* quae pendet a principio necessario ac certo, *n.* — Supponimus nunc, uti innuimus (n. 254), veritatem cognitionis nostrae non esse necessariam et simpliciter absolutam, sicut veritas cognitionis divinae, quia est limitata, abstractiva ac deductiva. Attamen, quum deducatur ex principiis in se omnino certis, ea quoque certa dici debet ac necessaria, minime vero relativa.

III. Realitas rerum est in se una et integra. Atqui cognitio nostra nunquam totam illam apprehendere valet, sed partem tantum. Ergo ipsa est semper deficiens, seu relativa, nec unquam

der par la voix de Mansel ou de M. Fouillée si vraiment ils pouvaient penser qu'un moment pût bien arriver où 2+2 viendraient à égaler 5, où les trois angles d'un triangle seraient plus grands ou plus petits que deux droits». Ibidem p. 138. — Hoc idem etiam Claudius Bernard asserit (*Introduction à la médecine expérim.*, p. 65): « Dans les mathématiques quand on part d'un axiome ou d'un principe dont la vérité est absolument nécessaire et consciente, la liberté n'existe plus, les vérités acquises sont immuables. Le géomètre n'est pas libre de mettre en doute si les trois angles d'un triangle sont égaux à deux droits; par conséquent il n'est pas libre de rejeter les conséquences logiques qui se déduisent de ce principe... Les vérités mathématiques étant immuables et absolues, la science s'accroît par juxtaposition simple et successive de toutes les vérités acquises ».

veram certitudinem e rebus haurire potest (1). — *R. D. M.;*... quae tamen praesefert perfectiones apprime inter se distinctas, *c.;* quae unam simplicissimam et indivisam perfectionem importat, *n.* — *D. m.;* i. e. nequit omnes perfectiones eius simul apprehendere, *c.;* nequit unam ex illis in se totam apprehendere, *n.* — *D. c.* est *negative* deficiens, *c.;* *positive* deficiens, quatenus neque unam ex illis perfectionibus recte cognoscat, *n.* Quando oculus percipit colorem alicuius pomi, plene eum cognoscit secundum illam rationem, quamvis eius saporem omnesque alias eiusdem perfectiones ignoret, nec ullus unquam hanc cognitionem falsam aut positive deficientem appellaret. Ergo pariter quamvis intellectus, unam tantum alteramve rei perfectionem cognoscat, ceteris omissis, nequaquam dici debet falso aut positive deficienter cognoscere, dummodo has alias perfectiones non deneget (2).

IV. Omnis veritas non est nisi particularis quaedam apprehensio rei. Atqui ista est relativa ac mutabilis iuxta diversas illas apprehensiones. Ergo. — *R. D. M.;*... quae tamen apprehensio est reapse adaequata particulari rei perfectioni, *c.;* non est ei adaequata, *n.* — *Contrad. m.;* si nulli rei perfectioni adaequaretur, *c.;* si uni saltem adaequaretur, *subd.:* est relativa ratione obiecti materialis seu limitata, prout opponitur absolutae et comprehensivae, *c.:* est relativa ratione obiecti formalis, ideoque in se mutabilis, *n.* — Quapropter si quid evincit difficultas, hoc unum inferri potest, nimirum veritates, quas nos de rebus apprehendimus, esse limitatas, quod ultro omnes fatemur. Unde sequitur proinde posse semper nos progredi ad novas veritates dignoscendas de aliqua re, quin tamen priores iam cognitae falsae dicendae sint.

(1) Quinzaine 16 avril, 502, 503. « La réalité n'est pas faite de pièces distinctes juxtaposées; tout est intérieur à tout; dans le moindre détail de la nature ou de la science l'analyse retrouve toute la science et toute la nature: chacun de nos états et de nos actes enveloppe notre âme entière et la totalité de ses puissances: la pensée, en un mot, s'implique elle-même tout entière à chacun de ses moments ou degrés ».

(2) Recole quae explicata sunt de valore obiectivo conceptuum universalium, ubi simul explanata est ratio huius abstractionis, quae requiritur ad illos a rebus hauriendos, et vocatur per *modum simplicis intelligentiae*, quae apprime distinguitur ab alia, quae per modum *compositionis seu divisionis* appellatur, cum qua frustra a quibusdam confunditur. Ibique etiam ostenditur, quomodo prior abstractio nullo modo veritati cognitionis refragatur (v. n. 69-72).

Thesis XLVII.

Theoria immanentiae modernistarum,* a) *quamvis forte pro vulgo quodam in casu sufficiat ad certitudinem gignendam,* b) *de se tamen prorsus insufficiens est ad certitudinem scientificam,* c) *et magis adhuc ad praeambula fidei demonstranda.

262. **Declaratur.** — Sedulo advertendum est, hanc theoriam uti fundamentum supponere idealismum theoreticum, uti accepimus; et hanc praecise ab rationem asserimus, eam esse reiiciendam. Dum contra si agnosceret doctrinam Scholasticorum *realismi moderati* et obiectivi valoris cognitionis, posset rite explicari et etiam probari. — Re quidem vera, theoria immanentiae rite explicata, quoad id quod affirmat, huc redire videtur, *a*) quod nos multas veritates admittimus propter conscientiae testimonium sive in ordine theoretico sive in ordine practico, ita praesertim totam legem naturalem, quae in nostra conscientia dicitur esse *naturaliter insita*, et ipsam Dei existentiam ex ordine morali deducere possumus; — *b*) multas item profitemur ob traditionem habitam, vel melius ob sensum naturae communem, qui in omnibus ac naturaliter in quaedam erumpit iudicia; — *c*) alias autem ob auctoritatem eorum, quorum scientiam ac veracitatem agnoscimus. Atqui haec omnia in doctrina Scholasticorum profitente realismum moderatum admitti possunt, uti ex iis, quae superius disputavimus, pronum est colligere (1). Ergo.

(1) Imo si quis hanc theoriam ita intellectam applicaret ad apologeticam, recte procederet, ut ait etiam P. Le Bachelet cum Fonsegrive (*Etudes* t. 72, p. 375): « S'il s'agit de l'apologétique « moderne » qui se réduit à prouver le christianisme, par sa valeur et sa vertu intrinséques, la reponse est facile maintenant: entre le passé et le présent il n'y a pas à parler d'opposition ni de substitution. Envisagée sous son veritable aspect, si riche et si fécond, l'ancienne méthode contient, comme le tout contient sa partie, cette forme particulière dont M. Fonsegrive a dit: « L'apologétique telle que la proposent M. M. Ollé-Laprune, Balfour et Blondel, aurait surtout pour l'object l'exposition de la valeur et de la vertu intrinsèques du Cristianisme ». Ce genre de démonstration rentre, en effet, dans la seconde catégorie des critères reconnus par la tradition théologique, celle des critères internes ».

R. P. Schwalm hanc ipsam ideam exprimit in Revue thomiste mense mar-

Quinimmo existimamus nonnullos huic theoriae nimis faciliter adhaesisse, quia forte nonnisi haec principia tantum inspexerunt, quin adverterent ad defectum fundamenti in quo ipsa inniti deberent, ob idealismum, quem modernistae protitentur. Unde nobis modo efficiendum est ut demostremus hanc theoriam reduplicative qua innixam in idealismo reiiciendam esse.

263. **Prob. I p.** — Vulgus hominum non semper quaerit ultimas rerum causas vel intimas earum rationes, sed facilius adhaeret principiis illis, quae praxim respiciunt; eaque melius intelligit; atque ideo argumenta moralia ad demonstrandam spiritualitatem, immortalitatem animae, libertatem, Dei existentiam... et huiusmodi, facilius ipsis probant quam argumenta metaphysica. Atqui hoc in casu recte adhiberi possunt haec argumenta moralia, dummodo tamen caveatur, ne aliquid dicatur contra ipsum valorem rationis theoreticae, secus enim periculum certum adest, ne ipsum vulgus ratiocinando videat inanitatem illorum argumentorum, si cum idealismo theoretico connectuntur. Ergo.

Prob. II p. — Certitudo scientifica de aliqua re habetur, quum intellectus percipit ultimas ac veras rationes, cur aliquid admittendum sit, ita ut plene satisfaciat insito illi desiderio noscendi rerum causas. Atqui argumenta moralia vel practica in idealismo theoretico nullam huiusmodi certitudinem pariunt. Ergo. — *Pr. m.* Haec argumenta tunc possent veram gignere certitudinem: — *a*) quum agnoscatur saltem ratio practica posse attingere res ipsas externas, circa quas ea versantur; — *b*) quum admittatur ipsum principium causalitatis; — *c*) imo quum concedatur ipsum plane ad res realiter existentes applicari posse saltem per rationem practicam. — Porro haec tria certa sunt, tum quia ipse Blondel eadem fatetur, tum quia secus nullo prorsus

tii 1897, art. de Apologetica contemporanea, p. 92: « Je n'admettrais pas aussi absolument que M. Fonsegrive cette opposition de « traditionelle » et de modernes ». Car les deux méthodes sont dans la tradition, les deux s'inspirent de saint Augustin, de Tertullien, de Clément d'Alexandrie, etc ».

modo idealismus etiam practicus vitari posset. Atqui, nunc assumo, impossibile omnino esse haec tria in idealismo theoretico scientifice profiteri. Nam — *a*) ratio practica eadem est ac ratio theoretica, a qua tantum distinguitur, quia ista respicit tantummodo res existentes, illa autem res factas vel faciendas. Atqui si ratio nequit illas apprehendere, neque istas percipere potest, uti de se evidens est. Ergo. Item — *b*) ut ratio practica devenire possit, ad aliquid reale admittendum, debet fateri, illud, quod fit vel exigitur fieri, causam sui exposcere; ac proinde — *c*) debet principium causalitatis istis factis applicare. Atqui hoc idem potest ratio theoretica ostendere, uti verba intelligenti patet. Ergo si hoc negatur rationi theoreticae, etiam practicae negandum erit, ideoque nunquam scientificam certitudinem in hac theoria nobis comparare valemus.

Prob. III p. — Haec proprie ad theologos spectat; iuvat tamen aliquid breviter delibare. Praeambula fidei catholicae sunt motiva credibilitatis, quae certo nobis ostendunt, Deum aliquid hominibus revelasse, cui proinde fide divina ab omnibus credendum est. Atqui definiente etiam Concilio Vaticano, huiusmodi motiva desumenda sunt ex signis externis praesertim ex *miraculis* ac *prophetiis*, quibus Deus sensibiliter ac suo veluti sigillo nobis demonstrat, illas veritates a se esse revelatas (et hoc theologis relinquimus magis directe demonstrandum). Atqui rursus in idealismo theoretico haec motiva prorsus reiiciuntur, et potius recurritur ad internas quasdam exigentias et aspirationes, quae certe nihil evincere possunt, praesertim si spectatur revelatio ordinis supernaturalis, ad quem homo nullam habet exigentiam. Ergo.

264. **Obiicies.** I. Methodus immanentiae est antiqua sicut et ipsa philosophia. Ergo. — *R. D. M.;* methodus intellecta sensu exclusivo iuxta principia recentiorum profitentium idealismum theoreticum, *n.:* si sumitur non sensu exclusivo sed cum omnibus principiis realismi moderati scholasticorum, *c.* Recole quae superius n. 264 exposuimus, et distinctio patebit (1).

(1) Hanc difficultatem videtur proponere Fonsegrive *op. cit.* p. 68, animo conciliandi phil. modernam cum antiqua. Ait enim « Elle est, au fond, aussi vieille que la philos., elle-même. Car la phil. n'a jamais été que l'organisation des pen-

II. Methodus immanentiae recentiorum eo spectat, ut ostendatur, quomodo per principia practica devenire possumus ad principia theoretica admittenda. Atqui haec plene cohaeret cum methodo scholasticorum. Ergo. — *R. D. M.;* ita ut nolit prius admittere quaedam saltem principia theoretica ac possibilitatem eadem cognoscendi, *c.; ita ut hoc admittat, n. — Contrad. m.*,... si quaedam principia et possibilitatem illa theoretice cognoscendi admitteret, *c.*, si hoc respuit, *n.* — Et in hoc adest ingens ac fundamentale discrimen, uti saepe diximus, inter utramque sententiam.

III. Philosophia, sicut omnis scientia, progredi debet, et huc spectant conatus recentiorum. Atqui philosophia immanentiae est fructus horum conatuum. Ergo. — *R. D. M.*;... perficiendo et evolvendo quod antiquiores statuerunt, *c.;* destruendo illud, *prorsus nego. — Contrad. m....* Progressus enim habetur, quum aliquid imperfectum ad perfectum perducitur; ita semen progreditur, sese in arborem virentem evolvendo, infans in virum perfectum, et ita porro. Quapropter in omni scientia, praesertim in philosophia, progressus enascitur, quum quis examinando, investigando quod veteres docuerunt, conatur secernere verum a falso et excolere meliusque complere, quod ab eis vel obscure, vel forte imperfecte, vel tantum in semine reperitur. At recentiores contra fere toti in eo sunt, ut veterum doctrinam prorsus reiiciant, et quod peius est, etiam *a priori*, quin eam satis intelligere conentur.

IV. Vera philosophandi methodus ea est, in qua initium sumitur a principiis certis et ab omnibus admissis, ac praesertim satisfit novis exigentiis. Atqui scholastica, praesertim thomismus multa adstruit principia incerta, quae a plerisque non admittuntur, nec huiusmodi exigentiis satisfaciunt. Ergo (1). — *R. D. M.:* i. e. a principiis, quae admittuntur ab iis qui naturalem rationis ductum sequuntur eorumque rationalibus exigentiis satisfaciunt, *c.*;... ab iis, qui prorsus arbitrarie et contra ipsam rationem agunt, *n. — Contrad. m....* — Iamvero principia, quae nos admittimus, veris et communibus naturae exigentiis satisfaciunt, quia fere omnia desumuntur ex ipso sensu naturae communi, in quo reperitur genuinum testimonium harum exigentiarum, ita ut

sées humaines, et ce qu'on appelle démonstration d'une existence extérieure, qu'est-ce donc autre chose, au fond, que la mise au clair de la nécessité, en vertu de laquelle certaines de nos pensées, données comme objectives, exigent la position d'un objet? Quoi que nous fassions, nous ne pouvons penser en dehors de notre pensée, et tout ce que nous savons, nous ne le saurions pas, si nous ne le pensions pas... ». Optime omnino; et haec omnia plane intelliguntur in nostra sententia scholasticorum, qui immediate ex ipsis conceptibus deducimus, eos necessario repraesentare res, uti vidimus in th. III, in qua ostendimus hanc veritatem. At recentiores hanc praecise veritatem denegant, et ostendere conantur, quod ipsa practice utique admitti debet, theoretice tamen in dubium vocari et forsitan etiam denegari potest. Et quousque hoc discrimen inter nos et recentiores e medio non aufertur, nulla unquam conciliatio haberi poterit.

(1) Ita asserit Blondel l. c., pag. 478.

ipsi adversarii scholasticam appellare non vereantur *philosophiam sensus communis*. Atqui in ista invenitur vera vita, ea nempe, quae recta tendit ad suum finem et non circumfertur ab omni vento novitatum; ea, quae veris naturalibus exigentiis satisfacit et non iis, quae ad libitum efformantur; ea tandem, quae solidum praebet toti nostrae activitati fundamentum, et non in vacuum laborat.

V. Cognitio theoretica sensuum et intellectus versatur circa esse rei nobis apparens, non circa eius realem naturam, et principia, quae circa istam enunciantur, sunt aliquid abstractum. Atqui nobis inquirenda est realis natura rei. Ergo non sufficit cognitio theoretica sed requiritur practica (1). — *R. D.* 1am *p. M.*: i. e. non percipit statim totam et adaequatam rei naturam, *c.*: non percipit eam ut aliquid ontologicum in se existens et in se praeditum virtute ita afficiendi nostras facultates cognoscitivas, *n.* — *D.* 2am *p.*, haec principia sunt abstracta a principiis individuantibus, ita ut semper ac necessario ad res referantur, *c.*; ita ut ad ipsas non referantur, *n.* — *C. m.* Tota haec distinctio abunde superius explicata est.

VI. Si per sensationes et conceptus ipsum reale esse rei perciperetur, non haberentur errores et illusiones. Atqui habentur. Ergo. — *R. D. M.*:... circa obiectum proprium et conceptus simplices, *c.*; circa alia obiecta, *subd.*; si adhibentur media necessaria ad eos vitandos, *c.*, si non adhibentur, *n.* — *Contrad. m.* — Recole quae exposuimus in c. I a. II et c. II a. IV, et plenam invenies huius difficultatis solutionem.

VII. Conceptus sicut sensationes sunt aliquid relativum ad ipsum subiectum, quatenus pendent ab eius vita reali et interna. Ergo nequeunt pendere ab ipsis rebus externis (2). — *R. D. A.*: de se et absolute loquendo, *n.*; per accidens, *subd.*; quatenus ista vita interna harmonice cohaeret cum rebus externis, *c.*; quatenus ipsa est tota ratio determinationis conceptuum, *n.* Et revera si haec difficultas nimis urgetur, omnino incidere videtur in opinionem Protagorae, dicentis, quod res mensurantur a nostra cognitione.

VIII. Cognitio nostra intime connectitur cum operatione voluntatis, ab ea procedit et ad eam dirigitur. Atqui hoc ostendit quod cognitio ipsius realis entitatis debet perfici per voluntatem, quae nos impellit ad egrediendum a cognitione phaenomeni ac relativi, ut sistamus firmiter in ipsa reali entitate rei. Ergo cognitio perficitur per voluntatem (3). — *R. D. M.*: Cognitio procedit a voluntate quoad exercitium actus, *c.*; quoad specificationem actus, *subd.*; in rebus evidentibus, *n.*; in non evidentibus, *c.* — *Contrad. m.*; si cognitio pendet a voluntate tantum quoad exerci-

(1) Ita arguit Laberthonnière, *Essais de phil. de relig.* p. 31.
(2) Idem. Ib. p. 45, 46.
(3) Idem. Ib. p. 54, 55.

tium actus, *n.;* si pendet quoad specificationem, *subd.;* si penderet in omnibus omnino, *c.;* si tantum in non evidentibus, *it. d.;* si iam ratum habetur, quod cognitio nostra theorica ipsam rerum entitatem in se cognoscit, *c.;* si hoc in dubium vocatur, *prorsus neg.* — Recole quae innuimus in n. 123, et clare patebit solutio huius difficultatis tam poëtice a Laberthonnière descriptae.

IX. Cognitio entitatis realis pendet ab eo quod nos sumus. Nos autem sumus id quod valemus, et valor noster pendet ab eo quod volumus esse, seu a fine quem diligimus iuxta illud Augustini: *terram diligis, terra es.* Ergo totum pendet a voluntate seu a dogmatismo morali (1). — *R .D. M...* pendet totaliter a nobis, *n.;* partialiter, *subd.:* supposita determinatione a rebus habita, *c.;* independenter ab ista, *prorsus neg.* — *D. m.;* i. e. nostra entitas realis in se determinatur a fine, quem auctor naturae ei primo indidit et ad quem eam ordinavit, *c.;* a fine quem nobismetipsis praestituimus, *n.;* vel si placet *subd.;* pendet in ipso ordine reali, *n.;* in ordine morali, qui priori iam praesupposito accedit, *c.;* et iuxta hunc sensum intelligenda sunt verba S. Augustini. Iamvero haec distinctio plane colligitur et intelligitur ex tota doctrina scholastica de rerum constitutione et cognitione. Itaque si Laberthonnière eam intime investigandam ac intelligendam curavisset, haud difficulter eam intellexisset (2).

265. **Conclusio vera ex hoc systemate deducenda.** — Pervulgatum est illud dialecticae principium: *ex falso quodlibet*, praesertim quando cum falso aliquid veri commiscetur. Hinc nil mirum si ex hoc systemate et ex argu-

(1) Idem. Ib. p. 57.

(2) In Italia huiusmodi immanentiae doctrina initio non multum diffusa videtur: eam approbarunt aliisque communicandam adnisi sunt praesertim P. *Semeria* in opere « *Le vie della fede* » (p. 22...) et opere « *Scienza e Fede* » p. 61 et R. D. *Buonaiuti* in Eph « *Studi Religiosi* » praesertim a. IV, V, VI. Revera tamen neuter conatur nova argumenta proferre ad eam firmandam, sed eam vel simpliciter laudibus extollunt vel tamquam certam ac nostris temporibus aptam praedicant. At post sapientissimam Encyclicam S. P. Pii X « *Pascendi... munus* » novi huius falsae theoriae patroni in lucem prodierunt, conficiendo opus, cui nomen impositum est «*Il Programma dei Modernisti* ». Risposta all'Enciclica: « Pascendi munus ». Per idem tempus articuli nonnulli prodierunt in Ephem. « Coenobium », quae incepit Lugani a. 1906 m. novembre, necnon in Ephem. « Studi Religiosi » praesertim in num. m. luglio-agosto a. 1905. Ibi reiiciuntur fundamentalia principia ac certissimae veritates, in hac Encyclica clare propositae.

Eadem principia saltem partialiter tueri videtur P. Troiano prof. philos. moralis in R. Univers. Taurinensi, qui extruere conatur systema *anthropometricum* scientiae philosophiae, quod *humanismum* appellat, innixum in activitate nostri spiritus, inquirendo in immediatam realitatem factorum in opere « *Le basi del-l'umanesimo* », Torino, fratelli Bocca 1907.

mentis, quae ab eius fautoribus afferuntur, quaedam corollaria maximi momenti deducamus. Et sane.

I. **Ergo ex doctrina immanentiae aperte deducitur falsitas omnium systematum, quae a novatoribus in oppositione ad scholasticam propugnata sunt.** — Et primo, si quis totam doctrinam a Balfour evolutam in opere: « Dubii philos. » recenset, ibi invenit refutationem omnium horum systematum, quae tamquam prorsus inania ostenduntur ad certitudinem in rerum inquisitione adipiscendam, ut plene satisfiat desiderio omnibus insito ultimas rerum causas noscendi. Et quoniam illud opus una cum altero: « De fundamentis fidei » quod in priori innitur, est *signum nostrae aetatis*, ut Brunetière fatetur, et confirmatur ex tanto favore quem utrumque nactum est, inferendum iure videtur, nostram aetatem nullam amplius fidem istis systematibus praebere, eaque tamquam falsa reiicere. Ac proinde dicendum est, quod *scientia moderna*, postquam scholasticam dereliquit, nullam adepta est certitudinem, et post multa tentamina, multas ambages et contradictiones multosque irritos conatus novam instituendi viam ad veritatem consequendam, eo pervenit ut mortem sibi inferret, omnem denegando certitudinem ac veritatem. Revera in vacuum laboravit (ha fatto bancarotta).

II. **Ergo praesertim apparet falsitas scientiae positivistae, rationalisticae et atheae.** — Ista enim omnes omnino veritates ex sensibus vel ex proprio rationis lumine unice deducendas esse autumat, et totis viribus conatur, ut a scientiae campo exulent veritates illae, quae sensibus non percipiuntur, quamquam forte ipsa ratio quasdam saltem huiusmodi veritates necessario expostulat. Ipsa nullam agnoscit auctoritatem, omnia sancit ad trutinam propriae cuiusque rationis esse revocanda. At fautores immanentiae ipsis respondent: *hoc est falsum, talis scientia existere nequit.* Homo, reponit Brunetière, dum effutit, se omnem reiicere auctoritatem, ei necessario subditur. Auctoritas ac fides necessariae prorsus omnibus sunt, ut veram atque plenam perfectionem in toto vitae curriculo quisque sibi comparare valeat. *Homo sibi ipsi non sufficit;* hoc natura omnibus in-

cessanter inclamat. Homo necessario expostulat causam sui sufficientem, quae sit tum initium tum terminus ac complementum totius suae perfectionis; hoc etiam conscientia iugiter testatur. Deponamus igitur tenebras, quibus premimur, in hac sensibili materia sistentes, sursum corda, ut entia illa adinvenianus, quae nostra natura omnino exigit... Ita isti loquuntur: alii audiunt et, eorum doctrinae plaudendo, necessario fateantur oportet: *ergo erravimus a via veritatis*, scientia positivista nos decepit, ipsa igitur derelinquenda est.

Et e contrario merito concludendum est. Ergo scholastica iterum in honorem vocanda est, quippe quae sola istis veritatibus solidum praebet fundamentum.

Quoniam vero nos quoque aliquem voluntatis influxum in actibus intellectus agnoscimus, praestat quaedam alia hac de re esplicare praeter ea, quae iam in thesi XXII exposuimus.

266. **Scholion — De influxu voluntatis in actibus intellectus.** — Cartesius censuit assensum, quo alicui enunciabili adhaeremus, elici non ab intellectu sed a voluntate. Hic error in psychologia directe reiiciendus erit, quamvis faciliter iam nunc falsus appareat, quum omnes sane distinguant inter actum intellectus tendentis in verum, et actum voluntatis tendentis in bonum. At iuvat nunc videre, quemnam saltem influxum voluntas in intellectum exerceat, quum iste assensum alicui vero praebeat. Rem dilucide ac plene iam exposuit S. Thomas (2): « Attendendum est quod actus rationis potest considerari dupliciter: uno modo quantum ad exercitium actus; et sic actus rationis semper imperari potest, sicut cum indicitur alicui quod attendat, et ratione utatur. Alio modo quantum ad obiectum, respectu cuius duo actus rationis attenduntur: primo quidem, ut veritatem circa aliquid apprehendat; et hoc non est in potestate nostra, hoc enim contingit per virtutem alicuius luminis vel naturalis vel supernaturalis. Et ideo quantum ad hoc actus rationis non est in potestate nostra, nec imperari potest ».

(1) *S. Theol.*, Ia IIae p., q. 17, a. 6.

Ex hac profunda Angelici Doctoris declaratione sequentes conclusiones inferri possunt.

1° Voluntas potest impedire intellectui, ne aliquid cogitet vel iudicium quoddam efformet, ipsum distrahendo ad aliud. Imo omnis eius actus potest imperari a voluntate (nempe *quoad exercitium actus*, *non quoad eius specificationem*) quae intellectui imperat, ut ponat, vel non actum; et tunc iste actus dicitur *humanus*, et evadit liber et etiam bonus vel malus, meritorius vel demeritorius, uti diserte in psychologia probabitur (1).

2° In veritatibus ordinis metaphysici et in iis, quae ex immediata sensuum experientia circa proprium obiectum eruuntur, voluntas nunquam potest determinare intellectum quoad specificationem actus. Quia intellectus necessario trahitur ab evidentia illarum veritatum ad ponendum determinatum assensum.

3° In veritatibus ordinis physici voluntas *per se* non posset determinare actum ab intellectu ponendum, quia *per se* leges physicae determinatae sunt ad unum, atque adeo intellectus necessario debet determinatum praebere assensum. Sed quoniam exceptio non repugnat, potest voluntas saltem impedire assensum. Tunc vero, si ipsa hoc facit sine ullo motivo, irrationabiliter agit.

4° In veritatibus ordinis moralis facilius voluntas imperare potest determinatum actum intellectus. Quia ob inconstantiam ingenii hominum et ob pravos mores, facilius leges spernuntur et exceptiones contingere possunt. Quare tunc ob diversa motiva, quibus voluntas movetur ad imperandum intellectui determinatum assensum, homo agit prudenter vel imprudenter, bene vel male.

5° Tandem in veritatibus probabilibus, quae plena non gaudent evidentia, et in veritatibus fidei sive divinae sive humanae, necessario requiritur imperium voluntatis ad determinandum actum. Quia non adest obiectum quod

(1) Porro haec doctrina in immensum differt a doctrina Cartesii, is enim asserit, omnem actum intellectus pendere a voluntate etiam quoad *actus specificationem*, quod aiebat valere pro omni intellectu et in primis pro intellectu divino. Nos vero haec omnia prorsus negamus, uti liquet ex eis quae, quae alibi contram eum exposuimus, et ex iis quae sequuntur.

de se potens sit ad movendum necessario intellectum ad illum assensum.

267. **De Pragmatismo.** — Cum eadem quaestione coniungitur altera de Pragmatismo, quem fautores theoriae immanentiae assignare vellent uti criterium veritatis. Illud est verum, aiunt, quod potest a voluntate tamquam bonum appeti et utile esse ad vitam hominum practicam. Hoc ipsi eruunt praecipue ex principiis, quae suo loco exposuimus, et confirmant ex eo, quod semper voluntas debet imperare intellectui. Iamvero quoniam illa principia iam satis explosa sunt, et nunc vidimus, qua ratione voluntas imperat intellectui, non refert adhuc immorari in hac conclusione reiicienda.

Hoc unum tamen addimus, quod si huiusmodi statuitur veritatis criterium, illud esset verum, quod cuique bonum vel utile videretur, et sic instauraretur principium Protagorae, quod faceret nos mensuram veritatis, et sequeretur, contradictoria esse vera, quia saepissime contradictoria sunt diversis hominibus aeque bona et utilia. Atqui ita non criterium veritatis, sed destructio omnis veritatis haberetur, quippe quae nulla ratione ab errore secerni posset. Ergo pragmatismus necessario reiiciendus est.

Concludamus igitur oportet, doctrinam modernistarum, qui voluntati potius quam intellectui fidendum esse censent, omnino reiiciendam esse.

ARTICULUS IV.

DE SCIENTIA.

268. Cum homines student circa aliquam rem plures peragere investigationes, quamplurima iudicia circa eandem ipsis efformanda occurrunt. Quum vero ista in unum coagmentantur, efflorescit id, quod vocari solet *scientia* de illa re. Curemus igitur aliquid summis labiis de ipsa delibare, quin multum in ea immoremur, ne fines nostrae pertractationis nimium praetergrediamur: eo vel magis quia omnia principia iam satis in superioribus cap. explanata sunt.

Quare nunc duo tantum inquirimus: 1° qua via scientia acquiritur; 2° quomodo ipsa partitur. Ea vero, quae de demonstratione hic exponenda essent, iam satis antea enodavimus C. III, art. IV. Quare statim proponitur

Thesis XLVIII.

Scientia late dicta, prout est simplex rei cognitio, acquiritur per omnia media, quae dicuntur fontes veritatis; scientia stricte dicta, prout est cognitio rei per causas, acquiritur per syllogismum inductivum vel deductivum.

269. **Declaratur.** — Scientia, late dicta, est *omnis cognitio, qua quis aliquid scit*. Et ideo etiam Aristoteles, uti notat S. Th. (1), « large accipit scientiam pro qualibet certitudinali cognitione ». Si vero stricte sumitur, prout ea est, qua rerum causae cognoscuntur, tunc dicitur tantum de cognitione, quae est effectus demonstrationis; ideo dicitur: « scientia est conclusionum et intellectus principiorum ».

De hac scientia loquitur Aristoteles, quum ait (2): « Scire autem arbitramur unumquodque simpliciter sed non sophistico modo secundum accidens, quando arbitramur nos cognoscere causam, per quam res est, quod ea huius causa sit, nec contingere quod hoc aliter sese habeat ». Haec verba ita dilucide ibid. explanat S. Th. « Considerandum est quod scire aliquid, hoc est perfecte apprehendere ipsius veritatem. Eadem enim sunt principia esse rei et veritatis ipsius. Oportet autem scientem, si est perfecte cognoscens, quod cognoscat causam rei scitae. Si autem cognosceret causam tantum, nondum cognosceret effectum in actu, quod non est scire simpliciter, sed virtute tantum, quod est scire secundum quid et quasi per accidens. Et ideo oportet scientem simpliciter cognoscere etiam applicationem causae ad effectum. Quia vero scientia est etiam certa cognitio rei, quod autem contingit aliter se habere, non potest aliquis per certitudinem cognoscere, ideo oportet ulterius, quod id quod

(1) *Post Anal.* L. I, l. 7.
(2) *Post Anal.*, L. I, c. II

cognoscitur non possit aliter se habere. Quia ergo scientia est perfecta cognitio, ideo dicit : « Cum causam arbitramur cognoscere ». Quia vero est actualis cognitio, per quam scimus simpliciter, addit : « Et quoniam illius causa ». Quia vero est certa cognitio, subdit : « et non est contingere aliter se habere ».

270. **Prob. I p.** — Omnia media, quae fontes veritatum appellantur, et in cap. III exposita sunt, nos adiuvant ad efformanda diversa rerum iudicia, quae certo apparent obiectivo valore esse praedita. Atqui haec omnia iudicia constituunt scientiam saltem late dictam, prout est simplex rei cognitio, uti patet. Ergo.

Prob. II p. — Cognitio rei per causas tum habetur, quum quis causas rei sive extrinsecas sive intrinsecas perspicit. Atqui per syllogismum inductivum vel deductivum has causas percipimus, ut evidens est ex iis omnibus, quae in c. III a. II et III fuse enodavimus. Ergo.

271. **Corollarium.** — *Ergo scientia stricte dicta necessario supponit cognitionem primorum principiorum indemonstrabilium.* « Nam haec scientia, uti nuper vidimus, acquiritur per syllogismum inductivum vel deductivum. Atqui omnis syllogismus praesupponit cognitionem horum principiorum, uti ostendimus in Dialectica n. 129. Ergo.

Hoc idem placet confirmare cum Aristotele, qui per inductionem tum in mathematicis, tum in logicis ostendit omnem disciplinam fieri ex praecedenti cognitione. En eius verba (1) : « Omnis doctrina, et omnis disciplina ratione percipienda ex praecedente fit cognitione. Manifestum vero hoc erit quamvis *doctrinam* et *disciplinam* considerantibus. Mathematicae enim scientiae hunc ad modum conficiuntur, et unaquaeque reliquarum artium. Similiter autem et circa orationes, quae aut per syllogismos, aut per inductionem aliquid probant utraeque enim per ante cognita faciunt doctrinam : hae quidem accipientes tamquam a notis, illae vero demonstrantes universale ex eo, quod notum sit singulare ».

Quoad alteram vero partem statuitur

(1) *Post. Anal.* L. I, c. 1.

Thesis IL.

Scientiarum unitas ac distinctio desumenda est a diverso obiecto formali circa quod ipsae versantur.

272. **Declaratur.** — Ab eodem principio est semper tum unitas alicuius rei, tum eius distinctio ab alia, quia, uti diximus in dialectica (n. 63 nota), differentia est constitutiva speciei et divisiva generis. Quare dicimus: obiectum formale constituere tum unitatem alicuius scientiae, quatenus unamquamque in sua specifica ratione constituit, tum distinctionem unius ab altera, inquantum genericam scientiae rationem in diversas distribuit species.

273. **Prob.** — Omnis scientia est actus quidam intellectus, qui tendit in obiectum, tamquam in finem. Atqui huiusmodi actus in se specificantur et ab aliis distinguuntur, secundum diversum finem in quem tendunt. Ergo diversitas scientiae desumitur ex diversitate obiectorum. Atqui rursus intellectus non tendit in aliquod obiectum secundum totam sui comprehensionem, sed tantum secundum aliquam determinatam rationem, scilicet non in obiectum materialiter prout est in se, sed in obiectum prout formaliter ab intellectu spectatur. Ergo...

274. **Quaeris.** - Quomodo distinguitur diversum obiectum formale scientiarum? - *Responsionem* accipe a S. Th. (1) « Cuiuslibet cognoscitivi habitus obiectum duo habet; scilicet id quod materialiter cognoscitur, quod est sicut materiale obiectum; et id per quod cognoscitur, quod est formalis ratio obiecti: sicut in scientia geometriae materialiter scitae sunt conclusiones; formalis vero ratio sciendi sunt *media demonstrationis*, per quae conclusiones cognoscuntur ». Ergo iuxta diversa media demonstrationis, quibus aliquid cognoscitur, diversum obiectum formale scientiae distinguitur. Quod idem S. Th. explicat (2). « Sicut ratio

(1) *S. Theol.*, IIa IIae p., q. 1, a. 1.
(2) *Post. Anal.* l. I, l. 1.

formalis visibilis sumitur ex lumine per quod color videtur; ita ratio formalis scibilis accipitur secundum principia, ex quibus aliquid scitur. Et ideo quantumcumque sint aliqua diversa scibilia per suam naturam, dummodo per eadem principia sciantur, pertinent ad unam scientiam, quia non iam diversa in quantum scibilia. Sunt enim per sua principia scibilia ».

Si vero iterum quaeris, undenam desumitur distinctio principiorum demonstrationis, idem S. Th. respondit (1), et ostendit, eam desumi ex diversa abstractione a materia. « Sciendum, ait, quod quando habitus vel potentiae penes obiecta distinguuntur, non distinguuntur penes quaslibet differentias obiectorum, sed penes illas quae sunt per se obiectorum inquantum sunt obiecta. Esse enim animal vel plantam accidit sensibili inquantum est sensibile, et ideo penes hoc non sumitur differentia sensuum, sed magis secundum differentias coloris et soni. — Et ideo oportet scientias speculativas dividi per differentias speculabilium inquantum sunt speculabilia. Speculabili autem, secundum quod est obiectum speculativae potentiae, aliquid competit ex parte potentiae intellectivae et aliquid ex parte habitus scientiae, quo intellectus perficitur. Ex parte quippe intellectus competit ei quod sit immateriale, quia et ipse intellectus est immaterialis, ex parte vero scientiae competit ei quod sit necessarium, quia scientia de necessariis est, ut probatur I. Posteriorum. — Omne autem necessarium, inquantum huiusmodi, est immobile vel simpliciter vel secundum quid, ut videtur 10 Metaphysicorum. Sic igitur speculabili, quod est obiectum speculativae scientiae, per se competit separatio et a materia et a motu, vel applicatio ad ea: et ideo secundum ordinem remotionis et a materia et a motu, scientiae speculativae distinguuntur ».

275. **Coroll.** *Ergo recte scientiae speculativae distinguuntur in mathematicam, physicam et metaphysicam.* — Et sane ultima tandem ratio distinctionis scientiarum desumenda est ex diversa abstractione principiorum a materia.

(1) *In Boet. de Tr.* q. 5, a. 1.

Atqui haec triplicis est rationis. Ergo. — Minor ita ostenditur ab eodem S. D., qui ita prosequitur. « Quaedam igitur sunt speculabilium quae dependent a materia secundum esse quia nonnisi in materia esse possunt; et haec distinguuntur, quia dependent quaedam a materia secundum esse et intellectum, sicut illa, in quorum definitione ponitur materia sensibilis : unde sine materia sensibili intelligi non possunt : ut in definitione hominis oportet accipere carnem et ossa : et de his est physica, sive scientia naturalis. Quaedam vero sunt, quae, quamvis dependeant a materia secundum esse, non tamen secundum intellectum, quia in eorum definitionibus non ponitur materia sensibilis, ut linea et numerus : et de his est mathematica. Quaedam vero sunt speculabilia, quae non dependent a materia secundum esse, quia sine materia esse possunt, sive nunquam sint in materia, sicut Deus et Angelus, sive in quibusdam sint in materia, et in quibusdam non, ut substantia, qualitas, potentia et actus, unum et multa et huiusmodi; de quibus omnibus est theologia, idest divina scientia, quia praecipuum cognitorum in ea est Deus. Alio nomine dicitur metaphysica, idest transphysica, quia post physicam discenda occurrit nobis, quibus ex sensibilibus competit in insensibilia devenire. Dicitur etiam philosophia prima, inquantum scientiae aliae ab ea principia sua accipientes eam sequuntur ».

276. **Scientiae practicae.** — Si istae etiam considerantur aliae duae efflorescunt scientiae a prioribus distinctae : *Logica* et *Ethica*, prout eae dirigunt vel actus mentis vel actus voluntatis in finem proprium.

Artes vero liberales non dicuntur scientiae, quia potius sunt practicae applicationes principiorum, quae in aliis traduntur, et non spectant novas conclusiones ex propriis principiis deducendas.

Si istae scientiae ad invicem comparantur, statim apparet, metaphysicam aliis omnibus praecesse ratione *excellentiae*, uti patet ex suo obiecto formali, et *prioritate naturae*, quum aliae scientiae ab ipsa sua mutuantur principia. Hoc magis diserte in introd. ad Metaphysicam generalem de-

monstrabitur, praestat interim audire Toletum (1), qui ad quatuor praecipua capita revocat ea, quae aliae scientiae a Metaphysica mutuantur, et quibus ista prae ceteris excellit.

277. **Metaphysica ceteris scientiis praestat,** — quia istae ab ea dependent, quatenus: — 1° Ex parte subiectorum indigent Metaphysica stabiliente ens, substantiam, et accidens, quae nisi essent, reliqua subiecta ruerent. — 2° Indigent entis passionibus; saepe enim de uno, de multis, de identitate, de diversitate, de toto, de parte et similibus scientiae tractant, quae metaphysica sunt. — 3° Indigent Metaphysica, quia nulla propositio vim probativam habet, nisi in virtute principii: *Quodlibet est vel non est*. — 4° Demum indigent Metaphysica, quia veritas dignitatum peculiarum in virtute universalium nititur, et hoc sensu Metaphysica dicitur probare principia aliarum scientiarum, quae dum sua probat, alia probat, sed non in propria forma.

Adverte tamen cum Suarez (2); « licet metaphysica demonstrare possit aliquo modo illa principia, illa tamen demonstratio non est simpliciter necessaria ad iudicium evidens talium principiorum, cum ex terminis possint evidenter cognosci, et illa demonstratio non sit proprie *a priori*, sed per deductionem ad impossibile vel ad summum per aliquam extrinsecam causam ».

278. **Certitudo scientiarum.** — Ratione certitudinis tandem *quoad se* Metaphysica iterum certior est, quam ceterae, quippe quae circa ipsas rerum essentias versatur, aliae vero circa proprietates; et ideo in priori habetur certitudo metaphysica, in aliis potius physica, quamvis in mathesi saepius habeatur certitudo metaphysica. Attamen *quoad intellectum nostrum*, qui materiam cognitionis accipit per sensus, mathesis est certior, quia semper sistit in ratione quantitatis, quae sensibus subiacet, et procedit per argumentationem deductivam, quae veram gignit scientiam ac plenam certitudinem, cum principia sint vera ac certa et nobis evidentia.

(1) *Post. Anal.* L. I, c. VII, q. 1.
(2) *Metaphys.*, Disp. I, s. 5, n. 50,

Quoad scientias practicas vero: *moralis* praeeminet ratione finis practice attingendi: quia hominem ducit ad assecutionem ultimi finis, quia est tota eius perfectio. Logica autem praestat ratione directionis actuum rationis, quatenus dirigit ipsum actum rationis, quo in ceteris scientiis utimur ad recte in eis procedendum. Ideo *logica* est prior scientia, a qua incipiendum est, ut initio Dialecticae ostendimus; *ethica* est ultima et velut complementum quum hominem dirigat ad ultimum finem suum consequendum.

279. **Scholion.** — *Cur dicatur scientia non probare obiectum suum.* — Omnis scientia est quaedam determinata ratio attingendi aliquod obiectum. Ergo eatenus ipsa existere potest, quatenus iam habetur huiusmodi obiectum attingibile illa determinata ratione. — Hoc vero cognoscitur: — aut per immediatam experientiam, aut per analysim deductivam aut per inductionem. Quare si haec media quandoque pertinent ad aliam scientiam, quae ita demonstrat existentiam illius obiecti, tunc haec scientia, quae circa ipsum versatur est subordinata alteri. Ita e. g. metaphysica specialis, nempe cosmologia, anthropologia, theodicea, sunt subordinatae metaphysicae generali.

Haec autem subordinatio latiori tantum sensu accipienda est, prout ceterae scientiae praesupponant oportet subiectum ac principia quaedam universalissima metaphysicae. At unaquaeque harum obiectum habet proprium plane diversum ac principia propria, quae accipi non debent a metaphysica, ideoque dici nequeunt ei stricto sensu subordinatae.

Insuper omnis scientia non solum supponit obiectum suum, sed etiam principia quaedam prima, quibus ea utitur ad conclusiones deducendas, quae ad ipsam spectant. Quare si ipsa sunt per se nota, quae nempe ab ipsa naturali philosophia traduntur, tunc illa scientia dicitur ab illis prorsus independens, et immediate ab ipsa naturali philosophia pendet: huiusmodi est Metaphysica generalis.

Sed hic iam apparet, si quis huic scientia incumbit, quin ulla principia philosophiae naturalis agnoscat, tunc nullam prorsus valet metaphysicam veritatem inquirere. Merito igitur Metaphysica regina scientiarum appellatur.

TOTIUS LOGICAE CONSPECTUS.

280. Homo naturaliter tendit ad veritatem assequendam. Ipsa enim est proprium obiectum intellectus nostri, quo idem pascitur, delectatur ac vivit vita illa perfecta, qua ceteris animantibus supereminet. Iamvero sicut quoad vitam vegetativam ac sensitivam, leges quaedam habentur, iuxta quas utraque regi debet, secus enim in mortis periculo versatur, idem contingit quoad vitam intellectivam. Has vero leges inquirere ac rite determinare, earumque naturam ac propriam rationem evolvere proprium *Logicae* munus est. Ad hoc autem praestandum necesse erat, rationem actuum intellectus investigare, prout sunt instrumenta ad veritatis assecutionem, ordinem inter ipsos statuere, quo iidem coniungendi aut separandi sint, ut tota structura vitae intellectivae recte procedat. Haec omnia in dialectica exhibuimus, quae ideo merito vocatur *logica formalis*, quippe quae tota est in illis actibus regendis ac simul componendis, qui ipsam constituunt vitam intellectivam.

Dein vero investigandum erat, quomodo huiusmodi vita circa suum obiectum versari possit, seu quomodo isti actus possint suum obiectum attingere, ut vita intellectiva in actu secundo efflorescat. Fructus vero huius vitae est *cognitio veritatis*; quae ideo si formaliter spectatur, est *ipsum exercitium vitae intellectivae* eodem fere pacto ac augmentatio, conservatio, generatio ac sensatio sunt ipsum exercitium vitae vegetativae ac sensitivae. Si vero materialiter spectatur prout dicit obiectum circa quod versatur tunc cibus dici posset, quo intellectus, alitur ac perficitur.

Iure igitur in logica critica de huiusmodi veritate cognitionis sermo esse debuit, ut in luce poneretur quomodo ipsa in conceptibus mentis sive simplicibus sive praesertim compositis reperiatur. Quum autem vita intellectiva perfecte compleatur per compositionem conceptuum, ideo curandum erat ut explanaretur modus, quo intellectus eosdem ita componere possit, ut rebus respondeant. At re bene perspecta clare elucet, quod intellectus cum duos conceptus una simul componit aut ad invicem separat, ita semper sese gerit, ut unum consideret sicut *ipsam rem*, seu tamquam

immediate repraesentantem ipsam rem, alterum sicut *formam de re apprehensam*, seu tamquam repraesentantem *formam apprehensam quae in illa re invenitur vel non*. Hinc necesse est inquirere, quomodo intellectus hoc possit conficere, et ad hoc sufficit diversas iudiciorum componentium classes recensere, ac fontes ostendere ex quibus ipsa hauriuntur, ita ut semper infallibiliter rebus respondeant.

281. Sed difficultas praecipua in eo erat, ut ostenderetur, quomodo hac ratione iudicia universalia ac necessaria confici queant. Et ideo, breviter absoluta quaestione de iudiciis experimentalibus, in quibus omnia facile patebant, alia iudicia inquirenda aggressi sumus, eaque in analytica ac synthetica distribuimus, iuxta omnium philosophorum mentem. Dein vero existentiam, valorem ac propriam rationem iudiciorum analyticorum investigandam conati sumus, reiicientes quae Kant contra ea commentus erat.

Ac proinde originem iudiciorum investigavimus, quae ex inductione repetenda sunt, eiusque valorem contra Kant et alios omnes vindicavimus. Ac tandem iudicia recensuimus, quae testimonio historico ac sensu hominum communi innituntur, distinguendo diversas eorundem classes, prout maiori aut minori certitudine gaudent.

Ita ratos habuimus fontes omnes veritatis iudiciorum, ac proinde plane statui poterat motivum illud formale, quod in omnibus requiratur oportet, ut intellectus assensum praebeat, et ipsum posuimus *in evidentia obiectiva menti manifesta*, in quo habetur ultimum logicae complementum. Quo fit, ut philosophi illi, qui aliud statuunt fundamentum, necessario aliud philosophiae systema extruant oportet. Ideo curavimus aliorum criteria ad examen revocare, et *modernistarum* quoque doctrinam expendere eorumque fallaciam patefacere, ut appareat, totum eorundem systema philosophicum in incertum prorsus nutare.

Quare concludamus oportet: **ad Scholasticorum principia ac doctrinam, duce Angelico Doctore, plene redeundum est, ut veritatis naturam, fontes et criterium scientifice nobis comparemus.**

INDEX ALPHABETICUS NOMINUM ET RERUM

tum Dialecticae tum Critices

ADNOTATUR VOL. I VEL II ET DEIN NUM. PAGINARUM

A posteriori I, 125, 219.
A priori I, 125, 219.
Abailardus I, 32; II, 90.
Abstractio I, 64; II, 75-77.
Academia I, 29.
Accidens I, 84.
Accentus fallacia I, 229.
Acosmisticus idealismus II, 21.
Actio I, 87.
Adversativa I, 137
Aenesidemus I, 29.
Aequipollentia I, 154-156; modalium 156-158.
Aequivocus I, 77, aequivocatio 228.
Albertus M. I, 32.
Alexander Aphrodisius I, 29.
Alienatio I, 97.
Ammonius Saccus I, 3, 30.
Ampère I, 40.
Amphibologia I, 228.
Analogia multiplex I, 78, ut argumentatio 223, ut sophisma 233.
Analogus I, 77, 78.
Analysis I, 65; II, 166.
Analyticum quid I, 126; II, 166; evolutio historica 166-169; iuxta Kant 169, 170, existit 173; quomodo fit 172-174; est quadruplex 174; distinctio a synthet. 177, 178; ex ratioc. deductum 181-183.
Anaxagoras I, 24.
Anaximander I, 23.
Anaximens I, 23.
Andronicus I, 29.
Anselmus S. I, 32; II, 90.
Antiocus I, 29.
Antisthenes I, 26.
Aphrodisius I, 29.
Appellatio I, 96.
Apperceptio I, 66.
Apprehensio I, 63.
Arcesilaus I, 29.
Ardigò I, 40.
Argumentatio I, 169, partitio 171, partes 174, demonstrativa 211, probabilis 211, sophistica 226-234.
Aristippus I, 26.
Aristoteles I, 25, 40... passim.
Associatio idearum I, 66.
Attentio I, 64.
Augustiniensis schola I, 32.
Augustinus S. I, 21, 30, 52, 70. II, 8, 52, 156, 162, 225, 244, 255, 258.
Avicenna 257.

Bachelet II, 269, 280.
Baco a Verulamio I, 8, 20, 27, 35, 36; II, 205, 207.
Balfour eius doctrina II, 261-262, refutatur 264-271.
Balmes II, 51, 242, 247, 249.
Bañez I, 32.

Bautain I, 41.
Berkeley I, 37; II, 21, 35, 91.
Bernard Claudius II, 206, 208.
Bias I, 23.
Billot II, 277.
Blondel, eius doctrina II, 270, 271; refellitur 280-287.
Bonaventura S. I, 32, 68.
Bonetty I, 41; II, 249, 251.
Bossuet I, 8, 74, 173, 221.
Brahmani I, 22.
Brunetière, eius doctrina II, 263, refellitur 624-270.
Büchner I, 40.
Buddismus I, 22.
Buonaiuti II, 285.

Caietanus Card. I, 32; II, 171.
Cantoni I, 39.
Carneades I, 29; II, 34.
Cartesius I, 8, 37; II, 46, 240, 247, 248, 254.
Castelein II, 134, 135.
Categorematicus I, 74.
Categoriae Kantiae I, 144 v. praedicam.
Cato I, 29.
Causa I, 4.
Certitudo II, 27, quid II, 30, quotuplex 32, conditiones 33, existit 34-41, triplex gradus 57-62.
Charron II, 35.
Chilon I, 23.
Chrisippus I, 28.
Cicero I, 1, 3, 18, 29, 57; II, 43, 44, 90, 237.
Clemens Alexandrinus I, 3, 30, 31.
Cleobulus I, 23.
Coenobium II, 285.
Cogitatio I, 65.
Cognitio quid, eius elementa II, 10.
Collectivus I, 66, enunciatio 149.
Communis I, 76.
Comparatio I, 65.
Complexus I, 75.
Complutenses I, 32.
Comprehensio I, 71, 72.
Comte Aug. I, 8, 40, 173; II, 249, 272.
Conceptuales II, 89-96.
Conceptus quid I, 53, obiectivus valor II, 11-14, univ. obiect. 68-71 (v. fundam.) eruitur ex cognit. sens. 74-80, 84.
Concilium Vaticanum I, 13; II 255, 282.
Concretus I, 76.
Condillac I, 36; II, 91.
Conimbricenses I, 58.
Conscientia II, 158 infallib. 159-161.
Conti I, 121.
Contradictoria I, 92, 147.
Contraria I, 92, 147.
Conversio I, 158-161.
Connotativus I, 75.
Copula verbalis I, 67, 121.
Copulativus I, 75.
Corpus existit II, 163.
Cousin I, 3, 28, 40, 174; II ,91
Criterium veritatis quid II, 233. quotupl. 234, ultimum 239-244, conditiones ad ipsum habendum 245, falsa criteria 253-259.
Critica I, 61, obiectum II, 1.
Croce II, 20.

Darwin I, 40; II, 249.
De Bonald I, 8; II, 249, 256.
Definitio I, 97, quotupl. 99, leges 100, rectus usus 105, me-

thodus eam investigandi 107-110.
Definitum I, 102-105.
De Maistre I, 40, 173.
De Maria II, 251.
Democritus I, 24.
Denominativus I, 75.
De Régnon II, 230.
Demonstratio quotupl. I, 218-21.
Dialectica I, 61, eius obiect. 62.
Dicendi per se quatuor modi II 174.
Diderot I, 38; II, 223.
Didiot II, 11, 37.
Differentia I, 82.
Dilemma I, 211.
Diminutio I, 97.
Disputatio quotupl. 234, quomodo fit 235-238.
Distractio I, 97.
Distributio subiecti et praedic. I, 95.
Distributivus I, 76 ,94.
Divisio I, 110, leges 113, usus in scientiis 114.
Dogmatismus moderatus II, 50.
Dogmatismus moralis II, 251.
Dubium II, 28.
Dubitatio univers. II, 34, methodica 45, quotupl. 46, approbatur 47-50.
Dugard-Stewart I, 38; II, 186, 202.

Eclectismus I, 28, 40.
Elenchi ignorantia I, 231.
Empedocles I, 24.
Eleatica schola I, 24; II, 34.
Empiristae II, 35.
Ens rationis I, 54, quomodo fit 55.
Enthymema I, 209.
Enunciatio I, 113, 123, partes 124, partitio 125-133, modalis 133-136, categorica 137, hypothetica 138, complexa 140-143.
Epicherema I, 210.
Epictetus I, 29.
Epicurus I, 28; II, 90.
Error II, 28
Ethica I, 48; II, 294.
Euclides I, 26.
Eudemus I, 28.
Evidentia II, 237.
Experientia II, 150, pro inductione 204.
Exponibilis enunc. I, 138.
Extensio I, 72, 73.

Facultas infallibilis II, 56, 57.
Fallacia I, 227-234.
Falsitas quid II, 125, ubi 126-129, unde 129-136.
Farges II, 245.
Ferrariensis I, 32.
Feuerbach I, 39.
Fichte I, 39; II, 20.
Fides iuxta Kant II, 146, in se 216, 224, eius utilitas 225, 226.
Finitans I, 74.
Fischer Kuno II, 139.
Fonseca I, 3, 32; II, 89.
Fonsegrive II, 270, 275, 277, 282.
Franchi Ausonio I, 38; II, 141, 146, 154, 180.
Franck I, 3.
Fries I, 8.
Froschammer I, 39.
Fundamentum univers. ontologicum II, 71-75, psychol. 74-83.

Galluppi I, 173; II, 201.
Gassendi I, 37.
Gentile I, 19; II, 20.
Genus I, 81.

Gioberti I, 40; II, 249.
Glanville II, 36.
Gorgias I, 25.
Graeci I, 23-29.
Gratry I, 40; II, 249.
Gregorianum II, 20.
Gulielmus de Champaux I, 32; II, 90.
Günther I, 39.
Gymnasophistae I, 21.

Habitus I, 88.
Haeckel I, 40.
Halensis, I, 32.
Hamilton William, I, 38, 130.
Hartmann I, 39.
Hegel I, 39; II, 20.
Helvetius I, 38.
Heraclitus I, 23; II, 34.
Herbart I, 39, 66.
Hermes I, 39; II, 249.
Herodotus I, 21.
Hilarius S. II, 8.
Hippias I, 25.
Historia philosophiae I, 21, 41.
Hobbes I, 7, 36; II, 91.
Huetius II, 249, 256.
Hume I, 38; II, 168, 199.
Huxley I, 40.
Hypothesis I, 225; II, 206.

Jacobi II, 249.
James, II, 21.
Idealismus II, 9, reiicit notion. verit. 10 purus et mitigatus reiicitur, 19, 27.
Ieannière II, 47.
Ignorantia II, 27.
Illatio immediata I, 161, 165.
Immanentia I, 41; II, 6; theoria exponitur II, 260, reiicitur 280-287.
Incomplexus I, 75.
Inductio quid, quotupl. I, 171, 215, 217, incompleta gignit iudicia univ. II, 189-199 elem. formale 197 reiicitur falsum 199-203, elem. mater. 204, eius initium 204-210, complement. 210-215.
Inesse (de) I, 133.
Infinitans I, 74.
Influxus voluntatis in intell. II, 130, 287-289.
Intentio prima et sec. I, 53.
Ioannes a S. Thoma I, 32.
Ionici I, 23.
Iouffroy I, 7, 21, 40; II, 249.
Iudicium I, 116-118, a priori, a post. 125, in materia cont. et necess. 128 affirm. neg. 129, verum falsum 132.

Kant I, 8, 38 eius categ. 148, ratio verit II, 4-6 divisio concept. 19-20, quid sunt 124, exponitur methodus cr. r. r. 136-139, refutatur 140-148, solvitur praeiudicium 148, iudicia anal. 169, 175, synth. a priori reiiciuntur 179, circa induct. 188, 189, 202.
Kidd Beniamin II, 263.
Kleutgen II, 259.

Laberthonnière eius doctrina II, 271, 272, refellitur 280-285.
Lactantius II, 43.
Lahr I, 19.
Lamark I, 40.
Lamennais (de) I, 18, 41; II, 183, 249, 257.
La Mettrie I, 38.
Lamoriguière I, 7.
Lange I, 39.
Le Bachelet II, 208.

Leibnitz I, 38, 126, 161, 173, 178, 358.
Leo XIII I, 41, 46.
Lepidi I, 233.
Le Roy II, 5, 24, 26, eius doctrina 272, 273 refellitur 274-279.
Lessius I, 32.
Leucippus I, 24.
Lévy-Brühl II, 275.
Liberatore II, 8, 227.
Littré I, 40; II, 249.
Locke I, 36; II, 91, 167.
Loci syll. prob. I, 222.
Logicae finis I, 50, definitio 51. obiectum 52. est ars et scientia 55. necessitas 57, ab ea incipiendum 58, partitio 59.
Lombardus Petrus I, 32.
Lombroso I, 40.
Lutherus I, 34, 173.

Maine de Biran I, 40.
Malebranche I, 37; II, 21, 249.
Marx I, 39.
Masci I, 66, 145.
Mastrius I, 32.
Materialistae II, 36.
Mathematica I, 5; II, 193, 295.
Mattiussi II, 261, 268.
Maurus Silv. I, 62, 74, 84, 96, 120.
Megarici I, 26.
Melissus I, 24; II, 34.
Mercier Card. I, 8, 55; II, 47, 51.
Metaphysica I, 48; II, 293, 295.
Methodus in philos. adhibendus I, 37-42.
Milne-Edwards II, 209.
Monismus idealis II, 21.
Modalis enunciatio I, 133, quotupl. 134, oppositio 153.
Modernistae I, 173; II, 5, 263, 280-285.
Modi sciendi I, 52, syllogismi 188-199.
Modus I, 134.
Moleschott I, 40.
Montagne O. P. II, 47.
Montaigne (de) II, 35.
Montesquieu I, 38.
Morselli I, 40.
Mosso I, 40.
Mundus corporeus existit II, 164.

Natura absolute spectata II, 87.
Neokantiani II, 260.
Neoplatonici I, 29.
Nomen I, 119, 120.
Nominales II, 89, refutantur 90-93.
Novatores I, 35.

Obiectum duplex I, 6.
Ockam I, 32; II, 91.
Ollé-Laprune II, 271, 280.
Ontologi I, 40; II, 249.
Opinio II, 28.
Oppositio I, 91, 146, quotupl. 146, propriet. 147-149.
Orientales I, 21, 22.
Origenes I, 1.

Palmieri II, 42, 144, 159,
Parmenides I, 24; II, 34.
Particularis I, 76.
Passio I, 87.
Patres I, 30.
Paulsen II, 41.
Periander I, 23.
Pesch. Tilm. I, 66, 97; II, 46, 127, 130, 199.
Petitio principii I, 231.
Philo I, 29.

Philosophia origo I, 1, *quid* 3-8, distinctio a scient. natur 11, a theol. rev. 12-13, 14, princip. fundament. 15, finis 17-18, excell. utilitas 19, diffic. proficiendi 42, methodus 43-46, partitio 47.
Physica II, 293.
Pittacus I, 23.
Pius X I, 47; II, 274, 285.
Plato I, 26, 97; II, 97.
Plotinus I, 30.
Pluralitas univ. II, 67.
Polysyllogismus I, 214.
Porphyrius I, 30, 91.
Postpraedicamenta I, 91.
Praedicabile I, 80.
Praedicam. difficultas proficiendi 42, methodus procedendi 43-46, partitio 47, 88-91, 149.
Praedicatum I, 74.
Pragmatismus II, 289.
Principium contradict. I, 169; II, 53, 248.
Prius et Posterius I, 92.
Privativa I, 92.
Probabilitas II, 29, 30.
Prodius I, 25.
Programma dei Modernisti II, 285.
Propositio I, 124.
Proprium I, 83.
Protagoras I, 25; II, 34.
Ptolomaeus Card. I, 161.
Pyrrho I, 29; II, 34.
Pythagoras I, 2, 24.

Qualitas I, 86.
Quando I, 88.
Quantitas I, 86.
Quintilianus I, 51; II, 229.
Quinzaine II, 279.

Ratiocinium I, 167, Principia 168-169, efficax ad habenda iudicia univers. II, 183-188.
Realistae exaggerati II, 96, refutantur 97-100.
Régnon (de) II, 230.
Reid I, 8, 38; II, 201, 249.
Relatio I, 87.
Reflexio I, 65.
Relativa I, 92, 138.
Remotio I, 97.
Renan I, 227.
Renouvier I, 39, 496.
Ribot I, 5, 40.
Richat I, 40.
Riehl II, 179.
Ripalda II, 32.
Robinet II, 91.
Roscellinus II, 90.
Rosmini I, 40; II, 166, 249.
Rousseau I, 38.
Royer Collard I, 40.

Sanseverino I, 8.
Sapientes septem I, 4.
Sapientia I, 2, 10, 11.
Satolli I, 8.
Scepticismus apud graecos I, 29, origo et indoles refutatio 36-45.
Schaaf II, 147.
Schelling I, 39; II, 20.
Scherer I, 227.
Schlinker I, 10.
Scholastica I, 31, eius indoles, 32, principia 33, deseritur 34.
Schopenhauer I, 39.
Schwalm O. P. II, 280.
Scientia I, 5, 114; quid quotupl. II, 290, 291, eius unitas ac distinctio 292-296.
Scipio Africanus I, 29.

Scotista schola I, 32.
Scotorum schola I, 38; II, 249.
Scotus Ioannes Duns I, 32.
Scuola Cattolica II, 261, 268.
Semeria II, 285.
Seneca I, 23, 45, 118, 466.
Sensus comp. et divis. I, 228.
Sensus cognoscunt singulare II, 75, 77 eis veritas 120-125, infallib. inest 150-156, conditiones 156-158.
Sensus naturae communis II, 227-231.
Sentroul II, 47, 245.
Severrier I, 225.
Sextus Empiricus I, 29; II, 34.
Signum I, 68, quotupl. 69.
Sigwart I, 130.
Situs I, 88.
Socrates I, 25.
Solipsismus II, 21.
Solon I, 23.
Sophisma I, 226-234.
Sophistae I, 25, 227.
Soritas I, 212.
Soto, I, 32.
Species I, 82.
Spencer I, 8, 40; II, 7, 161, 262, 273.
Spinoza I, 37, 263.
Status I, 96.
Stoica schola I, 28.
Stuart Mill I, 40, impugnat syllog. 173; II, 132, 185, exponit principia inductionis 206, 208, 210-213.
Suarez I, 32... passim.
Subalterna I, 148.
Subcontraria I, 148.
Subiectum I, 73.
Subiectivismus II, 35.
Substantia I, 86.
Suppositio I, 93-96.
Suspicio II, 28.
Syllogismus I, 170, valor 171, origo 172, conditiones 175-177 regulae 178, leges 180, figurae 185, modi 188-196, modi perf. 196, imperf. 197, reductio ad perf. 199, partitio 202-208.
Sylvester Maurus I, 74.
Syncategorematicus I, 74.
Synthesis I, 66.
Syntheticum 126, evolutio histor. II, 167-170, distinctio ab analyt. 177, synthet. a priori repugnat 179, 180.

Taine I, 51.
Testimonium historicum II, 215, eius valor 217-224, dogmaticum 226.
Testis II, 216, eius veracitas ac scientia 217-219 non coaevus 219-224.
Terminus mentalis I, 67 quotuplex 73-77.
Tertullianus I, 173.
Thales I, 23.
Theologia revelata I, 5, 13, 14.
Thomas S. 28... passim.
Thomasius I, 38.
Thomista schola I, 32.
Toletus I, 32, 98, 558.
Tongiorgi 7... passim.
Tonquédec (de) II, 14.
Totum quotupl. I, 110-113.
Tracy II, 187.
Traditio historica II, 219-220, conditiones ut sit certa 221-224.
Traditionalistae I, 40; II, 249, 255.
Transcendens I, 76.
Trendelemburg I, 8, 350.

Troiano II, 285.
Tyndall I, 40; II, 249.

Ubaghs I, 40; II, 257.
Ubi, I, 87.
Ultrarealistae v. realistae exaggerati.
Unitas univers. II, 65-69, praecisionis, 87.
Universale I, 78-80, directum ubi est II, 68-71 quomodo 84-87, formale 101-108.
Univocus I, 77.

Vacherot I, 40.
Vasquez I, 32.
Veda I, 22.
Ventura I, 41; II, 249, 257, 259.
Verbum I, 121, 122.
Veritas quid II, 2-8, determinatur a rebus ubi formaliter, 9-14, 14-17, veritas cognit. 109, ubi 110-112, quomodo in diverso actu 112-120, in sensibus 120-125, veritas relativa quid. quotupl. 272-274, reiicitur 275-279.
Veritates primitivae II, 50, quaenam admittendae 51-57.
Vico Ioannes I, 38.
Victoria (de) Fr. I, 32.
Virchow I, 40.
Vocabula signa rerum I, 70, 71.
Vogt I, 40.
Voltaire 38, 239.
Voluntatis influxus in intell. II, 130, 287-289.

Xenophanes I, 24.

Wagner II, 249.
Weber I, 40.
Wolf I, 38, 126, 161; II, 198.
Wundt I, 40, 63; II, 249.

Zeno I, 24; II, 34.
Zoroaster I, 21.

FINIS

115,02
M 741
22449
MONACO, NICOLAUS
AUTHOR
Critica
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMB
	Egan	
	Mogimis	
	[illegible]	
	Slater	
	[illegible]	
	[illegible]	

22449